JC

37
26 D
19

E,

RAYMVNDI

CAPISVCCHI

ORDINIS PRÆDICATORVM

S.R.E. TIT: S. STEPHANI IN MONTE COELIO
Presbyteri Cardinalis.

QVAESTIONES
THEOLOGICAE SELECTAE
MORALES, ET DOGMATICÆ.

Additur in fine

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA
De Hæreticis Prædeſtinatianis, & illorum erroribus.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſt. M.DC.LXXXIV.

SVPERIORVM FACVLTATE.

SANCTISSIMO PATRI; AC D.D.

INNOCENTIO VNDECIMO

PONTIFICI MAXIMO.

RAYMVNDVS CAPISVCCVS
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis
Felicitatem.

SI nomen ipſum Theologiæ Sacrum, & venerabile nihil ſonat aliud B. P. quam Sermonem de Deo; quæſtiones hæ Theologicæ tibi potiſsimum debebantur, cuius ore loquitur Deus, ſi quando Homines alloqui, per Hominem libet: qui Dei vices in terris adeo laudabiliter obis, vt non minus videaris Diuinæ Poteſtatis Vicarius, quam ſanctimoniæ. Quadrat ergo factis Tuis ingentibus nomen Sanctiſsimi, quod niſi cuicumque Romano Pontifici debitum iam foret, atque commune, peculiare Tuum eſſe deberet. Sic enim ad primam Sanctitatis Ideam conaris accedere, vt penitùs referas. Vndè non quia conſuetum

dici, ſed quia es, Te Sanctiſsimum dicimus. Accepiſti quidem medullitus ab Optimo Imaginem Optimi, & hoc quoque ſignum eſt, quod acceperis, quia tranſmittis in alios, non contentus optimus eſſe, niſi, & optimos facias. Et quemadmodum Sol non vni, aut alteri, ſed in commune profertur, & vbi primum affulgeat, nullam Orizontis partem patitur eſſe non lucidam, ſic tua Sanctitas minimè ſterilis ſoboleſcit in alijs, intantum, vt Tuis penè moribus Populus viuat, cui ſatis ad Virtutis incitamentum, Principem videre. Poterit id audacter teſtari Vrbs hæc publica humani generis Patria, qualem Te Præſide ſpeciem probitatis, ac vultum plane ſuum induerit. Depulſo luxu peſsimo irritandæ libidinis adminiſtro, ætatem omnem Hominum, ſexum, conditionem ad ſtudia pietatis conuertis, ratus, nullum ſpectaculum magis pulchrum, ac dignum Vrbe ſanctiſsima, quam Theatra modeſtiæ. Nec tantum intra Vrbem continetur ſtudium tuendæ Religionis, verum etiam in omnem partem, qua patet Chriſtianus Orbis, effunditur. Excuſsis ab oppugnatione Viennæ nuperrimè Barbaris, non intermittis magnanimas curas, ſed vna parta Victo-

ctoria, nouis inſiſtis. Europæ Duces, Principes, Reſpublicas in vnum iungis, animoſque arrectos in amorem publicæ cauſæ litteris, precibus, pecunia, authoritate, conſilio, beneuolentia excitas, & impellis. Quibus ſtudijs apud Sacri Fœderis Duces adeò vales, vt vel tui Nominis recordatio pro claſsico ſit, nec ad contemptum Hoſtis vllum calcar potentius experiantur, quam ſcire, cui militent. Nihil erat paulo ante, quod temeritati ſuæ non promitteret inſolens Barbarus, eoque furoris proceſſerat, vt Chriſtianum Imperium, iam ſpe faceret Ottomannum. Volente tamen aliter Deo, Teque eius cauſæ impigrè excubante, mutauimus vices, vt tantum Hoſtes timerent, quantum timuimus, quantumque de Nobis illi, tantundem nos de illis ſperaremus. Exiſta Tua ſingulari Prouidentia B. P. vberrimus Tibi quidem gloriæ prouentus effluxit, quam tamen abnuis, contentus Operis laude, non laude, ſed ob id ipſum longè glorioſior, quod merearis gloriam, nec admittas. Interim ex Dignitatę, qua ſedes omnium ſumma, oculos cuſtodes Imperij, & Chriſtianæ Reipublicæ tutelares demittas oro ad munus hoc meum, iam diù Tibi multis nomi-

ni-

nibus debitum, & præcipuè ob collatam in me benigniter Purpuram. Et quoniam nihil in Te mutauit faſtigium Dignitatis, niſi vt largius prodeſſe poſſes, & velles, benignitate, qua plurimum præſtas, patere, ſub ipſa fronte Voluminis huius inſcribi INNOCENTIO VNDECIMO PONTIFICI MAXIMO. Sic fiet, vt illud ſaltem in venerationem tanti Nominis Poſteri legant.

VOlumen hoc Theologicum Eminentiſsimi, & Reuerendiſſimi Domini Raymundi Cardinalis Capiſucchi deſtinatum publicæ luci, eamdem planè notam, & ſpeciem eximij characteris meo quidem iudicio præfert, ac prior ille liber de Theologicis Controuerſijs, quem Author idem clariſsimus multò ante nondum purpuratus emiſit, quamuis ex tunc meritis purpuræ iam maturus. Quas enim hic Quæſtiones tractandas aſſumit genere varias, varietate multiplices, rerum arduitate ſublimes ad vnam omnes in ordinem digerit, digeſtas examinat ſubtiliter adeò, atquè dilucidè, vt non ſinat difficultatem, eſſe difficilem. Et quemadmodum ad humanitatem Summi Principis attinet, non modo Regni Primatibus, ſed aliquando inferioribus etiam copiam facere Maieſtatis, ſic inter dotes Voluminis huius non vltima eſt, quod Scriptoris ſubtilitas cum ſublimium Intelligentię Theologorum ad votum occurrat, ad mediocris etiam ingenij captum quandoque deſcendat, & delinita abſtruſorum dogmatum arduitate ab ijs etiam ſe patiatur intelligi, qui parum intelligunt. Cuicumque in eius ſententias ire, tutiſsimum erit: omnis enim Doctrina plena roboris, & firmitatis, omnique ex parte ſolidè ſtabilita teſtimonio Patrum, & pondere Argumentorum. Amat docere, non per aculeata Sophiſmata ad ingenij pompam decipere. Quippè veritatem in veritate quærit, non fucum. Auerſatus, quod è Theologis plurimi non rarò ſolent, qui dum ſe magis oſtentare volunt, quàm prodeſſe veritati, ſectantur minus vera, quia magis ſpecioſa, non magis ſpecioſa, quia magis vera. Quare minimè vereor, quin liber hic litterariæ ſimul, & Chriſtianæ Reipublicæ, vtilitatis plurimùm ſit collaturus, idemque cum incredibili voluptate legentium ſit pariter euoluendus, Doctiorum præcipuè, quorum palato vtpotè ſaporis non publici, tantæ potiſsimùm doctrinæ ſuccus exprimitur. Quin exorandus enixè foret Eminentiſsimus Princeps, vt editionem reliquorum etiam Operum maturaret, ne fraudata Litteratorum Academia ſalutaribus monumentis, rapta ſibi doleret ab Authoris modeſtia beneficia publica poſteritatis. Ille quidem ſe non iam ſibi, ſed vni Religionis Catholicæ bono genitum ſemper putauit: Huic ampliandæ ab ætate fermè prima ad vſque ſenium totus incubuit ſcriptis, ingenio, lingua, & facundioribus lingua Virtutum exemplis. Quod ſi

vnquam aliàs, tunc maximè patuit, cum Apoſtolicum Sacri Palatij Magiſterium impleret, in tàm ancipiti doctrinarum adminiſtratione ſummoperè cautus. ne quid excideret infeſtum virtutibus, aut Orthodoxæ Fidei exitiale. Qui etiam nunc ab intermittendis Studijs admonitus à ſenectute, cum reſpirare ab aſsidua defatigatione iam tandem deberet, inſudat magis magiſque, non alium laboris fructum vſurpare ſolitus, quam laborem: Huic purpuram deuouet, Sacramqne Dignitatem Eccleſiaſtici Principis vni ſacrat Eccleſiæ: non abſimilis ſuæ Stirpis Maioribus prodigis grandium animarum pro Romana Sede, cuius bono non minus illi gladio, quam hic calamo militauit. Irem fuſiùs in eius decora quorum campus patet ampliſſimus, niſi idem ipſe, quàm largus eſt alienæ virtutis ęſtimator, tàm amaret in ſuis laudibus parſimoniam. Romæ die vigeſima Nouembris 1683.

Angelus de Nuce Archiepiſcopus Roſſanenſis.

IN Quæſtionibus iſtis Theologicis &c. elucubratis ab Eminentiſsimo , & Reuerendiſsimo Domino Raymundo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Capiſucco , atque à me attentè perlectis, non inueni, niſi doctrinam ſanam, orthodoxam , profundam, perſpicuam , maximèque Doctoris Angelici S. Thomæ menti conſentaneam. Romæ hac die 20. Decembris 1683.

Ego F. Iacobus Riccius Ord. Præd. Sacræ Theol. Magiſter, Sac. Indicis Congregationis Secretarius, in Vrbe Examinator, Romanaque Prouinciæ Prior Prouincialis.

Imprimatur.

G. Card. Vicarius.

Imprimatur.

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Ord. Præd. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

INDEX QVAESTIONVM.

QVAESTIO PRIMA.

VTRVM Sacerdotes Hæretici, Schiſmatici, & excommunicati Pœnitentem in articulo mortis conſtitutum Sacramentaliter abſoluere poſſint, pag. 1.

QVAESTIO II.

Vtrum ab Eccleſia tribus primis ſæculis Pœnitentiæ Sacramentum, ſeù abſolutio Sacramentalis aliquibus Peccatoribus denegata fuerit. pag. 51.

Quæſtiuncula incidens.

Vtrum Euchariſtia concedenda ſit reis vltimo ſupplicio afficiendis. p. 79.

QVAESTIO III.

Vtrum abſolutio Sacramentalis Confitentibus, ante, vel poſt peractam pœnitentiam Sacramentalem impendi debeat; quidué hac in re primis duodecim ſæculis in Eccleſia Dei ſeruatum fuerit. pag. 107.

Dubium incidens.

Quænam Sacramenta iuxtà ſententiam S. Thomæ informia eſſe poſſint, & valida, quæ recedente fictione ſuum habeant effectum. p. 126.

QVAESTIO IV.

Vtrum liceat baptizare filios Turcarum, aliorumque Infidelium, Parentibus eos pro corporali ſalute baptizari petentibus, ſi renuentibus eos baptizare, mors, aut aliud graue damnum ab Infidelibus immineat. pag. 171.

QVAESTIO V.

Vtrum liceat alicui occidere aliquem ſe defendendo. pag. 223.

QVAESTIO VI.

Vtrum liceat alicui futurum aggreſſorem præuenire illum occidendo. pag. 257.

QVAESTIO VII.

Vtrum iuſtè ad mortem damnatis liceat ſe contra Iudices, aut Exequutores defendere. pag. 266.

QVAESTIO VIII.

Vtrum iniuſtè ad mortem damnato liceat ſe per vim defendere cum occiſione Iudicis, qui ſententiam iniuſtam tulit, ſi alia via nequeat mortem euadere. pag. 275.

QVAESTIO IX.

Vtrum innocens ad mortem damnatus per ſententiam ſecundùm allegata, & probata iuſtam, poſſit abſque peccato Iudicem, qui eiuſmodi ſententiam tulit occidere, aut ei damnum inferre, ſi non poſſit aliter mortem euadere. pag. 281.

QVAESTIO X.

Vtrum iniuſtè aggreſſus teneatur ſe ab iniuſto aggreſſore defendere. pag. 291.

QVAESTIO XI.

Vtrum liceat alicui propria bona temporalia defendendo, eorum raptorem occidere. pag. 305.

QVAESTIO XII.

Vtrum alicui liceat, honorem, famam, aut pudicitiam defendendo aliquem occidere. pag. 312.

QVAESTIO XIII.

Vtrum rectè definiatur ſtuprum à Sancto Thoma, quod ſit illicita Virginum defloratio ſub cura Parentum exiſtentium. pag. 334.

QVAE-

QVAESTIO XIV.

Vtrum abſque peccato mortali poſſit quis de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; nō ex diſplicētia perſonæ, ſed ob aliquod tēporale emolumentū.

Et vtrum licitum ſit abſoluto deſiderio cupere mortem Patris: non quidem vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirùm ei obuentura eſt pinguis hæreditas.

Prætereà. Vtrum licitum ſit filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias indè ex hæreditate conſequuturas. pag.340.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

De Hæreticis Prædeſtinatianis, & illorum erroribus. pag.357.

Articulus Primus.

Vtrum Hæreſis Prædeſtinatiana in quinto ſæculo extiterit. ibid.

Paragraphus Primus.

Sententia affirmatiua eligitur, & probatur. pag.358.

Paragraphus Secundus.

Recenſentur Prædeſtinatianorum errores. pag.360.

Paragraphus Tertius.

Inueſtigatur quinam fuerint Hæretici Prędeſtinatiani quinti ſęculi. p.362.

Paragraphus Quartus.

Reijciuntur aduerſariorum excogitata ad authoritatem Concilij Arelatenſis conuellendam. pag.368.

Digreſſiones duæ incidentes.

Digreſſio Prima. De Propoſitione illa. *Ad ſolam Sedem Apoſtolicam Diuino immutabili priuilegio ſpectat de cōtrouerſijs Fidei iudicare.* pag.375.

Digreſſio Secūda. An Summus Pontifex independenter à proceſſibus, informationibus, & Conſultorum conſultationibus ex ſola ſuprema poteſtate Pōtificia, qua pollet, poſſit res Fidei definire. pag.379.

Paragraphus Quintus.

Defenditur à calumnijs aduerſariorum Catholica doctrina epiſtolarum Fauſti, & Lucidi. pag.381.

Paragraphus Vltimus.

Alia quædam argumenta contra exiſtentiam Hæreſis Prædeſtinatianæ proponuntur, & diluuntur. p.388.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Hæreſis Prædeſtinatiana reſuſcitata fuerit in nono ſæculo per Gotteſchalcum. pag.389.

Paragraphus Primus.

Firmatur apertiſſimis teſtimonijs vera ſententia aſſerens Gotteſchalcū in nono ſæculo Hæreſim Prædeſtinatianam reſuſcitaſſe. pag.390.

Paragraphus Secundus.

Dicta Gotteſchalci referuntur, & ex terminis ipſorum conformiter ad mentem Gotteſchalci ſenſus hæreticus eruitur. pag.393.

Paragraphus Tertius.

Afferuntur quatuor capitula Cariſiaca, quibus errores Gotteſchalci reprobantur. pag.401.

Paragraphus Quartus.

Afferuntur Canones Synodi Valentinæ nonnihil diſſentientes à capitulis Cariſiacis, conuenientes tamen cum eiſdē in condemnatione Gotteſchalci. pag.403.

Paragraphus Quintus.

Aliæ quædam obiectiones aduerſariorum afferuntur, & diluuntur. pag.410.

RAY-

RAYMVNDI CARDINALIS CAPISVCCHI

Quæſtiones Theologicæ Selectæ, Morales, & Dogmaticæ.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Sacerdotes Hæretici, Schiſmatici, & Excommunicati pœnitentem in articulo mortis conſtitutum Sacramentaliter abſoluere poſsint.

SAcerdotes Hæreticos, Schiſmaticos, & Excommunicatos denunciatos, pœnitentem in articulo mortis conſtitutum Sacramentaliter abſoluere poſſe, ſi Sacerdos Catholicus, & vnitus commodè haberi nequeat, plures Recentiores affirmant. Negant verò communiter Theologi Nobiliores, ac Theologorum Principes, & omnes ferè Iuris Canonici Periti. Hæc profectò ſententia vera eſt, ac tenenda; vnde pro quæſtionis reſolutione ſit.

ASSERTIO VNICA.

Sacerdotes Hæretici, & Schiſmatici notorij, & manifeſti, ac excommunicati denunciati pœnitentem in articulo mortis conſtitutum, Sacramentaliter abſoluere non poſſunt, etiamſi Sacerdos Catholicus, & vnitus commodè haberi nequeat.

ITa Magiſter Sententiarum *in* 4. *diſt.* 19. S. Tho. *in* 3. *p. q.* 82. *art.* 2. *ad* 2. *&* *in* 4. *Sent. diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. *&* *ead. diſt. q.* 1.

 art. 2.

art. 2. *quæſtiunc.* 3. *&* *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 2. Albert. Magnus *in* 4. *Sentent. diſt.* 18. *art.* 16. Alex. de Ales *in* 4. *part. q.* 20. *membr.* 8. *art.* 2. S. Raymundus *in Summa lib.* 1. *de Hæreticis, & eorum fautoribus* §. 4. *& lib.* 3. *de Pœnitentijs, & Remiſſionibus* §. 16. Durandus *in* 4. *Sent. diſt.* 19. *q.* 2. *num.* 17. *in reſp. ad* 4. Capreolus *in* 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 1. *art.* 3. Cardinalis Turrecremata *in cap.* 1. *nu.* 2. *de Pœnit. diſt.* 6. S. Antonin. *in* 3. *par. tit.* 14. *cap.* 19. §. *Quintadecima conditio*, Gratianus 24. *q.* 1. *in cap. Miramur*, *& in cap. Audiuimus qu.* 1. *diſt.* 24. Gloſs. *in cap. Ad hoc verò d.* 32. *in cap. Præter hoc*, Bachon. *in* 4. *Sent. diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 2. Richard. *in* 4. *diſt.* 19. *art.* 9. *q.* 3. Nauarr. *in Manuali cap.* 26. *nu.* 26. Dominicus Sotus *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 4. *art.* 4. Silueſter *in Summa verbo Confeſſor* 1. *q.* 20. Author Summæ Piſanæ *verb. Confeſſor* 3. §. 9. Martinus Ledeſma 2. *par.* 4. *qu.* 21. *art.* 6. *&* 22. *art.* 1. Thomas à Ieſu Carmelit. in opere inſcripto: *De procuranda ſalute omnium gentium*, Cardinalis Toletus *in Summ. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 4. vbi dicit, hanc ſententiam eſſe communem, & Gloſſam *cap. Non eſt vobis*, contrarium tenentem, communiter eſſe reprobatam, ex Præpoſito ibidem. Azor. *inſtitut. moral. lib.* 8. *cap.* 11. *quæſit.* 12. vbi ait, hanc eſſe opinionem communem Theologorum, & Canonici Iuris Interpretum; Gloſs. *in cap. Ad hoc, verb. Malus*, Decius *in l. More ff. de Iuriſd. omnium Iudicum*, Hoſtien. Io. Andreas, Abbas, Ancharanus, Butrius, Felinus, Philippus contra Gloſſam *in cap. Non eſt vobis, de Sponſalib. apud* Azorium, Couarruu. *in cap. Alma Mater par.* 1. §. 6. *num.* 8.

Eamdem ſententiam latè propugnat Proſper Fagnanus *in cap. Non eſt vobis, de Sponſal. & Matrim.* & affert declarationem Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, qua Eminentiſſimi Patres declarant excommunicatum, & denunciatum, nec in articulo mortis pœnitentem Sacramentaliter abſoluere poſſe, & ſolùm Sacerdotes in vnitate Eccleſiæ viuentes id poſſe præſtare. Hanc declarationem Fagnanus ex libris originalibus S. Congregationis Concilij, cuius ipſe fuit à ſecretis, exſcripſit, vt ipſemet in principio ſui operis de omnibus ferè declarationibus à ſe allatis affirmat, ſed & nos eamdem declarationem in authentica forma apud nos retinemus, ſed de hoc latiùs infrà.

Probatur primò Aſſertio noſtra authoritate Summorum Pontificum, & Sanctorum Patrum, qui generaliter, & nullius caſus exceptione facta, affirmant Hæreticos, & Schiſmaticos iuriſdictione carere, & non poſſe, nec ſoluere, nec ligare.

Hi ſunt Cœleſtinus Papa I. in epiſtola ad Ioannem Antiochenum, quæ habetur in Concilio Epheſino *tom.* 1. *cap.* 19. & refertur *diſt.* 24. *q.* 1. vbi ſic ait. Si quis ab Epiſcopo Neſtorio, aut ab alijs, qui eum ſequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus eſt, ſeù Antiſtitis, ſeù Cleri dignitate, hunc in noſtra Communione, & duraſſe, & durare manifeſtum eſt, nec iudicamus, eum remotum, quia non poterat quemquam remouere, qui ſe iam præbuerat ipſe remouendum.

Et

Et in epiſtola ad Clerum Conſtantinopolitanum. Sedis, inquit, noſtræ ſanxit authoritas, nullum ſiuè Epiſcopum, ſiuè Clericum, ſeù profeſſione aliqua Chriſtianum, qui à Neſtorio, vel eius ſimilibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco ſuo, vel communione deiecti ſunt, vel deiectum, vel excommunicatum videri, quia neminem deijcere, vel remouere poterat, qui prædicans talia titubauit. Idem repetit, & confirmat Nicolaus I. in epiſtola ad Michaelem.

Innocentius Papa I. *epiſt.*8. ad Alexandrum, ſic loquitur. Arrianos præterea, cæteraſque huiuſmodi peſtes, quia eorum laicos conuerſos ad Dominum ſub imagine Pœnitentiæ, ac Sancti Spiritus ſanctificatione per manuum impoſitionem ſuſcipimus, non videtur Clericos eorum, cum Sacerdotij, aut miniſterij cuiuſpiam ſuſcipi debere dignitate; Quoniam quibus ſolùm Baptiſmum ratum eſſe permittimus (quod vtique in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti perficitur) nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo Baptiſmate, illiſque myſterijs arbitramur. Refertur hæc authoritas etiam 1. *quæſt.* 1. *cap. Arrianos*.

Explicat autem S. Thomas 3. *p. q.* 82. *art.* 7. *ad* 2. qua ratione ſolus Baptiſmus, ab Innocentio, ratus dicatur Hæreticis, & Schiſmaticis, quia, inquit, Hæretici, & Schiſmatici poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis, in nullo autem caſu licitè poſſunt Euchariſtiam, vel alia Sacramenta adminiſtrare.

Bonifacius VIII. *in Extrauag. Vnam Sanctã de maior. & obed.* docet, extra Eccleſiã remiſſionem peccatorum nõ eſſe.

Sanctus Cyprianus *libr.* 2. *epiſtolarum epiſt.* 4. & habetur etiam *qu.* 1. *cap. Nouatianus*, ſic ait: Qui nec vnitatem Spiritus, nec conuentionis pacem obſeruat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo, & à Sacerdotum Collegio ſeparat, nec Epiſcopi poteſtatem habere poteſt, nec honorem. Et *lib.*6. *epiſt.*6. Dicimus, inquit, omnes Hæreticos, & Schiſmaticos nihil habere poteſtatis, ac iuris.

Sanctus Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnitentia*, & habetur etiam *cap. verbum, de Pœnitentia diſt.* 1. Dominus, ait, par ius ſoluendi eſſe voluit, & ligandi, qui vtrumque pari conditione commiſit, ergo qui ſoluendi ius non habet, nec ligandi habet. Et infra; certum eſt, quòd Eccleſiæ vtrumque licet, hæreſi vtrumque non licet. Ius enim hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus. Rectè igitur Eccleſia vendicat, quæ veros Sacerdotes habet, hæreſis vendicare non poteſt, quæ Sacerdotes Dei veros non habet. Et idem, vt habetur etiam *in cap. Poteſt fieri*, ſic ait. Non enim habent Petri hæreditatem, qui Petri ſedem non habent, quam impia diuiſione diſcerpunt.

Optatus *libr.* 1. *contra Parmenianum* docet Hæreticos, & Schiſmaticos, claues Regni Cœlorum habere non poſſe, nec ſoluere, aut ligare. Idem docent Auguſtinus *in Enchyridio cap.* 65. & S. Hieronymus *lib. contra Luciferianos*.

Neque valet, inquit Bellarminus *lib.* 2. *de Romano Pontifice cap.* 30. quod quidam reſpondent, iſtos Patres loqui ſecundùm antiqua iura; Nunc autem ex decreto Concilij Conſtantienſis, non amittere iuriſdictionem, niſi nominatim excommunicatos, & notorios per-

cuſſores Clericorum, hoc, inquit, Bellarminus, non valet, nàm Patres illi, cùm dicunt, Hæreticos amittere iuriſdictionem, non allegant vlla iura humana, quæ etiam fortè tunc nulla extabant de hac re, ſed argumentantur ex natura hæreſis. Concilium autem Conſtantienſe, non loquitur niſi de excommunicatis, ideſt de his, qui per ſententiam Eccleſiæ amiſerunt iuriſdictionem. Hæretici autem etiam ante excommunicationem ſunt extrà Eccleſiam, & priuati omni iuriſdictione. Sunt enim proprio iudicio condemnati, vt docet Apoſtolus *ad Titum* 3. hoc eſt præciſi à corpore Eccleſiæ ſine excommunicatione. Sed de Concilio Conſtantienſi latiùs infra.

Igitur Hæretici, & Schiſmatici, notorij præſertim, & manifeſti nullo modo ſunt membra Eccleſiæ, id eſt neque animo, neque corpore, neque vnione interna, neque externa. Nam Catholici etiam mali ſunt vniti, & ſunt membra, animo per fidem, corpore per confeſſionem fidei, & per viſibiliũ Sacramentorum participationem: Hæretici occulti ſunt vniti, & ſunt membra ſolùm externa vnione, ſicut è contrario, Catechumeni, ſunt de Eccleſia, interna vnione tantùm, non autem externa; Hæretici verò manifeſti nullo modo, ac proindè ab intrinſeco, & poſitiuè incapaces ſunt, & inhabiles ad recipiendum aliquem influxum ab Eccleſia, eiuſque capite, eo pacto, quo membra à corpore præciſa incapacia ſunt ad recipiendum influxum à corpore, & à capite, à quo ſunt præciſa, ac proindè Hæretici iuriſdictione perpetuò carent, vnde nec in caſu mortis abſoluere poſſunt; abſolutio enim Sacramentalis Sacerdotis, eſt actus iudicialis, idque de fide tenendum eſt, nam ſic definitur in Concilio Tridentino *ſeſs.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ Can.* 9. Vndè nullius momenti eſt abſolutio, quam profert Hæreticus etiam in caſu mortis, cum etiam tunc nullam in pœnitentem iuriſdictionem habeat. Nec vllus Canon, aut decretum allegari poteſt (vt bene obſeruat Fagnanus) in quo excipiatur caſus articuli mortis, & quando Eccleſia voluit conferre iuriſdictionem in articulo neceſſitatis, hoc expreſſit, vt fecit in Sacerdote non expoſito ad Confeſſiones audiendas *in cap. Presbyter* 26. *q.* 6. *in Extrauag. inter cunctas* §. *Incendiarij, de priuileg. & in Extrauag.* 1. §. *Decernimus de ſententia excommunicationis*, & in caſibus reſeruatis, vt *in cap. frater noſter* 16. *q.* 1. *in cap. Paſtoralis* §. *Præterea de offic. Ordin. cum cõcord. & in cap.* 7. *de caſuum reſeruatione ſeſſ.* 14. *de Pœnitentia in Conc. Trident.* Quod cum non fecerit in Hæretico, & Schiſmatico, cenſetur noluiſſe *arg. l. vnica* §. *fin. autem ad deficientis, Cod. de cad. toll.* Solus enim Baptiſmus reperitur permiſſus licitè miniſtrari ab Hæretico in articulo neceſſitatis, vt *in cap. Si quem fortè* 24. *q.* 1. *& in cap. præter* §. *verùm* 32. *diſt. & in c. Arrianos* 1. *q.* 1. (*ideoq; talibus Solus Baptiſmus ratus eſſe permittitur*) dictio enim illa taxatiua *Solus*, eſt excluſiua, & prohibitiua aliorum Sacramentorum in quocumque caſu. Quod ſi Eccleſia voluiſſet idem ſtatuere de Pœnitentia, quod de Baptiſmo expreſſit, & de Pœnitentia poterat, expreſſiſſet, vt in ſimili arguit Pontifex in *cap. Inter corporalia* §. *ſi circa, de translatione Epi-*

ſcopi,

ſcopi, quod igitur de Baptiſmo conceditur, de Pœnitentia negatur.

E contra verò, iura omnia, in quibus generaliter conceditur Sacerdotibus facultas abſoluendi Pœnitentes in caſu neceſſitatis, eo pacto intelligenda ſunt, vt excepti intelligantur Excommunicati, Hæretici, Schiſmatici, alijq; ab Eccleſia præciſi, omnis enim diſpoſitio intelligitur de habilibus, vt multis probat Fagnan. *loc. cit.* & in ſpecie quoad Sacerdotes abſoluere valentes in articulo mortis declarauit Sacra Congregatio Interpretum Concilij Tridentini in illud *cap. 7. ſeſſ. 14. de Pœnitentia* (Omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt) Id enim de Sacerdotibus in vnitate Eccleſiæ viuentibus intelligendum eſſe Sacra Congregatio declarauit, vt infra videbimus.

Quarè. Quidquid ſit de quæſtione illa, vtrum hæretici iure Diuino priuati maneant iuriſdictione, de quo dubitaſſe videtur Petrus de Lorca inſignis Theologus Ordinis Ciſtercienſis *in 2. 2. S. Thomæ quæſt. 11. art. 4. diſp. 64.* & admiſſo, quòd Eccleſia poſſit hæreticis adhuc in hæreſi permanentibus iuriſdictionem conferre, etiam in foro interno; Certum eſt tamen Eccleſiam id hactenus non feciſſe. Quin certum eſt, eos omni iuriſdictione, omnique Eccleſiaſtica Dignitate, officio, & beneficio priuaſſe, & ad hæc omnia eos inhabilitaſſe *cap. dicimus. Cap. Pudenda 24. quæſt. 1. cap. Præter 32. diſt. Cap. Quo iure diſt. 6. cap. Ad abolendum. Cap. Excommunicamus primo de hæreticis, cap. Vt commiſſi, eodem titulo in ſexto, & alia.*

Id autem ſpecialiter pro caſu mortis confirmari poteſt ex his, quæ habentur *in cap. Qui vult de Pœnit. diſt. 6.* ibi enim ſic dicitur: *Pœnitens non petat Sacerdotes per aliquam culpam ab vnitate Eccleſiæ diuiſos, Iudas enim pœnitens iuit ad Phariſæos, reliquit Apoſtolos, nihil inuenit auxilij, ſed augmentum deſperationis*, & eſt ſermo de illo, qui conſtitutus eſt in caſu neceſſitatis, nam ſermo eſt de illo, *qui ex neceſſitate prohibetur ad Sacerdotes peruenire, quos quidem quærunt ſani, & læti, ſed dum quærunt antequam perueniant ad eos, moriuntur*: Et de his dicitur, quod in eo caſu, ſi deeſt Sacerdos, confiteatur Proximo. Vndè in eo caſu decernitur, confeſſionem faciendam potius Laico, quàm Sacerdoti præciſo, & licet confeſſio illa facta Laico non ſit Sacramentalis, eo quod Laicus ex defectu clauium non poſſit abſoluere, Deus tamen deuotionem ita confitentis miſericorditer ſuſcipit; At verò nullo caſu licitum eſſe confiteri, dicitur Sacerdoti ab Eccleſia præciſo, quia de manibus inimici non eripietur anima mortui, ſcilicet in peccatis, exemplo Iudæ, qui non iuit ad Apoſtolos, ſed ad Phariſeos diuiſos, & diuiſus perijt. Vndè per hanc litteram Cardinalis Turrecremata, ibi *num. 2.* concludit, Sacerdotes exiſtentes extra vnitatem Eccleſiæ, vt puta Hæreticos, Schiſmaticos, & Excommunicatos, nec in caſu neceſſitatis poſſe officium Confeſſarij exercere, abſoluere, nec aliquem debere talibus confiteri, & allegat Raymundum in ſumma dicentem, in articulo neceſſitatis, non eſſe confitendum Hæretico, vel Schiſmatico, non inuento Catholico,

lico, cui confiteatur, ſed Pœnitens doleat de peccatis.

Idem docet S. Ioannes Chriſoſtomus in libro Canonum Pœnitentialium apud Hadrianum *in 4. ſent. q. 1. de Baptiſmo*, his verbis: *Si quis infirmitate detentus morti appropinquauerit, & Sacerdos, vel Clericus defuerit, tunc ab alio in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizari poterit, Pœnitentia autem, & Communio à nullo ſuſcipienda eſt, niſi à Catholico*.

Et S. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios laudat Alexandrinos, quod *maluerint acerbiorem vitam inter pericula traducere, & à peccatis non abſolutos è vita exire, quàm miniſterio Arrianorum vti*.

Præcluditur euaſio Ioannis Puteani, & vera ſententia confirmatur.

IOannes Puteanus Theologus Auguſtinianus *par. 2. in 3. p. S. Thomæ de Confeſſione dub. 3.* reſpondet, Sacerdotem Hæreticum, & Excommunicatum etiam denunciatum, vel notorium percuſſorem Clericorum eſſe in Eccleſia, quotieſcumq; in hypotheſi adminiſtrat Sacramentum Pœnitentiæ, illo eodem modo, quo Turca dicitur eſſe in Eccleſia, quotieſcumq; Baptiſmum adminiſtrat paruulo alicui in neceſſitate conſtituto: Eſt enim, inquit, Sacerdos hic inſtrumentum, quo vtitur Chriſtus inter abſoluendum iſtum pœnitentem; Neque hoc magis abſurdum videri debet (inquit Puteanus) quam Deum locutum fuiſſe antiquitùs per os Cayphæ explicantis prophetiam iſtam: *Expedit, vt vnus homo moriatur pro Populo, & non tota gens pereat*. Quam prophetiam mouente Spiritu Sancto protulit, vt docet verbis expreſſis, Ioannes in ſuo Euangelio. Hoc, inquit, dixit, non à ſe ipſo, ſed à Spiritu Sancto, cum eſſet Pontifex anni illius. Hæc Puteanus.

Sed nullatenus vrgent, nam hæc quidem conſequentia eſt bona: Hæretici quædam Sacramenta verè adminiſtrant, ergo ſunt in Eccleſia ſecundùm aliquid, & non ſimpliciter, vt docet Bellarminus *lib. 3. de Eccleſia Militante cap. 4.* At verò, quòd ad rem noſtram attinet, prius probandum eſt antecedens, nempè hæreticos præciſos verè adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, aliàs petitur principium, id eſt ſupponitur id, quod eſt probandum, & de quo eſt quæſtio, licet concedatur, verè adminiſtrare Sacramentum Baptiſmi, quia id expreſsè docet Eccleſia.

Explicatur hoc: Vel Hæretici præciſi ſunt membra, antequam aſſumant miniſterium Sacramenti Pœnitentiæ; vel cum aſſumunt prædictum miniſterium. Primum dici non poteſt, cum careant ea coniunctione, quæ ſecundum eumdem Bellarminum ibidem *cap. 5.* facit vnitatem eſſentialem Eccleſiæ, ſcilicet coniunctione membrorum inter ſe, & cum capite. Neque ſecundum dici poteſt, tùm quia id gratis aſſeritur, tùm etiam quia, vel fiunt membra per inualidam adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, & hoc eſt falſiſſimum, alias Ethnicus, vel Turca poſſet pro libitu, ponere ſe in Eccleſia: vel fiunt membra per validam adminiſtrationem, & hoc eſt pro-

ban-

bandum, nempè hæreticum præciſum validè adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ. Igitur in præfata conſequentia petitur principium, niſi probetur antecedens.

Et quod ad Baptiſmi miniſtrum attinet, Eccleſia ſatis declarat, in caſu neceſſitatis (ſecundum Chriſti inſtitutionem) eſſe quemlibet vſu rationis præditum. Quæ declaratio non extat pro miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ. Immo potius oppoſitum apparet.

Præterea, actus baptizandi eſt nudum miniſterium ſine exercitio Iuriſdictionis, & ſine prærogatiua prælationis; qualis poteſt competere etiam fœminæ, quæ incapax eſt prælationis in Eccleſia Dei. At verò miniſterium abſoluendi, eſt per modum iudicij, ac proindè cum prælatione, & vſu iuriſdictionis, qui vſus dependet à conſenſu Eccleſiæ; Eccleſia autem non conſenſit, niſi vt tantum Sacerdotes in eius vnitate viuentes poſſint adhuc in articulo mortis abſoluere, & qui dicunt: Omnes Sacerdotes iure Diuino abſoluere poſſe in articulo mortis, id intelligunt de Sacerdotibus aliàs non inhabilibus, & incapacibus, quales ſunt Sacerdotes in Eccleſiæ vnitate viuentes, ſed & hæc opinio non recipitur communiter, & videtur intentioni Concilij repugnare.

Illud verò de Caypha nullum faceſſit negotium, ſuppoſita doctrina S. Thomæ, præcipuè in epiſtola ad Titum *cap.* 1. *lect.* 3. nempè Caypham habuiſſe à Deo inſpirationem, quam malè intellexit, ideò participaſſe aliquid de prophetia. Quarè Cayphas fuit valdè imperfectè, & materialiter Propheta, & potius deferens per modum fiſtulæ prophetiam, quàm prophetans.

Adde, hunc caſum non contingere; At Miniſter abſolutionis, etiam in articulo mortis eſt verus Miniſter, immò Vicarius Chriſti, vt loquitur Concilium Tridentinum; Atqui huiuſmodi caſus poteſt frequenter contingere, quarè non videtur aſſerendum, id ex conſtitutione Eccleſiæ poſſe competere eiuſdem Eccleſiæ membris contumacibus putridis, immò mortuis.

Quid hac in re ſenſerit S. Thomas.

ADeò manifeſtum eſt, S. Thomam ſentire, quod Hæretici, & Excommunicati, nec in caſu neceſſitatis Pœnitentiæ Sacramẽtum adminiſtrare poſſint, vt de illius mente rationabiliter dubitari nequeat. Id enim pluribus locis expreſſit. Nam 2.2. *art.* 3. docet, in Schiſmaticis, & Hæreticis poteſtatem iuriſdictionis non manere, & illos non poſſe, nec abſoluere, nec excommunicare, nec Indulgentias facere, aut aliquid huiuſmodi; Quod ſi fecerint, nihil actum eſſe: nec vllum excipit caſum, quo hæc poſſint, ſed ſpecialius in caſu mortis id docet 3. *p.* *q.* 82. *art.* 7. *ad* 2. vbi admittens authoritatem Innocentij Papæ *in epiſt.* 8. ad Alexandrum dicentis; Solum Baptiſmum ratum eſſe permitti Hæreticis, & Schiſmaticis, explicat, qua ratione id verùm ſit, inquiens: *Ad ſecundum dicendum, quod ſolus Baptiſmus permittitur eſſe ratus Hæreticis, & Schiſmaticis, quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis, in nullo autem caſu poſſunt Euchariſtiam, vel alia Sacramenta conferre.*

ferri. Hæc S. Thomas, in quibus animaduertendum, quod cum S. Doctor ait, Hæreticos,& Schiſmaticos in nullo caſu poſſe licitè Euchariſtiam, vel alia Sacramenta adminiſtrare, non ideò vult, cætera omnia Sacramenta præter Baptiſmum ab Hæreticis, & Schiſmaticis illicitè dumtaxat adminiſtrari, quaſi alia omnia Sacramenta, præter Baptiſmum illicita ſint, ſed valida; Certum eſt enim, quod Sacramentum Pœnitentiæ, nec licitè, nec validè adhuc in articulo mortis iuxta doctrinam eiuſdem S. Doctoris ab Hæretico, & Schiſmatico adminiſtrari poſsit. Id enim expreſsè docet in 4. *ſent.* locis infrà citandis, ſed *loc. cit. ex 3. par.* ſoluendum tantùm ei fuerat argumentum illud, vt explicaret, qua ratione verùm habeat Innocentij dictum, quod ſolus Baptiſmus ab Hæreticis, vel Schiſmaticis collatus ratus permittatur, ne ex dicto illo argui poſſet Euchariſtiæ conſecrationem ab Hæretico, vel Schiſmatico peractam, non eſſe validam, contra id, quod in articulo illo docuerat, & ideò Innocentij dictum, eo pacto intelligendum dicit, quod ſolum Baptiſmum ab Hæreticis collatum ratum Innocentius dixerit, id eſt licitum, quia ſcilicet Hæretici, & Schiſmatici licitè poſſunt (in caſu tamen neceſsitatis) baptizare, in nullo autem caſu poſſunt licitè Euchariſtiam conſecrare, vel alia Sacramenta conferre, Euchariſtiam verò, etſi non licitè, validè tamen ab eis conſecrari dicit. Et idem affirmat in 4. *ſent. diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 2. Ibi enim docet, quod Hæretici, & ab Eccleſia præciſi vera Sacramenta conferant (vno tantùm excepto Sacramento Pœnitentiæ, vt ibidem dicit in ſolutione primi argumenti) ſed cum Sacramentis gratiam non dent, non propter ineſficaciam Sacramentorum, ſed propter peccata recipientium ab Hæreticis, & præciſis contra prohibitionem Eccleſiæ; nam ex hoc ipſo, quod aliquis Hæretico præciſo ab Eccleſia in Sacramentis communicat, peccat, & ita fictus accedit, & gratiam conſequi non poteſt, niſi forte in Baptiſmo in articulo neceſſitatis; Hæc S. Thomas cum Innocentio.

Idem docet *diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. nam vbi docuit, quod etiã mali Sacerdotes habent vſum Clauium; Obijcit ſibi tertio loco Sanctum Auguſtinum *lib.* 2. *contra Creſconium Grammaticum*, dicentem, quod Sacramentum gratiæ dat etiam Deus per malos, ipſam verò gratiam nonniſi per ſe ipſum, vel per Sanctos ſuos, & ideò remiſſionem peccatorum per ſe ipſum facit, vel per ipſius Columbæ membra, ſed remiſſio peccatorum eſt vſus clauium; Ergo peccatores, qui non ſunt Columbæ membra, vſum Clauium non habent. Reſpondet, quod S. Auguſtinus membra Columbæ nominat omnes ab Eccleſia non præciſos. Qui enim ab eis Sacramenta recipiunt, gratiam conſequuntur, non autem, qui recipiunt ab illis, qui ſunt ab Eccleſia præciſi, quia hoc ipſo peccant, excepto Baptiſmo, quem in caſu neceſſitatis, licet etiam ab Excommunicato recipere.

Cæterùm quod nec validè ab Hæretico, vel Schiſmatico Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtretur docet Sanctus Thomas *in* 4. *ſent. diſt.* 25. *art.* 2. citato in ſolutione primi argumenti. Ibi

Ibi enim aſſignat rationem, ob quam Hæretici, & ab Eccleſia præciſi poſſint Ordines conferre, non verò abſoluere, vel ligare, & eſt illa, *quod effectus abſolutionis, non eſt alius, quam remiſſio peccatorum, quæ per gratiam fit, & ideò Hæreticus non poteſt abſoluere, ſicut nec gratiam conferre, & iterum quia ad abſolutionem requiritur iuriſdictio, quam non habent ab Eccleſia præciſi*.

Idem docuerat *diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. ibi enim ait, quod in Schiſmaticis, & Hæreticis, Excommunicatis, & ſuſpenſis manet clauium poteſtas, quantùm ad eſſentiam, ſed vſus impeditur ex parte materiæ; Cum enim vſus clauium prælationem in vtente requirat, reſpectu eius, in quem vtitur propria materia, in quam exercetur vſus clauium, eſt homo ſubditus, & quia per ordinationem Eccleſiæ vnus ſubditur alteri, ideò etiam per Eccleſiæ Prælatos poteſt ſubtrahi alicui ille, qui erat ei ſubditus, Vndè cum Eccleſia Hæreticos, & Schiſmaticos, & alios huiuſmodi priuet ſubtrahendo ſubditos, vel ſimpliciter, vel quantum ad aliquid, quantùm ad hoc, quo priuati ſunt, non poſſunt vſum clauium habere.

Et cum ſibi obieciſſet, quod ſicut poteſtas clauium, dependet ab ordine, ita & poteſtas conficiendi, ſed Schiſmatici, & Hæretici, & alij ab Eccleſia ſeparati non poſſunt amittere vſum poteſtatis conficiendi Euchariſtiam, quia ſi conficiunt confectum eſt, quamuis peccent conficiendo, ergo etiam non poſſunt amittere vſum clauium. Reſpondet, quod materia Sacramenti Euchariſtiæ, in quam vſum poteſtatis exercet Sacerdos, non eſt homo, ſed panis triticeus, & in Baptiſmo homo ſimpliciter, vndè ſicut ſi ſubtraheretur Hæretico panis triticeus conficere non poſſet, ita nec, ſi ſubtrahatur prælatio abſoluere poteſt, poteſt tamen baptizare, & conficere, quamuis ad ſui damnationem.

Cum ergo in hoc perpetuus ſit Sanctus Thomas, quod Hæretici, & Schiſmatici omni prorſus iuriſdictione careant, ideoque abſoluere nunquam poſſint, ſed ſolum Baptiſmum in caſu neceſſitatis adminiſtrare, euidens eſt iuxta S. Doctorem ab Hæreticis, & Schiſmaticis, nec licitè, nec validè Pœnitentiæ Sacramentum, adhuc in caſu neceſſitatis, ſeù in articulo mortis adminiſtrari.

Nec obſtat, quod S. Doctor *diſt.* 20. *quæſt. vnica art.* 1. *quæſtiunc.* 2. dicat, quemlibet Pœnitentem in articulo mortis à quolibet Sacerdote abſolui poſſe. Nam id in terminis habilibus à Doctore Sancto intelligi certum eſt; ſcilicet, quemlibet Sacerdotem aliàs non inhabilem, & ab Eccleſia non præciſum, quemlibet in articulo mortis abſoluere poſſe: Hac enim ratione, & Concilium Tridentinum intelligendum eſſe, cum dicit, Sacerdotes omnes abſoluere poſſe in articulo mortis, dicemus infra, & hunc eſſe Sancti Thomæ ſenſum *loc. cit.* patet etiam ex his, quæ docuerat *diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. ibi enim dixerat ſolum Baptiſmum in caſu neceſſitatis licitum eſſe recipere ab his, qui ſunt ab Eccleſia præciſi, quod & docet alijs locis ſupra allegatis, vndè iuxta ea, quæ alibi docet accipiendum eſt, quod docet *quæſtiunc.* 2. *citata*.

Sed ex his, quæ habet S. Doctor in

eadem quæſtiuncula, manifeſtè apparet, ipſum nonniſi de Sacerdote in Eccleſiæ vnitate viuente intelligere, quod ait, quemlibet Sacerdotem poſſe in articulo mortis quemlibet Pœnitentem abſoluere; Primò, quia loquitur de Sacerdote, qui ex ordinatione Eccleſiæ habet iuriſdictionem limitatam, vel nullam, at Sacerdos Hæreticus caret iuriſdictione, nedum ex ordinatione Eccleſiæ, ſed etiam ex propria ratione, quia videlicet eſt ab Eccleſia præciſus, vt diximus ſupra. Secundò, quia in ſolutione primi argumenti, ait, quod quia Eccleſia acceptat, vt quilibet Sacerdos abſoluere poſſit in articulo mortis, ideò ex hoc ipſo quis iuriſdictionis habet vſum, quamuis iuriſdictione careat: Certum eſt autem, quod Eccleſia non acceptat, vt etiam Sacerdos Hæreticus abſoluere poſsit in articulo mortis, immò id prohibet, vt conſtat ex dictis; & ſaltem negari non poteſt, id valdè controuerti inter Doctores, quorum nobilior portio negantem ſententiam amplectitur. Tertiò, quia S. Doctor ait, ad ſuum intentum facere auctoritates in littera appoſitas, ſcilicet in Textu Magiſtri Sententiarum, & ſunt illæ, Prima Leonis Papæ dicentis, quod his, qui tempore neceſsitatis, & periculi vrgentis inſtantia, præſidium Pœnitentiæ, & munus reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio neganda, quia miſericordiæ Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire. Secunda eſt Concilij Carthaginenſis, qua dicitur, quod Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, ſi vltima neceſsitas cogat. Ex his auctoritatibus, illa Leonis nil aliud habet, niſi quod in caſu neceſsitatis miſericordiæ Dei menſuras non poſſumus ponere, hoc eſt in caſu neceſsitatis, non debemus negare, quod Pœnitentes abſolui poſsint ab omnibus Sacerdotibus, aliàs tamen capacibus, & ab Eccleſia non præciſis. Secunda verò auctoritas ex Concilio Carthaginenſi loquitur manifeſtè de Presbytero Catholico, & Eccleſiæ Catholicæ vnito, nam loquitur de Sacerdote illo, qui extra caſum neceſsitatis, non poteſt reconciliare pœnitentem, niſi conſulto Epiſcopo, & in caſu neceſsitatis inconſulto Epiſcopo; hæc autem de Sacerdote, ſeù Presbytero in vnitate Eccleſiæ viuente manifeſtè intelliguntur, nam Sacerdos ab Eccleſia præciſus extra caſum neceſsitatis etiam conſulto Epiſcopo, non reconciliat pœnitentem. Cum igitur S. Thomas pro ſententia ſua facere affirmet auctoritates præfatas, & præfatæ auctoritates nonniſi de Sacerdotibus in vnitate Eccleſiæ viuentibus loquantur, & Sanctum Thomam nonniſi de iiſdem Sacerdotibus *quæſtiunc. cit.* loqui euidens eſt.

Reſpondetur his, quæ pro ſe afferunt Aduerſarij ex Concilio Conſtantienſi.

Afferunt pro ſe Aduerſarij Conſtitutionem Concilij Conſtantienſis, quæ, vt refertur à S. Antonino in ſua Summa *3. par. tit. 24. de Excommunicatione minori cap. 5.* eſt tenoris ſequentis.

Ad

Ad euitandum ſcandalum, & multa pericula, quæ conſcientijs timoratis contingere poſſunt: Chriſti fidelibus tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicuius in Sacrorum adminiſtratione, vel receptione, aut alijs quibuſcumque Diuinis intus, & extra, prætextu cuiuſcumque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſeruare, niſi ſententia, vel cenſura huiuſmodi fuerit illata contra perſonam, Collegium, Vniuerſitatem, Eccleſiæ Communitatem, vel locum certum, vel certam à Iudice publicata, vel denunciata ſpecialiter, & expreſſa. Conſtitutionibus Apoſtolicis, & alijs in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque, ſaluo ſi quem pro ſacrilega manuum iniectione in Clericum ſententiam latam à Canone adeò notoriè conſtiterit incidiſſe, quod factum non poſſit aliqua tergiuerſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari: nam à Communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abſtineri iuxtà Canonicas ſanctiones in Concilio Conſtantienſi ſub Martino Quinto.

Ex hac igitur Conſtitutione arguũt Authores Aduerſi, quod non quilibet Excommunicatus vitandus ſit, nec quilibet Excõmunicatus prohibeatur adminiſtrare Sacramenta, ſed ſolùm ille, qui per ſententiam ſpecialem contra perſonam latam, nominatim denunciatus fuerit, aut notorius fuerit percuſſor Clerici: Cum autem non omnes Hæretici, aut Schiſmatici ſint nominatim per ſententiam ſpecialem Excommunicati denunciati, neque omnes ſint notorij percuſſores Clerici, Hæretici non Excommunicati nominatim, nec notorij percuſſores Clerici, poterunt iuxtà præfatam Conſtitutionem in caſu neceſſitatis confeſſionem fidelium excipere, Pœnitentiæ Sacramentum illis adminiſtrare, eoſque Sacramentaliter abſoluere.

Argumentum hoc retorquendum eſt in Opponentes; Nam illi ſe fundant præcipuè in Eccleſiæ pietate; Inquiunt enim Eccleſiam, vti piam Matrem, ſaluti filiorum ſufficienter conſuluiſſe: Non autem, inquiunt, filiorum ſaluti ſufficienter conſuluiſſet, ſi noluiſſet hæreticos, & Schiſmaticos Pœnitentem abſoluere in caſu neceſſitatis. At idem, eoſdem Opponentes neceſsè eſt dicere, quoad Excommunicatos denunciatos, & notorios Clericorum percuſſores, quod nempè Sancta Mater Eccleſia filiorum ſaluti, non ſufficienter conſuluiſſet, ſi noluiſſet excommunicatos denunciatos, & notorios Clericorum percuſſores, abſoluere pœnitentes in caſu neceſſitatis; Et tamen in præfata Conſtitutione decernitur, quod excommunicati denunciati, & notorij Clericorum percuſſores Sacramenta adminiſtrare non poſſint. Sicut ergò abſque præiudicio pietatis Sanctæ Matris Eccleſiæ potuit Concilium Conſtantienſe decernere, vt in nullo caſu excommunicati denunciati, & notorij Clericorum percuſſores Sacramenta adminiſtrare poſſint, ita & Summi Pontifices, & alia Concilia, abſque præiudicio pietatis Sanctæ Matris Eccleſiæ decernere potuerunt, vt Hæretici, & Schiſmatici Pœnitentiæ Sacramentum in nullo caſu, nec etiam in articulo mortis adminiſtrare poſſent, & ſicut ex hoc, quod Concilium Conſtantien-

ſe generaliter ſtatuerit, nullo prorſus excepto caſu, quod excommunicati denunciati,& notorij Clericorum percuſſores non poſſint Sacramenta adminiſtrare,non deducitur,quod Eccleſia non ſufficienter conſuluerit filiorum ſuorum ſaluti, ita neque deducitur ex eo,quod eadem Eccleſia ſtatuerit,vt Hæretici, & Schiſmatici in nullo caſu, etiam neceſſitatis poſſint Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare.

Ad argumentum verò ſolutio patet ex dictis, Conſtitutionem Concilij Conſtantienſis,cum ſtatuit Excommunicatos omnes, præter denunciatos, adminiſtrare poſſe Sacramenta, loqui de Excommunicatis illis, qui ad Sacramenta adminiſtranda aliud impedimentum non habent, niſi cenſuram Eccleſiaſticam,ac proindè loqui de ſolis Catholicis Excommunicatis: Idque conſtat ex ipſo contextu Conſtitutionis,nam in eo non fit mentio, niſi de his, qui aliqua cenſura Eccleſiaſtica ſunt innodati, & hoc impedimentum remouere intendit Concilium Conſtantienſe per Conſtitutionem illam, Ad euitandum, vt ait, ſcandalum, & multa pericula,quæ conſcientijs timoratis contingere poſſunt. Cùm enim de iure communi, omnes Excommunicati adminiſtrare Sacramenta prohibeantur, Concilium declarat, quod liceat Sacramenta recipere ab omnibus Excommunicatis,exceptis illis,qui per ſententiam aliquam ſpecialem in excommunicationem incidiſſe declarati fuerint.Hæretici autem, & Schiſmatici antecedenter ad omnem cenſuram,Sacramenta conferre prohibentur,ob hęreſim videlicet, ratione cuius præciſi ſunt ab Eccleſia, atque ideò omni iuriſdictione carent.

Idque etiam ex eo conſtat,quod in præfata Conſtitutione adminiſtratio Sacramentorum conceditur Excommunicatis non denunciatis generaliter, & non dumtaxat in caſu neceſſitatis, ac proindè Excommunicatis non denunciatis conceditur, quod adminiſtrare poſſint Sacramenta, etiam extra caſum neceſſitatis, igitur Conſtitutio loquitur de ſolis Catholicis Excommunicatis, nam non eſt credendum, quod Concilium ſtatuere voluerit, vt extra caſum neceſſitatis Hæretici notorij præſertim,& manifeſti, etſi non denunciati, licitè poſſint Sacramenta adminiſtrare, & præcipuè Sacramentum Pœnitentiæ.

Cum igitur hæretici, & Schiſmatici non ſint comprehenſi in Conſtitutione Conſtantienſi, & adſint rationes propriæ pro eorum exceptione, ab ea, quæ fit in illa Conſtitutione, quæ non faciunt pro merè excommunicatis; Hinc benè concluditur,quod ad ipſos non ſe extendat Conſtitutio. Pro quo faciunt plures Textus Canonici, & legales,vt: *Vbi militat diuerſa ratio non fit extenſio ad alios caſus, etiamſi videantur ſimiles*. Item. *Exceptio firmat regulam in non exceptis*. Item. *Lex non debet exire terminos ſuos*. Item. *A verbis legis non eſt recedendum*. Item. *Caſus omiſſus relinquitur diſpoſitioni Iuris*. Item. *Quod lex non dixit, nec nos dicere debemus*. Item. *A lege antiqua non eſt recedendum, niſi quatenus in noua id exprimitur*,& id genus plura,quæ referre longum eſſet.

Diſt. 32. q. 7. c. Dominus.

L. non aliter ff. de legibus.

l. ſi cum dotem, ff. de ſoluto matrim.

c. ſuſpectū de reſcrip. in 6.

c. cum expediat de elect. in 6.

Nec prætereundum, quod de Conſtitutione præallata Concilij Conſtantienſis in hac re obſeruat Fagnanus *in 1. par. 5. lib. Decretal. de Schiſmaticis*, & ordinatis ab eis *cap. Quod à Prædeceſſore*,

re, videlicet Conſtitutioni prædictæ Concilij Conſtantienſis derogatum videri per aliam Conſtitutionem Concilij Lateranenſis ſub Leone X. quæ habetur *ſeſſ.* 11. *in* §. *ſtatuimus*, vt ad vitandum ſcandala *tom.4. Conciliorum par.2.pag.* 117. *col.2.* Hæc enim Conſtitutio concordat de verbo ad verbum cum Conſtitutione edita Conſtantiæ, vſque ad verbum ſaluo, &c. ſed poſteà vbi Conſtantienſis excipit notorios Clericorum percuſſores ab adminiſtratione Sacramẽtorum, Conſtitutio Lateranenſis excipit generaliter omnes notoriè excommunicatos his verbis (Aut ſi notoriè in excommunicationis ſentẽtiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiuerſatione cælari, aut aliquo Iuris ſuffragio excuſari: nam à communione illius abſtineri volumus, iuxtà Canonicas ſanctiones) Hæc ibi: Quæ clauſula manifeſtè opponitur clauſulæ Conſtitutionis Conſtantienſis. In illa enim Catholici habilitantur ad communicandum cum excommunicatis, etiam notoriè ante denunciationem, niſi ſint notoriè excommunicati propter ſacrilegam manuum iniectionem in Clericos. In hac verò prohibentur communicare indiſtinctè cum omnibus excommunicatis, etiam non denunciatis, quorum crimen eſt adeò notorium, vt nulla poſſit tergiuerſatione cælari, iuxtà *Text. in cap. Tua nos &c. & c. fin. de cohabit. Cleric. & Mulier.* ergò in hac parte Conſtitutio Lateranenſis tanquam poſterior derogauit Conſtantiẽſi, licet illius nullam fecerit mentionem, vt ex *Text. in cap.* 1. vbi id notant Gloſſa, Archidiac. Io. Mon. Io. Andr. Gemin. & reliqui omnes *de Conſtitut. lib. 6.* & de Conſtitutionibus Conciliaribus, quæ inuicem aduerſantur, tradunt Turrecrem. & Præpoſ. *in cap. Domino Sancto* 50. *diſt.* Cum autem Hæretici notorij, etſi non ſint denunciati, ſint tamen notoriè excommunicati, ex vi Conſtitutionis Lateranenſis vitandi ſunt, ita vt non poſſint Sacramenta adminiſtrare; & hinc ruit argumentum deſumptum ex Conſtitutione Conſtantienſi, nam ſtandum videtur diſpoſitioni Conſtitutionis Lateranenſis, quæ Conſtantienſi hac in parte derogauit.

Nec obſtat, ſubdit Fagnanus, quod ex conſuetudine iam receptum ſit, vt ad præſcriptum Conſtitutionis Conſtantienſis, non habeantur pro excommunicatis vitandis, niſi nominatim denunciati, & notorij percuſſores Clericorum.

Nam reſpondet, huiuſmodi conſuetudinem aduerſari antedictæ Conſtitutioni Concilij Lateranenſis, ac proindè non valere, vt in terminis alterius Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. etiam in materia ad fidem non pertinente docet Hoſt. *in c. Cum Laicis* 11. *de reb. Eccleſ. non alienan.* vbi ait, iſtud eſſe Concilium generale, quod eſt obſeruandum ſicut Euangelium *cap. Sicut* 15. *diſt.* Ergò non valet contraria conſuetudo.

Verumtamen quicquid ſit de hac Fagnani ſententia, & an, quam ipſe vocat conſuetudinem, dicenda ſit potius tolerantia Summorum Pontificum; certum eſt nullatenus tolerari, quod hæretici notorij, etſi non denunciati excommunicati, Sacramentum Pœnitentiæ, aut quodcumque aliud Sacramentum adminiſtrent. Et ex hoc ipſo confirmatur, quod iam diximus, Conſtitu-

ſtitutionem Conſtantienſem, cum ſtatuit, ab excommunicatis non denunciatis Sacramenta recipi poſſe, loqui duntaxat de Catholicis excommunicatis non denunciatis, non verò de hæreticis, vndè nullum in fauorem opinionis, quam confutamus, poteſt ex Conſtitutione illa deſumi argumentum.

Soluitur obiectio ex Concilio Tridentino petita, & affertur pro noſtra ſententia Declaratio Sacræ Congregationis Eminentiſsimorum DD. Concilij Tridentini Interpretum.

Obijcitur ſecundò. Concilium Tridentinum *Seſſ. 14. de Pœnitentia cap. 7.* vbi poſt ſtatutam reſeruationem caſuum hæc habentur. *Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet, pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.* His namque verbis, cum generalia ſint, & nullus excipiatur Sacerdos, videtur Sacrum Concilium comprehendere voluiſſe, etiam Sacerdotes hæreticos, & Schiſmaticos, eiſque facultatem à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluendi concedere; quæ facultas, inquit Vaſquez, magis vniuerſalis conferri non potuit. Quin & in Sacris Canonibus, vbi huius rei fit mentio abſolutè Eccleſia omnibus videtur committere hanc facultatem abſoluendi, quia nullum excipit. Hæc Vaſquez *tom. 4. in 3. p. q. 93. dub. 4.*

Hoc argumento ſententiam oppoſitam efficaciter probari aliqui exiſtimant. Sed falluntur. Nam Sacra Congregatio DD. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum ſpeciali declaratione docuit, & declarauit, verba illa Concilij; *Omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes in articulo mortis abſoluere poſſunt*, intelligenda eſſe de ſolis Sacerdotibus in vnitate Eccleſiæ viuentibus, cuiuſmodi non ſunt hætetici præſertim notorij, & manifeſti, aut excommunicati denunciati: Declarationem hanc affert Fagnanus *in 4. libr. Decretal. De Sponſalibus, & Matrim. cap. Non eſt vobis*; eſt autem, quæ ſequitur.

Epiſcopus Valentinenſis petijt declarari. Vtrum pœnitentes in articulo mortis conſtitutos poſſit in caſibus reſeruatis abſoluere quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, & denunciatus, vt tenuit Nauarrus de regulis Cõfeſſariorum *cap. 27. nu. 272. verſ.* quod per eadem verba, fol. 551.

Congregatio Generalis Moron., Alciat., Senonenſ., M. Alt. Alban., S. Sixti, cenſuit non poſſe. Quia communis opinio videtur illa, quod tales Excommunicati non poſſint etiam in hoc caſu neceſſitatis. Magiſter Sent. *in 4. diſt. 19.* Sanctus Thomas *in 3. pa. q. 82. art. 7. ad 2. & in 4. ſent. diſt. 19. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad. 3.* Durandus *in 4. diſt. 19. q. 2. num. 17. in reſp. ad 4.* Capreol. *in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 3.* Turrecrem. *in cap. 2. num. 2. de Pœnit. diſt. 6.* S. Antoninus *in 3. par. tit. 14. cap. 19. §. Quinta decima conditio*, Bachon. *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 2.* Scotus *in 4. diſt. 19. quæſt. vnica art. 4.* Richard. *in 4. d. 18.*

d. 18. *art.* 4. *quæſt.* 3. Alex. de Aleſ. *in* 4. *par. quæſt.* 20. *membr.* 8. *art.* 2. Nauarr. *in Manuali cap.* 26. *num.* 26. *facit cap. Audiuimus* 24. *quæſt.* 1. Abbas *in cap. Cum Clericis de Ordin. ab Epiſc. qui renunc.* Decius *in l. more ff. de Iuriſd. omnium Iud.* licet contra teneant Palud., Sylueſter, & Petrus Sotus. Nec obſtat *c. 7. de caſuum reſeruatione*, quia debet intelligi de omnibus Sacerdotibus in vnitate Eccleſiæ viuentibus, referendumque ad eos Sacerdotes, de quibus eodem *cap.* 7. in prima, & ſecunda parte agitur, qui habent vel ordinariam, vel delegatam poteſtatem. Hactenus Sacra Congregatio.

Retorquetur ergò, & hoc argumentum in Opponentes, & ſit ineluctabile contra illorum ſententiam: Nam Concilium Tridētinum, vbi de hac re agit, cum inquit, quod Sacerdotes omnes in articulo mortis quoslibet à quibuslibet caſibus, et cenſuris abſoluere poſſunt, id non de omnibus indiſcriminatim Sacerdotibus intelligit, ſed de illis dumtaxat, qui in vnitate Eccleſiæ viuunt, et ab ea generalitate excludit Excommunicatos Denunciatos, & Hæreticos pręſertim notorios, et manifeſtos, nam hi nullatenus in vnitate Eccleſiæ viuunt. Hanc enim eſſe Sacri Concilij mentem in laudatis verbis declarauit Sacra Congregatio Cardinalium eiuſdem Concilij Interpretum, inter quos, vt benè obſeruat Fagnanus, aderat Cardinalis Moronus, qui paulò ante fuerat Legatus Apoſtolicus in Concilio, et cuius directione omnia agebantur: Vndè ſi Patres Concilij in decreto de caſuum reſeruatione, voluiſſent includere Sacerdotes Excommunicatos Denunciatos, et Hęreticos, aliosque ab Eccleſia præciſos, idem Cardinalis non conſenſiſſet, vt fieret declaratio, in qua declararetur, vt in eo decreto, cum dicitur, *in articulo mortis omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſe*, debere intelligi cum limitatione illa. *Omnes Sacerdotes in vnitate Eccleſiæ viuentes.*

Et quamuis Epiſcopus Valentinen. de Sacerdote præſertim Excommunicato, & denunciato quæſtionem Sacræ Congregationi propoſuerit, petendo ab ea, vtrum pœnitentes in articulo mortis conſtitutos poſſit in caſibus reſeruatis abſoluere quilibet Sacerdos, etiam Excommunicatus, & denunciatus: Et Sacra Congregatio reſponderit, *Non poſſe*, eadem tamen Sacra Congregatio in eadem declaratione ſoluit argumentum petitum *ex cap. 7. Seſſionis* 14. *Concilij Tridentini*, de caſuum reſeruatione, vbi dicitur, quod omnes Sacerdotes, quemlibet in articulo mortis pœnitentem, à quibuſuis caſibus, & cenſuris abſoluere poſſint. Et declarat id non nonniſi de Sacerdotibus in vnitate Eccleſiæ viuentibus intelligendum eſſe; Et per hoc declarat etiam, nec Hæreticos, notorios præſertim, et manifeſtos, in caſu mortis Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare poſſe, nam hi non viuunt in vnitate Eccleſiæ.

Præterquamquod, cum Sacra Congregatio declarat Excommunicatos, & denunciatos non poſſe pœnitentes in articulo mortis conſtitutos in caſibus reſeruatis abſoluere, potiori iure hoc ipſum, nec Hæreticos poſſe declarat, nam Hæretici ſunt ab Eccleſia magis præciſi, quàm Catholici excommunicati.

Sed ex hoc ipſo, quod Sacra Congre-

gregatio declaret, Excommunicatos, & denunciatos, non poſſe pœnitentes in articulo mortis abſoluere, aduerſariorum ſententia omninò deſtruitur, nam ipſi volunt, generaliter Sacerdotes omnes, etiam excommunicatos, & denunciatos pœnitētem in articulo mortis conſtitutum abſoluere poſſe: Sacra verò Congregatio, expreſsè declarauit Sacerdotes excommunicatos, & denunciatos in articulo mortis abſoluere non poſſe.

Illud etiam adnotandum, quod cum Sacra Congregatio declarat excommunicatos, & denunciatos non poſſe pœnitentem in articulo mortis conſtitutum abſoluere, id comprehendit etiam Hæreticum denunciatum Excommunicatum; & ex hac etiam parte ruit Aduerſariorum ſententia. Ex omni tamen parte ruit, quia Hæreticus, ſiuè ſit denunciatus Excommunicatus, ſiuè non ſit Excommunicatus denunciatus, Pœnitentiæ Sacramētum, etiam in caſu mortis adminiſtrare prohibetur ex Sacro Concilio, nam Sacra Congregatio declarauit, ſolùm Sacerdotes in vnitate Eccleſiæ viuentes in articulo mortis abſoluere poſſe; nam facultatem in caſu mortis abſoluendi, nonniſi Sacerdotibus in vnitate Eccleſiæ viuentibus conceſſam declarauit; Hæretici autem in vnitate Eccleſiæ non viuunt.

Excuſat Fagnanus recentiores, qui in oppoſitam ſententiam abierunt, quod præfatæ declarationis notitiam non habuerint, & controuerſiam hanc à Tridentina Synodo deciſam putauerint. Sed non videntur excuſandi. Nam, etiam independenter ab ea declaratione, ex mera Textus inſpectione apparet, Concilium, cum ait, Omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes in articulo mortis à quibuslibet peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt, eos dumtaxat Sacerdotes intellexiſſe, qui in vnitate Eccleſiæ viuunt, & ex his non generaliter omnes, ſed illos, qui ordinariam, vel delegatam habeant poteſtatem, vt autem id euidens fiat, ante oculos ſubijciendum eſt integrum decretum Concilij, & illius verba diligenter expendenda. Eſt autem quod ſequitur.

Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Magnoperè verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam, & grauiora crimina, non à quibuſuis, ſed à Summis dumtaxat Sacerdotibus abſoluerentur. Vndè meritò Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus Excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſeruationem, conſonum eſt

Di-

Diuinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditū ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt: Extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices, pro beneficio abſolutionis accedant.

Decretum iſtud, vt benè obſeruat Fagnanus, tres habet partes. In prima generaliter definitur, ad validitatem abſolutionis neceſſariò requiri, vt Sacerdos habeat iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam in pœnitentem. In ſecunda ibi. *Magnoperè*, docet expedire, vt generalis hæc iuriſdictio limitetur, & reſtringatur mediante caſuum reſeruatione, ita vt à quibuſdam grauioribus criminibus, non indifferenter Sacerdotes omnes abſoluant, ſed Summi tantùm Sacerdotes, id eſt, Papa in vniuerſa Eccleſia, & Epiſcopi in ſua quiſque Diœceſi. In tertia ibi. *Verumtamen*, declarat nullam eſſe reſeruationem in articulo mortis, & ſublata differentia, quam ponit inter inferiores, & Summos Sacerdotes, & inter caſus reſeruatos, & non reſeruatos, docet, Sacerdotes omnes in mortis articulo poſſe abſoluere quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris. Quare ſenſus Concilij eſt manifeſtus, primò namque docet, quod nulla ſit abſolutio, ſi Sacerdos iuriſdictionem non habeat in pœnitentem: Secundò, quod hanc iuriſdictionem non habeant Sacerdotes inferiores in caſibus, quos Summi Sacerdotes ſibi reſeruarunt. Tertiò. *Ne hac ipſa occaſione* (id eſt reſeruationis caſuum) aliquis pereat, docet, quod nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes, id eſt, nedum Summi, ſed etiam inferiores, qui habent quidem iuriſdictionem, ſed, ob caſuum reſeruationem, ad eorum abſolutionem non ſe extendentem, abſoluere poſſint, quoſlibet pœnitentes, id eſt, tam ſubditos, quam aliàs in caſibus reſeruatis non ſubditos, à quibuſuis peccatis, & cenſuris, ſcilicet tam non reſeruatis, quàm reſeruatis. Sacerdotes autem, qui ſubdelegatam habent iuriſdictionem in pœnitentem, ſed limitatam, & extra caſum mortis ad caſus reſeruatos non ſe extendentem, ſunt Sacerdotes Catholici, & in vnitate Eccleſiæ viuentes; hi enim ſunt, qui abſoluere prohibentur ex vi reſeruationis, nam Sacerdotes præciſi, non prohibentur abſoluere ex vi reſeruationis, ſed ex vi præciſionis, qua ſunt ab Eccleſia præciſi, & ſeparati. Quapropter verba illa Concilij, *Omnes Sacerdotes &c.* reſtringuntur ad ſubiectam materiam reſeruationis. Item reſtringuntur ad Sacerdotes aliàs gaudentes iuriſdictione, quales non ſunt præciſi ab vnitate Eccleſiæ. Itē reſtringuntur, vt non includant caſum, in quo ſpecialis mentio requiritur, & in quo reperitur peculiaris repugnantia. His modis probat Fagnanus loco cit. à Doctoribus paſſim limitari regulam deſumptam *ex l. Iulianus ff. de leg. 3. & cap. ſi Romanorum 19. diſt.* id eſt, qui omnes dicit, nihil excludit. Et in ſpecie, quod verbum *Om-*

nes, reſtringatur ad perſonas habiles, etiamſi agatur de fauore publico, probat Textus irrefragabilis *in l. In prouinciali §. fin. iuncta l. ſeq. ff. de operis noui nunciatione.* Nam Textus dicit, Omnes Ciues opus nouum nunciare poſſunt, & *in l. ſeq.* redditur ratio, quia Reipublicæ intereſt, quamplurimos ad defendendam ſuam cauſam admitti: Et tamen verba illa, *Omnes Ciues* reſtringuntur ad habiles, & idoneos, vt ibi notat Gloſ. in verbo *Omnes Ciues*, vndè Pupillus, & mulier non admittuntur *l. de Pupillo ff. eodem, & l. Mulier ff. de popul. act.* Quare propoſitiones vniuerſales intelliguntur ſemper in terminis habilibus, & exceptis excipiendis, idque multò magis, quando ex contextu ipſo cogimur excipere, & limitare, Immò Textus ipſe excipit, & limitat in præſenti, vt conſtat ex dictis. Aduerſarij autem propriæ opinionis defendendæ ardore abrepti, nudam illam Concilij propoſitionem accipientes, *Omnes Sacerdotes in articulo mortis quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt*, non expenſo Textu, nec attentis antecedentibus, & conſequentibus more auium poſt alias auolantium, re non plenè diſcuſſa in eam iuerunt ſententiam, quam impugnamus.

Mirum eſt autem, quod recentiores aliqui dicunt. Fatentur enim Hæreticos iuxtà Sacros Canones, & ſecundum antiqua iura Pœnitentiæ Sacramentum, nec in caſu mortis poſſe adminiſtrare, omnique illos iuriſdictione carere, at ex noua Tridentini diſpoſitione, id poſſe, idque à Tridentino diſpoſitum, vt animarum fidelium ſaluti conſuleret. Quaſi per quindecim ſæcula Tridentinum præcedentia fidelium ſaluti conſultum non fuerit, & Concilium nouam in hac re diſpoſitionem fecerit. Cum tamen Concilium nouam nullam diſpoſitionem fecerit, ſed quod in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, probauerit; Vndè illud, quod *Omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes in articulo mortis, à quibuſuis caſibus, & cenſuris abſoluere poſſunt*, Concilium nouo, & ſpeciali Canone, aut decreto non definit, ſed ex eo, quod in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit deducit, vt ſatis oſtendit particula illa *Ideo*, ſic enim, inquit, Concilium: *Verumtamen piè admodùm, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.* Cum autem in Eccleſia cuſtoditum ſemper fuerit, vt Hæretici, nec etiam in articulo mortis, Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrent, vt conſtat ex dictis, idem & Concilium Tridentinum voluiſſe euidens eſt. Quod & allata Sacræ Congregationis declaratio confirmat, dum ab ea generalitate, qua dicitur Omnes Sacerdotes abſoluere poſſe, exceptos intelligi dicit iuxtà mentem Concilij Excommunicatos, & eos, qui in vnitate Eccleſiæ non viuunt. Cum autem hoc ipſum Concilium deducat ex eo, quod in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, in Eccleſia Dei id ſemper cuſtoditum fuiſſe conſtat, vt omnes Sacerdotes exceptis præciſis in articulo mortis abſoluere poſſint, hoſque etiam in Sacris Canonibus exceptos intelligi.

Nec ſub ſpecioſo titulo conſulendi ſalu-

ſaluti fidelium dici debet, quod Concilium Hæreticis indulſerit, vt Pœnitentiæ Sacramentum in articulo mortis conferre poſſint, nam potius dicendum, quod Eccleſia fidelium ſaluti non conſuluiſſet ſi Hæreticis Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandi facultatem in caſu mortis conceſſiſſet, eam enim facultatem Hæreticis concedere, eſſet ouium curam lupis committere, ſalutemque fidelium iuratis Eccleſiæ hoſtibus commendare, ac manifeſto periculo exponere. Periculum enim ab Hæreticis ſemper imminet, cum Hæretici poſſint, & curent fideles inficere, & errores ſuos docere, præſertim tempore mortis, calliditati Hæreticorum magis opportuno, ob fidelium tunc debilitatem, & non plenam mentis aduertentiam, ideoque ſemper adeſt periculum peruerſionis. Hinc Thomas à Ieſu Carmelita *de Conuerſione Gentium lib. 8.* rectè ait, quod quamuis Hæreticus ex iure Diuino abſolutè loquendo, non ſit Excommunicatus, nec ex conſequenti vitandus, ſed tantùm iure Canonico, interim tamen in Diuinis, & Sacris iure Diuino eſt vitandus, ſi ex communicatione cum Hæretico nobis periculum imminet noſtri ſpiritualis exitij, & interitus, videlicet perfidiæ, & Chriſtianæ religionis contemptus. Ideò S. Paulus Hæreticorum colloquia ſemper declinanda præcipit; Ad Rom. 16. *Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinare ab eis, nam per dulces Sermones, & benedictiones ſeducunt corda Innocentium.* 2. Tim. 3. *Hos deuita* Titum 3. *Hæreticum deuita.* 2. epiſt. Ioannis, *ſi quis venit ad vos, & hanc doctrinam affert, nolite recipere in Domum, nec aue ei dixeritis.*

Idem inculcant, & Sancti Patres; Ireneus *libr. 3. cap. 3. Apoſtoli, & horum diſcipuli habuerunt timorem, vt neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem.* S. Cyprianus libr. 1. Epiſt. 3. ad Cornelium, *Declinent,* inquit, *fortiter, & euitent dilectiſſimi fratres noſtri, verba, & colloquia eorum, quorum ſermo, vt cancer ſerpit.* Et infra. *Nulla cum talibus commercia, nulla colloquia miſceantur, ſimuſque ab eis tam ſeparati, quàm ſunt illi ab Eccleſia profugi.* S. Athanaſius de S. Antonio in eius vita. *Nunquam,* inquit, *Manichæis, aut alijs Hæreticis, ſaltem amicabilia verba largitus eſt, denuncians talium amicitiam, atque ſermones, perditionem eſſe animæ. Sic etiam Arianos deteſtabatur, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem eſſe accedendum.* Et ipſe S. Antonius iam moriturus. *Hæreticorum,* inquit, *& Schiſmaticorum venena vitate, mecumque circa eos odium ſectamini, ſcitis ipſi, quod nullus mihi, nec pacificus quidem ſermo, cum eis vnquam fuerit.*

S. Auguſtinus in epiſt. 62. *Hæreticum,* inquit, *ſicut vitandum monemus, ne infirmos, & paruulos fallat, ita non abnuimus, quibuſcumque modis poſſumus corrigendum.* S. Leo Serm. 18. de Paſſione Domini. *Viperea,* inquit, *Hæreticorum vitate colloquia, nihil vobis commune ſit cum eis, qui ſolo ſunt nomine Chriſtiani.*

Hæc autem, quæ ab Apoſtolis, & Sanctis Patribus de colloquio, & communicatione cum Hæreticis in ciuilibus dicta ſunt, multò magis de communicatione cum eiſdem in Diuinis, & mortis tempore ſunt attendenda,

vndè credendum eſt, quod Eccleſia inter Sacramentorum Miniſtros, nec etiam in articulo mortis, Hæreticos, & Schiſmaticos habere voluerit. Ideò ad propoſitum argumentum dicendum, quod etſi Concilium Tridentinum facultatem omnibus Sacerdotibus concedat quemlibet pœnitentem à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluendi, id tamen intelligit de Sacerdotibus aliàs capacibus, & habilibus, de illis ſcilicet, qui viuunt in vnitate Eccleſiæ. Immò neque generaliter de omnibus, qui viuunt in vnitate Eccleſiæ, ſed de his, qui aliàs habent poteſtatem abſoluendi ordinariam, vel delegatam, & idem dicendum, cum in Sacris Canonibus decernitur nullam eſſe reſeruationem in articulo mortis, vti ſemper cuſtoditum fuiſſe in Eccleſia Dei, dicit Concilium in laudato Decreto, & conſtat etiam ex Sacris Concilijs, & Canonibus ad marginem dicti Decreti ad hoc allegatis, & ſunt Concilium Carthaginenſe 4. *Can.* 76. Toletanum 11. *Can.* 11. *cap. Paſtoralis* §. *Præterea de offic. Ordin. c. fælicis de Pœnit. in 6. Clem. Cupientes, eod. cap. Inter cunctas* §. *duos de priu. in Extrauag. comm.* nàm certum eſt in his non cōcedi facultatem abſoluendi niſi Sacerdotibus in vnitate Eccleſiæ viuentibus, & aliàs facultatem abſoluendi ordinariam, vel delegatam habentibus, nam cum tollitur reſeruatio, conceditur facultas abſoluendi Sacerdotibus illis, quibus aliàs facultas limitata fuerat ad caſus non reſeruatos, ac proindè etiam Sacerdotibus illis, qui aliàs habebant iuriſdictionem delegatam.

Quod verò Sacerdotes ſimplices, non approbati, nullamque aliàs iuriſdictionem habentes, in Eccleſiæ tamen vnitate viuentes, abſoluere poſſint pœnitentes in articulo mortis habetur ex Concilio Carthaginenſi 11. *Can.* 3. & refertur *Cap. Presbyter diſt.* 26. *quæſt.* 6. Nam ibi dicitur: *Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo vltima neceſſitas cogat*; vbi licet Concilium videatur loqui de reconciliatione ſolemni pœnitentis, dum tamen excipit articulum mortis, clarè deducitur, intelligendum eſſe etiam de abſolutione ordinaria priuata, & dum ait, quod non reconciliet abſente Epiſcopo, certum eſt loqui de Sacerdote aliàs non habente iuriſdictionem, quæ tamen illi in eo caſu ab Eccleſia tribuitur. Certum eſt autem Concilium Carthaginenſe ibi loqui de Sacerdote Catholico in vnitate Eccleſiæ viuente, nam loquitur de Sacerdote, qui ſubſit Epiſcopo, talis autem non eſt Sacerdos Hæreticus, aut Schiſmaticus.

Præterea: quilibet Sacerdos ſimplex etiamſi nullam aliàs habeat iuriſdictionem, poteſt quemlibet pœnitentem à quibuſuis caſibus, & cenſuris in articulo mortis abſoluere, quia hæc praxis viget in Eccleſia, & Eccleſia acceptat, vt quilibet Sacerdos abſoluere poſſit in articulo mortis, ideò ex hoc ipſo quis vſum iuriſdictionis habet, quamuis iuriſdictione careat, inquit Sanctus Thomas *in* 4. *ſent. diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. *ad* 2. At Eccleſia non acceptat, vt etiam Sacerdos Hæreticus abſoluere poſſit pœnitentem in articulo mortis, nec huiuſmodi praxis eſt in Eccleſia.

Vlterius iuriſdictio non confertur

ſine

ſine prælatione in eum, in quem exercenda eſt, & cum non deceat Hæreticum Catholico, nec etiam in foro interiori præficere, ideò conuenienter Eccleſia, nec in foro interiori iuriſdictionem Hæretico in Catholicum conceſſit. Hinc S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 10. docet. Infidelibus non eſſe concedendum dominium, & prælationem ſuper fideles, & licet loquatur de dominio, & prælatione temporali, & externa, quæ tamen affert, probant etiam nec dominium in foro interno infidelibus ſuper fideles concedendum eſſe. Sic enim ait in argumento. Sed contrà. Ad eum, qui præeſt, pertinet habere iudicium ſuper eos, quibus præeſt, ſed infideles non poſſunt iudicare de fidelibus; Dicit enim Apoſtolus 1. ad Corinth. *6. Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, id eſt, infideles, & non apud Sanctos?* Ergo videtur, quod infideles fidelibus præeſſe non poſſint.

In corpore verò articuli ait, quod ſi loquamur de dominio, vel prælatione infidelium ſuper fideles de nouo inſtituenda, hoc nullo modo permitti debet; cedet etenim hoc in ſcandalum, & in periculum fidei, de facilè enim illi, qui ſubijciuntur aliorum iuriſdictioni immutari poſſunt ab eis, quibus ſubſunt, vt ſequantur eorum imperium, niſi illi, qui ſubſunt, fuerint magnæ virtutis, & ſimiliter infideles contemnent fidem, ſi fidelium defectus cognoſcant, & ideò Apoſtolus prohibuit, vt Fideles non contendant in iudicio coram Iudice infideli, & ideò nullo modo permittit Eccleſia, quod infideles acquirant dominium ſuper fideles, vel qualitercumque eis præficiantur in aliquo officio. Hæc S. Thomas, quæ optimè quadrant in rem præſentem.

Soluitur alia obiectio Gabrielis Vaſquez.

OBijcit præterea Vaſquez loco citato; Quod vt plures volunt, iure Diuino conceditur cuilibet Sacerdoti iuriſdictio in articulo mortis, ergo nunquam deletur, ſicut nec character ad conſecrandum, & ita manet in Hæreticis; Et S. Thomas *in 4. ſent. diſt. 19. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1.* ſine limitatione docet, quemlibet Sacerdotem in quemlibet vti poſſe claue in caſu neceſſitatis, & ex ſententia Capreoli *in 4. diſt. 19. quæſt. 1. in ſolut. 4. contra 3. concluſ.* Sequitur hæc ſententia, ſcilicet, Omnem Sacerdotem aliàs quocumque modo impeditum, & etiam Hæreticum, eo tempore eſſe legitimum Iudicem, quia ſi iure Diuino conceditur, vt ipſe Capreolus inquit, iuriſdictio in articulo mortis, ergo nunquam deletur, ſicut nec character ad conſecrandum, & ita manet in Hæreticis.

Sed etiamſi dicamus, proſequitur Vaſquez, iure humano competere etiam in articulo mortis, quemlibet poſſe abſoluere; quod tamen Hæreticis ſit negata hæc facultas, & ſublata materia, dupliciter contingere poteſt; primò, quia ipſi in ſe incapaces efficiuntur ipſa infidelitate, aut quia Eccleſia de facto negauit illis materiam: primum dici non poteſt, quia ſi infidelitate non deletur character Sacerdotalis, ſic non deletur quoad vtramq;

pote-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

poteſtatem ex parte effectiui principij, ſcilicet quoad conſecrandum, & abſoluendum, ſed ita conſtituti manent à Chriſto Iudices ad abſoluendum per illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Sicut per illa, *Accipe poteſtatem miſſas celebrandi*, Sacerdotes ad conſecrandum, ergo idonei manent, vt eis ſubdi poſſit auctoritate Eccleſiæ materia iuriſdictionis, in quam poſſunt operari, ac proindè etiamſi in Hæreticis non ſit fides, non ideò deeſt fundamentum iuriſdictionis, cum non deſit fundamentum characteris, & ita neque clauis in ordinatione collatæ, & conſequenter, nec iuriſdictionis actualiter habentis materiam ſibi ſubditam. Quarè deficientia fidei in Hæretico, inquit Vaſquez, non obſtat, quin Hæreticus in articulo mortis poſſit quemlibet abſoluere, & ex hoc ſequeretur etiam abſolutionem collatam ab Hæretico interiori eſſe nullam, etiamſi bona fide facta fuerit, quia in illo deerat fides; Vndè & fundamentum iuriſdictionis, & ſic tenerentur omnes confeſſiones repetere, quas integrè, & perfectè coram Parocho fecerunt, quem tamen cognouerunt poſtea Hæreticum fuiſſe interiorem eo tempore. Sed neque ſecundum dici poteſt; Quod Eccleſia, ſcilicet ſubtraxerit materiam Hæretico, quoniam hoc nullo fundamento probari poteſt, cum abſolutè Eccleſia, vbi huius rei ſit mentio, omnibus videatur committere hanc facultatem, quia nullum excipit Sacerdotem, & verè committit ijs, qui alias facultatem ad hoc non habebant, facultatem abſoluendi à reſeruatis, quod idem eſt. Hæc Vaſquez.

Reſpondetur, immeritò à Vaſquez pro ſe allegari S. Thomam, & Capreolum locis citatis; nam S. Thomas quæſtiuncula illa non docet, Sacerdotem, etiam præciſum vti poſſe claue in articulo mortis, ſed docet, Sacerdotem in vnitate Eccleſiæ viuentem, id eſt, illum, qui de facto à Summo Sacerdote accepit poteſtatem iuriſdictionis in aliquos determinatè, vti eſt Parochus, poſſe in neceſſitatis articulo, vti claue etiam in illos, qui non ſunt ſibi ſubditi: ait enim; quod *ſicut in Cæleſti Hierarchia ſub poteſtatibus, quæ indiſtinctè præſunt, præponuntur Principatus, qui ſingulis Prouincijs diſtribuuntur; & ſub his Angeli, qui ſingulis hominibus in cuſtodiam deputantur, ita & in prælatione Eccleſiæ militantis debet eſſe, vt apud aliquem eſſet prælatio indiſtinctè in omnes, & ſub hoc eſſent alij, qui ſuper diuerſos diuerſam poteſtatem, & diſtinctam acciperent. Et quia vſus clauium requirit aliquam prælationis poteſtatem, per quam ille in quem vſus clauium communicatur, efficiatur materia illius actus, ideò ille, qui habet indiſtinctam poteſtatem ſuper omnes, poteſt vti clauibus in omnes. Illi autem, qui ſub eo diſtinctas poteſtates acceperunt, non in quoslibet vti poſſunt clauibus, ſed in eos tantùm, qui eis in ſortem venerunt, niſi in neceſſitatis articulo, vbi nemini Sacramenta ſunt deneganda.*

In his autem non habetur, quod iure Diuino cuilibet Sacerdoti etiam præciſo concedatur iuriſdictio in articulo mortis, ſed ſolùm, quod Deus eum ordinem in Eccleſiam militantem induxerit, quod ille, qui habet indiſtinctam poteſtatem ſuper omnes poſſit vti clau-

clauibus in omnes, illi autem, qui ſub eo diſtinctas poteſtates acceperunt, non in quoslibet vti poſſunt clauibus, ſed in eos tantùm, qui eis in ſortem venerunt, niſi in articulo neceſſitatis, vbi nemini Sacramenta ſunt deneganda: Solùm ergo vult S.Thomas, quod illemet Sacerdos, cui aliàs ab eo, qui habet indiſtinctam poteſtatem ſuper omnes, limitata eſt poteſtas in aliquos determinatè, poſſit in articulo neceſſitatis vti clauibus etiam ſuper eos, qui ei in ſortem non venerunt, id eſt ſuper eos, qui ei aliàs ſubiecti non fuerant. Vndè S.Thomas loquitur manifeſtè de Sacerdote Catholico, & in vnitate Eccleſiæ viuente.

Capreolus verò *loc. cit.* non dicit, iure Diuino concedi iuriſdictionem cuilibet Sacerdoti etiam præciſo in articulo mortis, immò expreſsè excludit præciſos, nam ad quartum argumentum Durandi refert, & probat ſolutionem, quam ipſemet Durandus ad argumentum à ſe allatum affert. Sic enim ait Capreolus; *Ad quartum inquit Durandus, dicendum eſt, quod ex ordinatione Chriſti eſt, quòd Oues Petri non regantur, nec ſubſint curæ, vel regimini cuiuſcumque, niſi ex commiſſione Petri mediata, vel immediata, directa, vel indirecta. Semper autem Sedes Petri voluit, quod in articulo mortis, quilibet Sacerdos non præciſus ab Eccleſia poſſet quemlibet abſoluere à peccatis in abſentia illius ad quem cura regulariter pertinet, etſi nollet in illo caſu, nihilominus poſſet non obſtante priuilegio Petri, quod non fuit ei datum ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, cum fuerit ei datum ad paſcendum oues. Vndè in illo caſu ceſſaret priuilegium Petri, & ſtaretur primæ ordinationi Chriſti de poteſtate clauium Ordinis, quæ ſe extendit ad omnem peccantem, & ad omne peccatum. Nec caſus neceſſitatis mutaret miniſterium, ſed ordinatio Chriſti, qui in tali caſu non dedit Petro priuilegium. Hæc Durandus, & bene conformiter Sancto Thomæ 4. ſent. diſt. 20. quæſtione prima, articulo primo quæſtiuncula ſecunda, in ſolutione primi, vbi ſic, ait, Aliquis poteſt vti iuriſdictione alterius ex eius voluntate, quia ea, quæ iuriſdictionis ſunt, committi poſſunt. Vndè quia Eccleſia acceptat, vt quilibet Sacerdos abſoluere poſſit quemlibet in articulo mortis, ideò ex hoc ipſo quis vſum iuriſdictionis habet, quamuis iuriſdictione careat.* Hactenus Capreolus.

Poſito autem, quod Sacerdotes omnes, exceptis præciſis, iuriſdictionem habeant ad abſoluendum in articulo mortis, quæſtio eſt inter Doctores, an eam iuriſdictionem habeant iure Diuino, vel Eccleſiaſtico. Vndè etiamſi dicatur ab aliquibus, eam iuriſdictionem haberi iure Diuino, non eſt ad rem, quod ſubdit Vaſquez, nempè quod ſi iure Diuino conceditur iuriſdictio in articulo mortis, ergo nunquam deletur, ſicut nec character ad conſecrandum, & ita manet in Hæreticis; non eſt hoc, inquam, ad rem, nam illimet, qui volunt, iuriſdictionem concedi iure Diuino Sacerdotibus omnibus, pro articulo mortis, id intelligunt de omnibus Sacerdotibus, exceptis præciſis, nam hos excipit, & Durandus, vt vidimus.

Ad

Ad ea verò, quæ poſtremò addit Vaſquez. Reſpondetur Hæreticos notorios, & manifeſtos, de quibus præcipuè quæſtio eſt in præſenti, ex eo; quod ſint extra Eccleſiam, & ab ea præciſi, ac ſeparati, incapaces eſſe iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, nam Hæretici notorij, & manifeſti, nullam omninò cum Eccleſia connexionem habent, & ideò incapaces ſunt iuriſdictionis, vt ſupra diximus cum Bellarmino, quidquid ſit de Hæreticis merè internis, aut occultis, & rurſus Eccleſia Hæreticos iuriſdictione perpetuò, & nullo prorſus excepto caſu priuat, & cum Eccleſia concedit generaliter Sacerdotibus facultatem, vt abſoluere poſſint pœnitentem in articulo mortis, intelliguntur ſemper excepti Excommunicati denunciati, & Hæretici, eiſque Eccleſia ſubditos ſubtrahit, vt conſtat ex dictis. Nec obſtat, quod in Hæreticis, permaneat character Sacerdotalis, nam ad abſoluendum Sacramentaliter, præter characterem Sacerdotalem, requiritur etiam poteſtas iuriſdictionis, & prælatio, ſeù ſubiectio ſubditorum; quæ in Hæretico non reperiuntur. Sed de hoc infra.

Præſtat hic ea etiam afferre, quæ habet S.Thomas *Quodlibet*. 12. *qu*. 19. *art*. 30. vbi ſic ait: *Quidam dicunt, quod quilibet Sacerdos poteſt abſoluere quemlibet à quolibet peccato, & licet malè faciat abſoluendo, tamen abſolutus eſt. Et ratio horum fuit, quia ſimul datur Presbytero in ſua ordinatione poteſtas conſecrandi Corpus Chriſti, & poteſtas clauium: Et ideò ſicut poteſt conſecrare quamlibet Hoſtiam, ita & poteſt abſoluere quemlibet. Sed hoc eſt erroneum, quia nullus poteſt abſoluere propria auctoritate, niſi eum, qui eſt aliquo modo ſibi ſubditus, quia actus ſiunt in materia propria: Et abſolutio Sacerdotalis habet iudicium annexum, & hoc, ſcilicet iudicium, non eſt niſi in ſubditos, & inferiores. Qui ergo non habet ſubditum, non poteſt abſoluere, & ſic iuriſdictio dat materiam Sacerdoti determinatam, ſecùs autem eſt de Hoſtia, quæ eſt materia determinata. Cui ergo nulla cura committitur, habet clauem ligatam, vt Iuriſtæ dicunt, ſcilicet, quia non habet omninò materiam.*

Aliorum recentiorum argumenta ſoluuntur.

ALij etiam recentiores alia proferunt argumenta, Obijciunt enim, quod eo ipſo, quod quis vtitur opinione probabili Doctorum, exiſtimantium habere iuriſdictionem, reuera illam habet, ſiuè habitualem, ſiuè actualem pro actu, quem hic, & nunc exercet. Id autem fundamentum habere dicunt *in l. Barbarius ff. de officio Prætoris*, quam volunt etiam in iure canonico locum habere, Vndè iuxta eam docent Sacerdotem illum, qui habet titulum coloratum iuriſdictionis ad abſoluendum, ſicque communi errore populi exiſtimatur Confeſſarius, etiamſi reuera communi; & ordinaria iuris via iuriſdictionem non habeat, validè tamen abſoluere, quia in omni Republica tàm ſæculari, quàm Eccleſiaſtica receptum eſt, vt Iudici putatiuo tribuatur à Superioribus iuriſdictio, actaque illius firma, & valida ſint propter commune Reipublicæ bonum, ne in illo fiat communis aliqua turbatio. At opinio afferens

rens Hæreticum externum, & notorium in articulo mortis validè abſoluere, eſt probabilis, ergo ipſe validè abſoluit.

Reſpondetur negando minorem, nempè quod opinio aſſerens, Hæreticum externum, & notorium in articulo mortis validè abſoluere, ſit probabilis, poſita namque declaratione Sacræ Congregationis ſuperius adducta, alijſque poſitis, quæ diximus ſuprà, & alijs, quæ dicemus infrà, præfata opinio non videtur mihi probabilis, ac proindè non interuenit error communis, vel illius loco probabilitas opinionis, vt Authores aduerſi contendunt: Nec dici poteſt opinio illa error communis, etiamſi probabilis eſſet, quia contradictores habet, & non ſuſtinetur ab omnibus.

Deficit etiam titulus coloratus, ſeù putatiuus nã titulus coloratus prouenire debet à legitimo Superiore, vt obſeruat Fagnanus in laudato tractatu de opinione probabili *n.*380.*ex c.dudũ* 2. *de elect.*& ibi docent Innocẽt.*n.*3. Hoſtien.ſuper *ver.Damnabiliter*, Io.Andr. *n.*42. Ant.de Butr.*n.*26. Card.*qu.*6.& Abb. *num.* 11. ait, quod etiamſi adſit communis error, non iuuat, ex quo deeſt authoritas, Superioris (nam *lex Barbarius ff.de offic.Prætor.*fundat ſe ſuper communi errore, & ſuper authoritate Superioris: nam ille Seruus, qui putabatur liber, habuit officium à Superiore, & ſic concurrebant ibi duo, ſcilicet authoritas Superioris, & communis error) At eo ipſo, quod Sacerdos affirmet, titulum putatiuum oriri tantùm ex opinione, & credulitate probabili, ſatis clarè hinc excluditur titulus proueniens à legitimo Superiore, igitur argumentum illud intentum non concludit.

Reſpondetur ſecundò, quod in omni Republica tàm Sæculari, quàm Eccleſiaſtica benè ordinata, cautum eſt, ne vllo caſu iuriſdictio cõcedatur membris ab ea præciſis, eiuſque hoſtibus notorijs, & manifeſtis; Hæretici autem notorij, & manifeſti præciſi ſunt ab Eccleſia, eiuſque notorij, & manifeſti hoſtes, atque ideò quod ſancitur *in l.Barbarius*, præter communem errorem, ac titulum putatiuum, quæ neceſſariò requiruntur, vt iuriſdictio in caſu ibi expreſſo conferatur, ſupponit, quod is, cui conceditur iuriſdictio, ſit de corpore eiuſdem Reipublicæ, & non ſit ab illa præciſus, eiuſque hoſtis, & Aduerſarius, qualis eſt Hæreticus in ordine ad Eccleſiam; Nec ex eo quod Hæretico negetur iuriſdictio ad abſoluendum pœnitentem in articulo mortis, oritur perturbatio aliqua in Eccleſia, nam in nulla Republica oritur perturbatio aliqua, ex eo, quod iuriſdictio ſuper ſuos ſubditos denegetur hoſtibus, & aduerſarijs eiuſdem Reipublicæ; præterquamquod caſus ille, quo Catholico in articulo mortis conſtituto, non interſit niſi Sacerdos Hæreticus, eſt rariſſimus, & ex hoc etiam capite non videtur Eccleſia debuiſſe legem concedere, qua iuriſdictionem etiam Hæreticis concedat, & in eodem caſu adeſt remedium certum, quod moribundus poteſt adhibere, ſcilicet Contritio; Vndè quod ex præfata lege Barbarius, deduci poteſt, aptari nequit caſui præſenti.

Præterea, vt rectè aduertit Ioannes Sanchez *diſp.* 44. *num.* 10. quòd ex communi errore, ac titulo putatiuo

conferatur iuriſdictio, id euenit, quia expreſsè lege illa *Barbarius ff. de offic. Prætor.* ita ſancitum eſt; At quod ex probabili opinione iuriſdictio conferatur nullo iure eſt decretum; Et quamuis in errore, & opinione, par procedat ratio, in voluntate tamen Superioris ſitum eſt, errori fauere, & non opinioni, & poteſt Superior conuenienter fauere errori, quia contingit, errorem communem eſſe, & non conferendo iuriſdictionem errantibus, turbationem inſurgere in Republica; Nullum autem horum occurrit, ſi non conferatur iuriſdictio exiſtimantibus opinionem aliquam eſſe probabilem, nam contingit, opinionem non eſſe probabilem apud omnes, & in caſu poſito negando iuriſdictionem, eam opinionem tenentibus, nullum oritur inconueniens; cum conſtitutus in articulo mortis recurrere poſſit ad remedium certum, ſcilicet contritionem, & aliàs, inconuenientia ſequerentur, ſi iuriſdictio Hæretico in eo caſu concederetur, vt ſupra dictum eſt.

Aduertit etiam ibidem Sanchez cũ Federic. *conſ.* 112. Franciſc. Nicaritio *in Repub. Rubrica, ff. de noui operis nunciatione num.* 224. Maſcard. & Caietan. relatis à Garzia 1. *to. de beneficijs par.* 5. *cap.* 4. *num.* 304. tunc errorem conferre iuriſdictionem, quando eſt circa factum, non quando error verſatur circa ius: Quando autem aliquis Sacramentum miniſtrat ex opinione probabili, cum periculo irritandi illud, ſi fortè à parte rei vera non ſit opinio, ex errore iuris procedit, non facti.

Quartò obijcitur. Quod ſententia docens Sacerdotem abſoluentem cum opinione probabili, de ſua iuriſdictione validè abſoluere, à multis annis circumfertur, imprimitur, & defenditur in publicis diſputationibus, & operibus, ità vt Pontifices, & Prælati non ignorent iſtam ſententiam ad praxim adhiberi; Et poſſent, ac deberent prohibere, ſi renuant dare hanc iuriſdictionem pro caſu, quo probabiliter iudicetur eſſe talis iuriſdictio. At ſententia aſſerens, Hæreticum iuriſdictionem habere ad abſoluendum in caſu mortis, docet, Hæreticum abſoluere iuxtà opinionem probabilem; Ergò de hac ſententia idem dicendum eſt, ac de ſententia docente, Sacerdotem abſoluere poſſe cum opinione probabili de ſua iuriſdictione, quòd nempè ſententia hæc non ignoretur à Pontificibus, & Prælatis, nec ab eis prohibeatur, ac proindè velint, Hæreticum in eo caſu habere iuriſdictionem.

Reſpondetur, ex declaratione Sacræ Congregationis Interpretum Concilij Tridentini ſuperius allata, ſatis conſtare, quod Eccleſia non probat, immò improbat opinionem aſſerentem Excommunicatum, & Hæreticum abſoluere poſse in articulo mortis; Authores autem, qui eam opinionem docuerunt, declarationem illam ignorarunt; Nec Pontifices probare cenſentur opiniones, quæ circumferuntur, & in Theſibus, aut operibus imprimuntur, & propugnantur; Multa enim permittuntur, quæ non ideò probantur, aliud enim eſt ratihabitio, aliud verò permiſſio, & quamuis ratihabitio de præſenti æquiualeat licentiæ expreſſæ, non tamen æquiualet permiſſio. Quare ex eo, quod permittatur impreſſio alicuius opinionis, ſeù propoſitionis, non ideò propoſitio illa probatur, aut rata habe-

tur,

tur, alias nulla propoſitio, aut opinio eſſet falſa, vel improbabilis, ſi omnis propoſitio, vel opinio, eo ipſo, quod eius impreſſio permittitur, cenſeatur approbata; Et multæ propoſitiones, quarum impreſſio aliquando permiſſa eſt, non potuiſſent poſtmodum ab Eccleſia damnari, quia per antecedentem permiſſionem, & impreſſionem cenſendæ eſſent iam probatæ; & tamen Eccleſia permultas opiniones, & propoſitiones damnauit, quarum diſputatio, & impreſſio prius permiſſa fuit. Cœterum ex hoc, quòd aliqua opinio reiecta non ſit ab Eccleſia non deducitur, quod ab Eccleſia probata ſit. Quare meritò Alexander VII. Summus Pontifex in decreto emanato anno 1665. hanc propoſitionem damnauit, quæ eſt vigeſima ſeptima in ordine, *ſi liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, reiectũ eſſe à Sede Apoſtolica tanquã improbabilẽ.*

Quintò obijciunt multiplicitatem Authorum, qui ſentiunt Sacerdotes Hæreticos, & Schiſmaticos, alioſque ab Eccleſia præciſos validè, ac licitè abſoluere pœnitentes in articulo mortis, ita vt hæc opinio videatur communis, & probabilior oppoſita, idque ex eo etiam, quod fidelium ſaluti magis fauere videatur, & pietati conformior appareat.

Reſpondetur, multiplicitati Authorum recentiorum, qui ſentiunt, Sacerdotes Hæreticos, & Schiſmaticos, alioſque ab Eccleſia præciſos abſoluere poſſe pœnitentes in articulo mortis, opponendum eſſe agmen nobiliorum Doctorum, præſertim veterum, qui contrarium affirmant; Inter quos, Princeps ipſe Theologorum Sanctus Thomas Doctor Angelicus, & omnes ferè Iuris Canonici Interpretes, quos in principio quæſtionis retulimus. Quare ſententiam negantem Hæreticos, & Schiſmaticos, alioſque ab Eccleſia præciſos poſſe pœnitentes in articulo mortis abſoluere, communem dixerunt Melchior Canus *Relect. de Pænit. par. 5.* Cardinalis Toletus, & Ioannes Azorius locis ſuprà citatis, & quod caput eſt, eamdem ſententiam communem dixit Sacra Congregatio Concilij Tridentini Interpretum, vt ſuprà vidimus.

Sed etſi multò plures eſſent Authores, qui affirmantem ſententiam docerent, his, qui docent ſententiam negantem, non ideò ſententia affirmans dicenda eſſet communior, aut probabilior, vt enim rectè obſeruat Io. Maior. apud Fagnan. de opinione probabili *num. 348.* non ſemper habendus eſt oculus ad multitudinem dicentium, ſed ſapientia cum numero conſideranda eſt, quia ſicut duos, vel tres debiliores valet vnus fortis, ſic vnus oculatus materiam diligenter inquirens, tres alios inferiores valet. Et Menoch. *de præſump. libr. 2. præſ. 7. num. 39.* ait, quod non dicitur communis opinio, quæ plures Doctores eam aſſerentes habet, nulla diſputatione præmiſſa, ſed perfunctoriè, & vt aiunt per tranſennam illam ſequentes. Et Thomas Sanchez *in Decal. libr. 11. cap. 9. num. 9.* ſimiliter ait, quòd non dicitur opinio communis ex Authorum numero, qui priorum veſtigia inſtar ouium ſequentes nulla diſcuſſione præmiſſa eam affirmant, ſed communis dicitur ſi pauciores Doctores habeat, qui vtriuſque rationibus diſcuſſis, & perpenſis illam

affirment. Nauarrus item in Manuali *cap.27.num.289.* ait, communem cenſeri opinionem approbatam à ſex, vel ſeptem Doctoribus Claſſicis, rem ex profeſſo tractantibus, quam quinquaginta ſola priorum authoritate ductis. Vaſquez *etiam* 1. 2. *Tom.* 1. *diſp.* 64. *cap.4.num.*13. Azor *tom.*1. *libr.*2. *cap.* 16. *quæſt.*5. Villalobos 1. *Tom. Summ. tract.*1. *diffic.* 4. *num.* 16. Sayrus Claui Regia *libr.*1. *cap.*6. *num.*8. Sanchez *in Summa libr.*1. *cap.*9. *num.*9. & *lib.*3. *de Matrim. diſp.*94. *num.*2. aiunt, quod negari non poteſt, turbam Doctorum aliquando amplecti vnam opinionem abſque delectu rationum, aut ſaltem non tam exactè rationibus ponderatis. Immò addit Ioannes Sanchez, vt opinio aliqua ſit probabilis, non ſat eſt, eam aſſerere Viros ſapientes, ſed etiam opus eſt, eam confirmare optimis argumentis.

Quare nihil curandum de turba recentiorum, qui hac in re affirmantem opinionem ſequuntur. Confert illud *Exodi* 23. *Ne ſequaris turbam ad faciendum iudicium*; Sed & recentiorum turbæ opponitur nobiliorum Doctorum agmen, qui, vt vidimus, negantem ſententiam rationibus vtriuſque partis exactè diſcuſſis, amplectuntur, quorum proindè ſententia communis cenſenda eſt.

Nec obſtat, negatiuæ ſententiæ Authores pro maiori parte antiquiores eſſe, quaſi eorum ſententia exoleta ſit, & à Scholis receſſerit, nam in quæſtionibus, quæ ab Eccleſiæ diſpoſitione dependent, recedendum non eſt ab antiquorum ſententia, niſi ob nouam Eccleſiæ diſpoſitionem, vt contigit in quæſtione illa; Vtrum Clericus in ſui defenſionem aliquem occidens incurrat irregularitatem; Cui ſecundùm antiqua iura, affirmatiuè reſpondendum eſſet, quia nempè iure antiquo ita ſancitum inuenitur; At quia in Clementina vnica de homicidio, *Si furioſus*, aliter ſancitum, nullam videlicet irregularitatem illum incurrere, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat inimicum, recedendum fuit ab Antiquorum opinione, de quo videri poſſunt, quæ diximus in noſtris Controuerſijs controuerſia vigeſima ſecunda. At in re præſenti nullum nouum ius ab Eccleſia conditum fuit, nec vlla noua Eccleſiæ diſpoſitio emanauit, qua Eccleſia decreuerit, Sacerdotes denunciatos Excommunicatos, Hæreticos, aliosque ab Eccleſia præciſos poſſe pœnitentes in articulo mortis conſtitutos Sacramentaliter abſoluere, eiſque Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare, ſed potius Eccleſiam antiquam hac in re diſpoſitionem ſe probare, ac ſequi proteſtatur, nam in Concilio Tridentino *Capite illo* 7. *de caſuum reſeruatione ſeſſionis* 14. *de Pœnitentia*, expreſsè ait, cuſtoditum ſemper in Eccleſia Dei fuiſſe, vt in articulo mortis nulla eſſet reſeruatio, & ideò in articulo mortis Omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis caſibus, & cenſuris abſoluere poſſe. Cum autem hoc ipſum Sacra Congregatio declaret intelligendum eſſe, exceptis Excommunicatis denunciatis, alijſque in Eccleſiæ vnitate non viuentibus, euidens eſt, & hanc exceptionem in antiquis iuribus intelligendam eſſe, nam vt diximus ſuprà, propoſitionem illam, & *ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis caſibus*, & *cen-*

& cenſuris in articulo mortis abſoluere poſſunt. Concilium non definit nouo ſpeciali Canone, aut Decreto, ſed eam deducit, ex eo, quod ait, ſemper cuſtoditum fuiſſe in Eccleſia, vt oſtendit nota illatiua; *Ideò*. Cum ergò Iura clament, Excommunicatos, ac denunciatos, & Hæreticos manifeſtos, omni Iuriſdictione, nulloque prorſus excepto caſu, perpetuò carere; Et alia iura, quæ Sacerdotibus omnibus facultatem abſoluendi in articulo mortis concedunt, nonniſi exceptis Excommunicatis denunciatis, & Hæreticis, alijſque in Eccleſiæ vnitate non viuentibus, intelligenda eſſe, Concilium Tridentinum iuxtà declarationem Sacræ Congregationis intelligenda decernat, nulla occurrit ratio, nullumque motiuum recedendi ab antiquorum ſententia, qui ſecundum antiqua iura, quæſtionem reſoluunt, vt ipſimet Authores aduerſi fatentur. Nec verò dici poteſt, tot inſignes Theologos, ac Iuris peritos, & præſertim S. Thomam, in eam ſententiam ire potuiſſe, ſi eam antiquis Iuribus contrariam deprehendiſsent. Cognouerunt ergò, ſententiam negantem Sacris Canonibus, & Summorum Pontificum decretis, conformem eſſe. Non igitur ab ea ſententia recedi poteſt.

Quòd verò antiquis Doctoribus magis deferendum ſit, quàm recentioribus certum eſt. *In antiquis enim eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia Iob. 12. 13. Et ſapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens. Eccleſ. 39. 1. 4. Non te prætereat narratio Seniorum, ipſi enim didicerunt ex Patribus ſuis. Eccleſ. 8.* Et alia plura ad hoc congerit Fagnan. *loc. cit.* ex Hoſtienſ. *in cap. vnic. num. 51. & 52.* & Ioan. Andr. ibid. *nu. 40. & 41. de Sacr. vnct.* quia temporis diuturnitas videtur eis authoritatem attuliſſe. Syluester in *verb. Opinio nu. 2. in fine.* Ad hoc etiam facit *Cap. Domino Sancto 50. diſt. in fine. Quotieſcumque in geſtis Conciliorum diſcors ſententia inuenitur, illius Concilij magis teneatur ſententia, cuius antiquior, aut potior extat authoritas.*

Ad illud verò, quod additur in argumento, opinionem affirmantem, Hæreticos poſſe pœnitentibus in articulo mortis Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare, probabiliorem eſſe, ex eo, quod ſit fidelibus fauorabilior, & magis pia. Reſpondetur, illationem illam eſſe nullam, & prorſus inanem; nam ſi ex maiori erga fidelium ſalutem fauorabilitate, maiorique pietate inferenda eſſet maior probabilitas opinionis, plures opiniones probabiles eſſent, quæ ſunt manifeſtè erroneæ, & hæreticales. Hinc enim dicendum eſſet, quod Laicus Catholicus abſoluere poſſit Sacramentaliter pœnitentem in caſu neceſſitatis; immò & Iudæus, & Paganus, quia hæc omnia magis fauent ſaluti fidelium, & apparent magis pia, cum tamen erronea ſint, & hæreticalia. Rurſus ſi pietas præcisè ſpectanda eſſet, dicendum foret, Puerum in vtero Matris incluſum, & periculo mortis expoſitum, ſalutem conſequi per Baptiſmum exterius ei collatum, vel per fidem Parentum, quod etiam eſſet erroneum, & id genus alia plura, quæ longum eſſet recenſere. Eſt ergò abſurdum ex maiori erga ſalutem fidelium fauorabilitate, vel ex maiori pietate inferre maiorem probabilitatem alicuius opinionis, nam fauor, & pie-

& pietas ſeruare debent iuſtitiam, itaut ſub prætextu pietatis iuſtitia non deſtruatur, immò non eſt dicendum pietas, quod Iuſtitiam deſtruit, ſic pietas non eſſet, nec miſericordia, ſi Deus nullatenus hominum peccata puniret, vel pœnæ inferni æternæ non eſſent, & tamen hæc videntur magis ſauere hominibus. Pietas igitur, & fauor erga ſalutem hominum æſtimanda ſunt iuxtà limites Iuſtitiæ, & conuenientiæ, ac diſpoſitionem Dei, & Eccleſiæ; Vndè cum conuenienter Eccleſia ſtatuerit, vt Hæretici, alijque ab ea præciſi, iuriſdictione perpetuò careant, & Sacramentum Pœnitentiæ, nec in caſu neceſſitatis poſſint adminiſtrare, & per hoc fidelium ſaluti magis conſuluerit, vt conſtat ex dictis, ſententia huic Eccleſiæ diſpoſitioni conformis probabilior, immò mihi vnicè probabilis apparet, ac certa.

Objjcitur ſextò. Quòd Hæretici adhuc manifeſti, & notorij non ſunt præciſi ab Eccleſia, nam retinent characteres Baptiſmi, & Sacerdotij, per quos Eccleſiæ incorporantur, et in Eccleſia conſtituuntur, ac proindè ſunt de corpore Eccleſiæ, & conſequenter non ſunt incapaces, & inidonei ad habendam iuriſdictionem. Et Eccleſia cenſetur pro caſu, ſeù articulo mortis conferre iuriſdictionem cuilibet Sacerdoti ab ea non præciſo, & iuriſdictionis capaci.

Reſpondetur cum Cardinali Bellarmino *libr. 3. de Eccleſia militante cap. 4.* Hæreticos retinere characteres illos indelebiles, ſicut retinent oues perditæ characterem inuſtum in dorſo, & deſertores militiæ ſigna militaria: ſed non propterea ſunt de Eccleſia, quia non ſufficiunt characteres illi ad conſtituendum aliquem in Eccleſia; alioqui in Inferno eſſet Eccleſia: Et tamen S. Thomas 3. *p. q.* 8. *art.* 3. dicit, damnatos nec actu, nec potentia eſſe membra Chriſti: Præterea non propriè vnit character hominem cum capite, nam non vnit exterius, cum ſit res inuiſibilis, nec interius, cum non ſit actus, nec habitus operatiuus. Vndè Sanctus Thomas primam vnionem internam ponit in fide. Et quamuis Hæretici dici poſſint pertinere ad Eccleſiam, vt oues ad ouile, vndè fugerunt, id tamen non ſufficit, vt Hæretici dicantur eſſe de Eccleſia, cum actu ſint extra Eccleſiam; Cum igitur Hæretici manifeſti, & notorij nullam coniunctionem habeant cum Eccleſia, de ſe inidonei ſunt, & incapaces ad recipiendum influxum aliquem ab Eccleſia, ac proindè iuriſdictione perpetuò carent; ſicut qui ſe ab aliqua Republica ſeparant, & illius hoſtes, & aduerſarij facti ſunt, de ſe incapaces ſunt, & inidonei ad habendam iuriſdictionem in ſubditos eiuſdem Reipublicæ, nec habemus, quod Eccleſia Hæreticis notorijs, & manifeſtis iuriſdictionem in eius ſubditos vllo vnquam caſu conceſſerit.

Septimò obijcitur pietas Sanctæ Matris Eccleſiæ, quam non eſt credendum, voluiſſe deſerere filios ſuos pœnitentes in extrema illa neceſſitate conſtitutos, ſed potiùs tanquam piam Matrem voluiſſe illis ſuccurrere hoc ſalutari præſidio habilitando Sacerdotes etiam præciſos ad abſoluendum, quin etiam additur, Eccleſiam ex lege charitatis non potuiſſe hoc prætermittere, ne aliquis pereat.

Con-

Confirmatur primò. Nam ſi dicatur, quod Eccleſia iuriſdictionem non tradiderit Hæreticis, & præciſis ad abſoluendum pœnitentes in caſu neceſſitatis fidelium, non conſuluiſſet ſufficienter eorum ſaluti; Igitur credendum eſt, quod iuriſdictionem Hæreticis, & præciſis pro tali caſu contulerit.

Confirmatur ſecundò. Nam ne quis pereat ob carentiam Baptiſmi, poteſt Baptiſmus in extrema neceſſitate recipi etiam ab Hæretico, & Excommunicato *C. Præter* §. *verùm diſt.* 32. *cap. ſi quem fortè* 24. *q.* 1. Ergò & Pœnitentia, quia Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt Sacramenta neceſsitatis.

Reſpondetur argumentum nimis probare, nam ſi liceret ita ratiocinari, vtique liceret etiam affirmare, non eſſe veriſimile, vt Deus in extremo neceſſitatis periculo noluerit, abſolutionis beneficium impendi poſſe etiam à ſimplici Clerico, quin immò, & à Laico, vt nonnulli temere opinati ſunt, quos refellit *Gloſſa communis in c. Paſtoralis,* §. *Præterea in verſ. Præterquam in mortis, in fin. de offic. Ordin.* & vberius Sotus *in* 4. *ſent. diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 1. Et tamen nullus ex Catholicis auſus eſt id affirmare, ſicut igitur poſt Baptiſmum lapſis Chriſtus Dominus noluit præbere remedium adeò vniuerſale, ſicut præbet pro conſequenda venia ante Baptiſmum, cum in hoc voluerit ſufficere quemcumque Miniſtrum, in illo autem noluerit poſſe alium adhiberi, quam charactere Sacerdotali inſignitum nullo excepto neceſſitatis caſu: Ità Eccleſia ad imitationem Chriſti potuit non adeò indulgere lapſis poſt Baptiſmum, vt voluerit eos in articulo mortis poſſe iuſtificari per abſolutionem eis conferendam à Sacerdotibus etiam Hæreticis, & præciſis. Rationabiliter autem Eccleſia ità diſpoſuit, vt dictum eſt, ne fidelium ſalutem periculo exponeret, eam ipſorum iuratis hoſtibus committendo, qui tempore illo adeò periculoſo poſſunt fideles peruertere; Vndè in hoc ipſo Sanctæ Matris Eccleſiæ pietas apparet, quod noluerit hoſtibus ſuis filiorum ſalutem commendare, cuius proindè contrarium non poteſt præſumi, cum Hæretici ſint inhabiles, & incapaces extra Eccleſiam, ab ea præciſi, ab eaque ad nihil conſiderati; nullum proindè adeſt fundamentum præſumendi, quod Eccleſia velit vnquam, vt Miniſtros cum prælatione, & iuriſdictione, quos habet hoſtes, & contrarios, nec illis vnquam confidere velit Sacramentum, quod prælationem, & iuriſdictionem inuoluit; Quare pro ſententia aſſerente, Eccleſiam Hæreticis, alijſque ab ea præciſis iuriſdictionem contuliſſe ad abſoluendum in articulo mortis, nullus Canon, aut decretum allegari poteſt, in quo id contineatur, immò iura omnia clamant, Hæreticos iuriſdictione perpetuò carere: Vndè nec poteſt præſumi talis iuriſdictionis collatio, nec res tanti momenti fundari debet in præſumptione, & quidem irrationabiliter aſſerta: Nec expedit in re tanti momenti ſub pietatis ſpecie ſapere pluſquam omnes noſtri Sancti Patres ſapuerunt, ſed obſeruare debemus terminos, quos appoſuerunt nobis, vt aduerſus illos, qui ſub ſpecie pietatis volunt Sacramentaliter illum abſolui poſſe, qui confeſſionem non petijt, nec dedit ſi-

gnum

gnum Pœnitentiæ, dicit Cardinalis de Lugo *in tract. de Sacramento Pœnitentiæ diſp.*17.*ſect.*3.*n.*40.

Ad primam confirmationem. Reſpondetur quod Eccleſia fidelium ſaluti ſufficienter conſuluit auferendo omnium caſuum,& cenſurarum reſeruationem in articulo mortis, & conferendo iuriſdictionem cuilibet ſimplici Sacerdoti ab Eccleſia non præciſo; Nec ex eo, quod iuriſdictionem non contulerit in caſu mortis Hæreticis, & præciſis, dici poteſt, quod non ſufficienter fidelium ſaluti conſuluerit, immò dicendum, quod eorum ſaluti conſuluerit per hoc, quod iuriſdictionem non contulerit ſuis iuratis hoſtibus, qui iuriſdictione tradita vti non vellent, ſed fideles peruertere poſſunt, vt dictum eſt, ac proindè periculo æternæ damnationis fidelium ſalutem expoſuiſſet, præſertim quod rariſſimè accidat, vt in articulo mortis non adſit alius Sacerdos, quàm Hæreticus; at frequentiſſimum eſt, vt adſit ſolus ſimplex Sacerdos Catholicus in vnitate Eccleſiæ viuens, vndè eſſet intolerabilis error, ſi Eccleſia non ſuccurriſſet morienti in hoc ſecundo caſu: non ſic autem in primo. Argumento *l. Iura cum tribus ſeqq. ff. de leg.*

Idem verò argumentum fieri poteſt quoad Excommunicatos,& denunciatos, tàm Hæreticos, quàm Catholicos; Quod videlicet, Eccleſia non ſufficienter conſuluiſſet fidelium ſaluti, ſi prohibuiſſet, Hæreticos, & Catholicos Excommunicatos,& denunciatos Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare fidelibus in articulo mortis conſtitutis. Et tamen certum eſt ex declaratione Sac. Congregationis, quod Excommunicati, & denunciati non poſſunt Pœnitentiæ Sacramentum fidelibus in articulo mortis conſtitutis adminiſtrare. Vndè ſicut ex eo, quod Eccleſia prohibeat Excommunicatos, & denunciatos Pœnitentiæ Sacramentum fidelibus in articulo mortis conſtitutis adminiſtrare., non infertur, quod fidelium ſaluti non ſufficienter conſuluerit, ità neque id infertur, ex eo, quod prohibuerit, Hæreticos, etſi nō denunciatos, nec Excommunicatos Pœniten. tiæ Sacramentum adminiſtrare fidelibus in articulo mortis conſtitutis, idque ex rationibus ſupra allatis.

Ad ſecundam confirmationem. Reſpondetur, Pœnitentiam non eſſe tantæ neceſſitatis, vt debeat ſuſcipi etiam de manu Hæretici, ſicut Baptiſmus, & moriens poteſt Diuina gratia adiutus elicere actum contritionis, cum Sacramenti voto, & ſic iuſtificari, vt definitur à Tridentina Synodo de Iuſtificatione *ſeſſ.6. de Lapſis, & eorum reparatione c.* 14. *Et de Sacramento Pœnitentiæ ſeſſ.*14.*de Contrit.c.*4. aliàs argumentum probaret, quod in caſu neceſſitatis confeſſio fieri poſſit etiam Laico, ad quod S. Thomas *in* 4. *ſent. diſt.* 17. *q.*3.*art.*2.*quæſt.*1.*ad* 2. reſpondet, quod Baptiſmus eſt magis Sacramentum neceſſitatis, quam Pœnitentiæ Sacramentum, quoad confeſſionem, & abſolutionem, quia quandoque Baptiſmus prætermitti non poſſet ſine periculo ſalutis æternæ, vt patet in Pueris, qui nondum habent vſum rationis, ſed non eſt ita de Confeſſione, & abſolutione, quæ tantùm ad adultos pertinet, in quibus contritio cum propoſito con. fitendi,& deſiderio abſolutionis ſufficit ad liberandum à morte æterna, & ideò

non eſt ſimile de Baptiſmo, & Confeſſione.

Reſpondetur ad alia argumenta, quæ Recentiores aliqui afferunt pro contraria ſententia.

PRo ſententia aſſerente Sacerdotes Hæreticos aut Schiſmaticos Pœnitentem in articulo mortis conſtitutum, ſi Sacerdos vnitus non adſit, Sacramentaliter abſoluere poſſe, ſequentia etiam Recentiores aliqui afferunt argumenta, quæ mox diluemus.

Primò afferunt ex 24. *quæſt.* 1. *Canonem ſi quem fortè*, in cuius titulo hæc leguntur: *In extremo poſitus etiam ab Hæretico pœnitentiam accipere valet*. Secundò arguunt, quod Hæretici non ceſſant eſſe Sacerdotes per hæreſim, & pro illo actu eius non aufertur iuriſdictio; hæc enim tollitur dictis Sacerdotibus per voluntatem Eccleſiæ, nam tales cenſuræ ſunt ab homine, ſed Eccleſia pro eo actu concedit ei iuriſdictionem, vt patet per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de Pœnitentia cap.* 7. quod nullum excipit Sacerdotem, Ergò.

Tertiò. Quia non eſt maior ratio, cur intelligendum ſit Concilium de ſimplicibus Sacerdotibus non irretitis cenſura, & non de alijs; Ergò. Antecedens patere dicunt, quia Concilium intendit prouidere indigentiæ Fidelium, & morientium, ergò ſicut voluit dare iuriſdictionem ſimplici Sacerdoti, ita voluit dare ſeparatis per cenſuras, & irregularitates, nam ſicut erat in poteſtate ipſius Eccleſiæ primum, ità ſecundum, & licet pro poſtremis videantur plura neceſſaria, quàm pro primis, ſcilicet auferre cenſuram, & concedere iuriſdictionem, tamen vtrumque erat in poteſtate Eccleſiæ; neque eſt credendum, Eccleſiam noluiſſe omni meliori modo pro tali caſu Chriſtianis prouidere, cum in conceſſione iuriſdictionis pro eo caſu nullum ſequatur malum, ſed maximum bonum.

Quartò. Arguunt ex praxi, quæ, inquiunt, ab Eccleſia non dãnatur, nam in Græcia, & in omni regione, in qua mixti ſunt Catholici cum Schiſmaticis, & Hæreticis in caſibus illis extremis, Catholici, niſi alios habeant, vocant Hæreticos.

Confirmant hoc idem primò, quia in extrema illa neceſſitate Hæretici poſſunt abſolui à Catholicis; Ergò & è contra Catholici ab Hæreticis. Antecedens probant ex *loc. cit.* Tridentini. Conſequentiam verò probant primò, quia prohibitio communicandi cum Hæreticis eſt pro actiua, & paſsiua communicatione, ergò ſi diſpenſatur ab Eccleſia pro vna, etiam pro alia. Secundò melius fuiſſet conſultũ Hæreticis, quàm Catholicis, ſi Eccleſia pro eorum ſalute dediſset (vt fecit) iuriſdictionẽ cuilibet Sacerdoti Catholico abſoluendi quemlibet Hæreticum in caſu mortis, & non dediſſet Hæretico iuriſdictionem abſoluendi Catholicũ à peccatis, & ita pro illo caſu melioris eſſent conditionis Hæretici, quàm Catholici moribundi. Nec valet, inquiunt, reſpondere, quod ſufficiat contritio, nam etiã Hæreticis ſuffice-

ſet, & tamen eis eſt prouiſum de Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ. Deindè. Non ſemper haberi poſſet contritio, ergò pro ijs caſibus non fuit omittendum remedium, quod facilè potuit ab Eccleſia adhiberi per conceſſionem iuriſdictionis ipſis Hæreticis, & degradatis, ac Schiſmaticis. Hæc Recentiores aliqui.

Ad primū reſpondetur Canonem, *ſi quem fortè*, non eſſe ad rem, nam ibi ſermo eſt non de Sacramento Pœnitentiæ, ſed de Sacramento Baptiſmi, quod in extremo poſitum etiam ab Hæretico poſſe recipere, ibi decernitur, & vt id appareat, ante oculos ponemus dictum Canonem cum ſuo titulo; eſt autem huiuſmodi.

In extremo poſitus etiam ab Hæretico pœnitentiam accipere valet.

SI quem fortè coegerit extrema neceſſitas, vbi Catholicus, per quem accipiat, non inuenerit, & in animo pace Catholica cuſtodita, per aliquem extra vnitatem Catholicam poſitum, acceperit, quod erat in ipſa Catholica vnitate percepturus, ſi ſtatim de hac vita migrauerit, non eum niſi Catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum ſe Catholicæ Congregationi etiam corporali præſentia reddiderit, vndè nunquam corde diſceſserat, non ſolùm non improbamus, quod fecit, ſed etiam ſecuriſſimè, veriſſimequè laudamus, quia præſentem Deum credidit corde ſuo, vbi vnitatem ſeruabat: Et ſine Sancti Baptiſmi Sacramento (quod vbicumque inuenit, non horum, ſed Dei eſſe cognouit) noluit ex hac vita migrare. Si quis autem cum poſſet, in ipſa Catholica accipere, aliqua mentis peruerſitate elegerit in Schiſmate baptizari, etiamſi poſteà venerit ad Catholicam Eccleſiam, certum eſt ibi prodeſſe Sacramentum, quod alibi accipi quidem poteſt, prodeſſe autem non poteſt: peruerſus, & iniquus eſt, & tantò pernicioſius, quantò ſcientius.

Non eſt igitur in eo capite ſermo de Sacramento Pœnitentiæ, ſed de Sacramento Baptiſmi: Et verba illa ſunt Auguſtini in *l.b. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 12. vbi S. Doctor, non loquitur de Sacramento Pœnitentiæ, ſed de Sacramento Baptiſmi, & caſus fuit ille, inquit *Gloſſa in eodem c. ſi quem fortè: Quæſitum fuit ab Auguſtino, vtrum ille, qui ab Hæretico baptizatur, debeat Catholicus reputari, etſi de hac vita migrauerit, vtrum per tale ſaluetur Baptiſma: Et reſpondet, quod ſic, ſi in articulo mortis hoc fecerit: Si Catholicum, à quo hoc ſuſciperet, non inueniebat: Et ſi liberatus ſe Catholicæ Congregationi reddiderit, non debet improbari, quod fecit, ſed laudari. Si autem ſponte elegerit in Schiſmate, vel Hæreſi baptizari, non debet iudicari Catholicus, ſed iniquus: non prodeſt Baptiſma ei, niſi poſteà reconcilietur:* Hactenus Gloſſa; Quare immeritò ex Canone iſto arguitur, quod moribundus à quouis poſſit abſolui, etiam ab Hæretico (ſi nō adſit Sacerdos Catholicus.) Id autē aſſeruerūt opponētes permoti à titulo eiuſdē Canonis, in quo dicitur; *In extremo poſitus etiā ab Hæretico Pœnitentiam accipere valet.*

let. Nam nomine Pœnitentiæ intelligendum eſse Baptiſmum, conſtat ex eodem Canone.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod quamuis Hæretici non ceſſent eſse Sacerdotes per hæreſim, ceſſat tamen in eis per hæreſim iuriſdictio, ſi eam ante hæreſim habebant, & per hæreſim incapaces fiunt iuriſdictionis, cum per hæreſim ab Eccleſia ſeparentur; hinc enim iuriſdictione perpetuò carent, nam Eccleſia membris dumtaxat, quæ ſecum in vnitate viuunt, iuriſdictionem communicat; & præterea Hæreticos Eccleſia per ſpeciales Canones, & ſpecialia decreta iuriſdictione perpetuò priuat, nec pro abſolutione in caſu mortis iuriſdictionem eis concedit Concilium Tridentinum, vt iam oſtendimus.

Ad tertium reſpondetur, quod Concilium Tridentinum, cum dicit, quod omnes Sacerdotes in articulo mortis quoslibet pœnitentes à quibuſuis caſibus, & cenſuris abſoluere poſſunt, intelligendum eſt de Sacerdotibus in vnitate Eccleſiæ viuentibus, & de his, qui aliàs habent iuriſdictionẽ: hoc enim pacto Concilium intelligendum eſſe, conſtat ex inſpectione *Textus*, & ex declaratione Sacræ Congregationis, cui omninò ſtandum eſt. Quod verò omnes Sacerdotes etiam ſimplices, in vnitate tamen Eccleſiæ viuentes, quemlibet à quibuſuis caſibus, & cenſuris in articulo mortis abſoluere poſſint habetur ex Sacris Canonibus, & ex praxi Eccleſiæ, id probantis, vt ſupra diximus. Voluit autem Eccleſia prouidere indigentiæ fidelium per media idonea, & habilia; huiuſmodi autem ſunt omnes Sacerdotes in eius vnitate viuentes, non verò ab ea præciſi, & Hæretici, qui ſunt Eccleſiæ, & fidelium iurati hoſtes, & aduerſarij, quibus proindé concedendum non fuit priuilegium, & prælatio, nec in caſu mortis ſupra fideles, cum vti hoſtes Eccleſiæ omni iuriſdictione indigni ſint, præter id, quod ex iuriſdictione in caſu mortis eis concedenda, periculum peruerſionis immineret fidelibus, vt diximus ſupra.

Ad quartum, negatur, eam praxim, ſi adſit, ab Eccleſia probari, immò damnari dicendum eſt, cum Eccleſia generaliter omnes actus iuriſdictionis Hæreticis vetet, eoſque iuriſdictione, nullo prorſus excepto caſu, perpetuò priuet. Sed peremptorium de hac re aduerſus opinionem affirmantem, Decretum adeſt Clementis Octaui Summi Pontificis, in inſtructione ſuper aliquibus ritibus Græcorum pro Epiſcopis Latinis, in quorum Diœceſibus Græci, vel Albanenſes Græco ritu viuentes degunt, quæ incipit, *Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens Papa Octauus*, prout in Bullario, inter Bullas, & Conſtitutiones eiuſdem Clementis, & eſt vigeſima quarta. Ibi ergo §. 3. hæc habentur (*In caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſſint Latinos abſoluere*). In his enim verbis non habetur, quod Presbyteri Græci etiã hæretici Latinos in caſu neceſſitatis poſſint abſoluere, ſed facultas abſoluendi arctatur ad Præsbiteros Græcos Catholicos, igitur negatur hæc facultas Græcis Hæreticis, & Schiſmaticis; ſi enim hanc facultatem etiam Hæreticis, & Schiſmaticis conceſſam vellet, id exprimeret,

ret, cum agatur de Sacramento poſt lapſum ad ſalutem neceſſariò, & exprimendum fuerit, quid in hac re ſeruandum ſit.

Ad primam confirmationem, reſpondetur, quod licet in extrema illa neceſſitate Hæretici poſſint abſolui à Catholicis, non tamen Catholici abſolui poſſunt ab Hæreticis, nam quod Catholici abſolui nequeant ab Hæreticis, eſt, quia Hæretici carent iuriſdictione, adhuc in caſu illo, qua tamen non carent Catholici, & ideò Catholici abſoluere poſſunt Hæreticos, non tamen Hæretici abſoluere poſsũt Catholicos. Nec propterea dicendum eſt, melius conſultum fuiſſe Hæreticis, quàm Catholicis, & pro illo caſu melioris eſſe conditionis Hæreticos, quàm Catholicos moribundos. Nam fidelium ſaluti ſatis pro illo caſu conſultum eſt, per hoc, quod omnes Sacerdotes Catholici etiam ſimplices, & nullam antecedenter iuriſdictionem habentes, poſſint eis in caſu neceſſitatis Pœnitentię Sacramentum adminiſtrare. Nec facultas hæc extendi debet ad Hæreticos, cum ſint Eccleſiæ iurati hoſtes, & aduerſarij, ac omni prorſus priuilegio, & munere indigni, & à quibus, fidelibus periculum perverſionis imminere poteſt in extremo vitæ. Vnde per hoc ipſum, quòd Hæreticis negata eſt hæc facultas, Fidelium ſaluti conſultũ eſt, arcendo ab eis Hæreticos, à quibus peruerti poſſent; nec ex eo quod aliquis Hæreticus, aut Schiſmaticus in eo caſu nõ peruerteret, concedenda fuit ea facultas Hæreticis, & Schiſmaticis, nam ſi non peruertant, poſſunt peruertere, & vt plurimùm peruertunt. Vndè peruerſionis periculum ſemper imminere poteſt; Et ideò ſi detur caſus quo hæreticus non peruertat, non ideò Eccleſiæ abſtinendum fuit à lege, qua generaliter, & perpetuo hæretico interdicat abſolutionem moribundi, ipſumque iuriſdictione etiam in eo caſu priuet, nam leges feruntur pro eo, quod vt plurimum contingit, ſeù etiam natum eſt contingere; Vndè ad hoc, quod lex vniuerſaliter feratur, ſatis eſt, quod quaſi ſemper ſit expediens, vel vt plurimùm, & ideo Legiſlatores rationem, & reſpectum habent ad illud, quod penè ſemper accidit, etiamſi aliquando deficiat. Quare cum hæretici, vt plurimùm Catholicos peruertere curent, meritò Eccleſia etiam ex hoc capite fidelium ſalutem hæreticis, & Schiſmaticis fidere non debuit, & ſapientiſſimè decreuit, ne Sacerdotes hæretici, & Schiſmatici Pœnitentiæ Sacramentum in eo caſu adminiſtrent. Et cum caſus ille, quo ſolus Sacerdos hæreticus adſit Catholico moribundo rariſſimus ſit, & Catholicus elicere poſſit actum contritionis, nullatenus præiudicatum eſt eorum ſaluti.

Nec vrgent, quæ in argumento ſubduntur, quod nempè etiam hæreticis ſufficeret contritio, & tamen eis eſt prouiſum de Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, & quod non ſemper haberi poſſit contritio, & ideò pro ijs caſibus omittendum non fuiſſe remedium, quod facilè potuit Eccleſia adhibere per conceſſionem iuriſdictionis ipſis hæreticis, & degradatis, ac Schiſmaticis.

Hæc, inquam, non vrgent. Non primum, nam ſi confeſſio fieri poſſit

Sacer-

Sacerdoti abſoluendi facultatem habenti, non ſufficit contritio, ſed neceſſaria eſt confeſſio, & aliàs Catholicis conuenienter Eccleſia facultatem conceſſit abſoluendi etiam hæreticos in caſu neceſſitatis; cum nulla indè oriantur inconuenientia, quæ ſequerentur, ſi hæreticis facultatem conceſſiſſet abſoluendi pro caſu mortis Catholicos.

Secundum autem falſum eſt, nempè quod nō ſemper haberi poſſit contritio, licet enim contritio non adeò facile ſit haberi, abſolutè tamen haberi poteſt, ad eam enim cum vrget præceptum, Deus auxiliū gratiæ ſuæ confert. Vndè cum in eo caſu Catholicus habere poſſit contritionem, noluit Eccleſia ex motiuis prædictis periculo exponere fidelium ſalutem, illam arbitrio hæreticorum committendo, & hæreticos habilitando ad munus, quo ſunt omninò indigni, & incapaces.

Pro maiori autem intelligentia eorum, quæ dicta ſunt, ſit

DVBIVM INCIDENS:

Vtrum Sacerdotibus in ſacra ordinatione iuriſdictio conferatur ad Sacramentaliter abſoluendum.

IN hac Armacanus *lib. 11. de Quæſtionibus Armenorum à cap. 1. vſque ad 6.* aſſerit Sacerdotes in ipſa ordinatione iure Diuino accipere veram poteſtatem abſoluendi à peccatis quoslibet pœnitentes, ita vt abſolutio, ſi bona fides ex parte pœnitentis interueniat, valida ſit; quamuis, ſi contra Eccleſiæ præceptum, & diſpoſitionem fiat, non ſit licita, ſicut etiam in poteſtate ordinandi accidit.

Huic etiam opinioni fauent Durandus *in 4. ſent. diſt. 19. q. 2.* & Almainus *in 4. d. 18. q. unica.*

Secunda ſententia eſt Cardin. Caietani *Tom. 1. opuſc. Tract. 7.* qui vult, ad validè abſoluendum, nihil interdum requiri amplius, quàm vt pœnitens ſe voluntariè ſubijciat Sacerdoti habenti ſolam poteſtatem ſine iuriſdictione ordinaria vel delegata. Sicut in Arbitro habente poteſtatem iudicandi à partibus nulla requiritur poteſtas iudicādi ex parte Principis, quia nullam poſſunt partes in Arbitrum conferre iuriſdictionem: requiri tamen dicit ex parte ipſorum, qui ſe Arbitro ſubmittunt iudicandos.

Nauarrus *in cap. Placuit diſt. 6.* exſtimat Sacerdotes in ſua ordinatione accipere totam poteſtatem iuriſdictionis, ſed eam ligari ab Eccleſia, ita vt neque licitè, neque validè poſſit in actum exire, niſi illa permittente. Vnde licet initio naſcentis Eccleſiæ omnes Sacerdotes iure Diuino poſſent quoſcumq; pœnitentes voluntariè ſe ſubmittentes à quibuſcumque peccatis abſoluere, modò tamen id non poſſunt propter prohibitionem Eccleſiæ.

Quarta ſententia eſt, quam docent S. Antoninus *3. p. tit. 17. cap. 4. caſu 3.* Maior *in 4. ſent. d. 19. quæſt. 1.* Angelus *in ſumm. verb. Confeſſio 3. num. 4.* Catharinus *opuſc. proprio.* Vaſquez *q. 93. art. 1. dub. 2.* Angelus, Petrus de Ledeſma, & alij, qui docent, quemlibet Sacerdotem in ipſa ordinatione

iure

iure Diuino accipere completam poteſtatem abſoluendi à peccatis, quantum eſt ex parte principij, ſed deeſſe illis materiam, quæ per authoritatem Eccleſiæ eis deſignatur. Quod explicat Ledeſma exemplo Epiſcoporum titularium, quibus licet in ſua conſecratione poteſtas Epiſcopalis cōferatur, deſunt tamen illis ſubditi, in quos iuriſdictionis vſum exerceant. Aliud exemplum adducit Vaſquez, quod à Paludano deſumpſit; comparat enim Sacerdotes Iudicibus quibuſdam dictis Carthularijs, qui olim ab Imperatore conſtituebantur, nullis ſubditis aſſignatis, ſed ſolùm cum authoritate iudicandi de litibus eorũ, qui vellent ſe illorum iudicio ſubmittere. Sicut enim illi totam poteſtatem iudiciariam, & authoritatem iudicandi accipiebant ab Imperatoribus, quamuis determinatio materiæ non fieret ab illis, ſed à litigantibus ſe ſponte ſubmittentibus, ſic Sacerdotes accipiunt totam authoritatem, & poteſtatem à Chriſto per Sacramẽtum Ordinis, quamuis determinatio materiæ, id eſt perſonarum abſoluendarum, non fiat à Chriſto, ſed ab Eccleſia.

Pro reſolutione, ſit.

ASSERTIO VNICA.

Sacerdotibus in ordinatione non confertur Poteſtas iuriſdictionis, ſed confertur ſolùm poteſtas ordinis.

Aſſertio hæc eſt contra ſententias relatas, eſt tamen communis inter Doctores, & probatur ex Concilijs Florentino, Lateranenſi, & Tridentino. Nam in Concil. Florent. in *Decret. vnica*, Miniſter Pœnitentiæ dicitur Sacerdos habens poteſtatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris. Et in Concilio Lateranen. ſtatuitur, alienum Sacerdotem non poſſe abſoluere ſine licentia proprij. In Concilio verò Tridentino *ſeſſ. 14. de Pœnitentia cap. 7.* dicitur. *Nullius momenti abſolutionem eam eſſe, quam Sacerdos in eum profert, in quem non habet ordinariam, vel delegatam poteſtatem.* Supponunt ergo hæc Concilia, aliquem eſſe Sacerdotem, & carere omni iuriſdictione tam ordinaria, quàm delegata; non ergo confertur Sacerdotibus in eorum ordinatione iuriſdictio aliqua.

Ita docet etiam S. Thom. *in 4. ſent. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. & diſt. 19. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. & 2. 2. quæſt. 39. art. 3.* vbi duplicem diſtinguit poteſtatem ad Sacramentaliter abſoluendum neceſſariam; vnam Sacramentalem, quæ datur vi Sacramenti in ordinatione; alteram iuriſdictionalem, quæ ex ſimplici iniunctione hominis confertur, illam dicit eſſe inamiſſibilem, iſtam verò poſſe auferri. *Et quodlib. 12. art. 16.* dicens, iuſtificationem pœnitentis fieri non poſſe, niſi per poteſtatem iudiciariam, addit quod (Non habens curã animarum, non habet hanc poteſtatem) ſi ſcilicèt, ne imperfectè quidem participet de cura animarum.

Probatur ſecundò. Aſſertio poſita ſpecialiter contra Armacanum. Nam eius opinio repugnat Concilijs ſupra citatis; in illis enim aſſeritur, non quemlibet Sacerdotem, ſed eum tantùm

tùm, qui habet iuriſdictionem, poſſe à peccatis abſoluere, & Tridentinum ait (abſolutionem illam nullius eſſe momenti, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam, non habet iuriſdictionem, Ergo etiamſi quis bona fide cōfiteretur peccata ſua Sacerdoti non habenti ab Eccleſia ordinariam, aut ſubdelegatam poteſtatem, illius confeſſio nulla eſſet, & inualida defectu poteſtatis abſoluendi, & non ratione obicis, quem pœnitens apponat contra prohibitionem Eccleſiæ confitens ei, cui non debet.

Circa ſecundam verò ſententiam à nobis relatam, quam diximus eſſe Caietani, antequam eam reijciamus, aduertendum eſt, forte Caietanum dumtaxat loqui de abſolutionē venialium, nam loco ſuprà citato, ita concludit: *& multi relinquuntur Sacerdotes communes, qui nunquam ſunt Iudices, nec communes, nec proprij, vt patet de ijs, qui non ſunt expoſiti ad audientiam confeſſionum, nec aliquis ſe ſubdit eis, quoad venialia*, &c. Item, quod maius eſt, idem Caietanus in Summa, verbo *Abſolutio*, poſtquam *num.* 1. dixit exigi, vt Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ ſit Sacerdos habens authoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris; *num.* 2. & deinceps enumerans modos, quibus Sacerdos habet poteſtatem iuriſdictionis in foro pœnitentiali, docet vltra duos illos modos, ſcilicet vel ex officio ordinario, vel ex commiſſione, inueniri quinque alius modos, ſeù caſus, quibus Sacerdos ſortitur ſubditum, ne verbum quidem dicens de præfato modo acquirendi iuriſdictionem ex parte pœnitentis. Cuius tamen meminiſſe debuiſſet hoc loco, vbi ex profeſſo agit de hac re, ſi ſentiret eo quoque modo poſſe iuriſdictionem acquiri in ordine ad peccatorum mortalium abſolutionem.

Sed quidquid ſit de ipſius Caietanì mente, hæc opinio repugnare videtur Concilijs ſupra citatis; nam illa requirunt in Confeſſario iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, vt ſcilicet, vel ſit ordinarius Paſtor pœnitentis, vel ſi non eſt Paſtor eius Ordinarius, nec ex officio curam regiminis ipſius habeat, licentiam, ſeù delegationem Ordinarij habeat. At ſubiectio voluntaria pœnitentis neque eſt ordinaria iuriſdictio, neque delegata, nec enim illa ſubiectio eſt poteſtas regendi animas ex officio; neque etiam eſt delegare, delegare namque eſt actus Superioris, ergo ad validè abſoluendum, non ſufficit, vt pœnitens ſe voluntariè Sacerdoti ſubijciat. Vndè nec ſufficit poteſtas Sacerdoti in ſua ordinatione collata, ſed vlterius requiritur poteſtas iuriſdictionis.

Deindè ſi vera eſſet opinio hæc, quilibet Sacerdos per vniuerſum Mundum, abſque vlla, ſiuè Papæ, ſiuè Epiſcopi facultate poſſet abſoluere pœnitentes ad ſe recurrentes; nam in vniuerſo Mundo Sacerdos eſſet Sacerdos, & ordinatus, & pœnitentes poſſent ſe illi ſubijcere; ergò ſi ad abſoluendum ſacramentaliter ſufficit poteſtas Sacerdoti in ſua ordinatione tradita, & ſubiectio pœnitentis, iam Sacerdos vbique poſſet abſoluere; hoc autem eſt falſum, & contra Concilium

cilium Tridentinum, *ſeſſ. 14. cap. 7. cit.* Nam ibi dicitur, ſine poteſtate, ſeu iuriſdictione ordinaria, vel delegata, in pænitentem, nullam eſſe abſolutionem, ergo præter poteſtatem in ordinatione Sacerdoti traditam, & præter ſubiectionem pœnitentis, requirit Concilium iuriſdictionem in ipſum pœnitentem.

Præterea, ſi voluntaria ſubiectio pœnitentis cum ſola poteſtate Sacerdoti in ſua ordinatione tradita ſufficeret ad validè abſoluendum, poſſet quilibet pœnitens ſibi eligere Confeſſorem; nam quilibet pœnitens poſſet ſe ſubijcere cuilibet Sacerdoti, poteſtas enim data in ordinatione eſt inamiſſibilis, & tolli nequit per Eccleſiam, & aliàs quilibet poſſet ſe ſubijcere cuilibet Sacerdoti; Idque iuxta illam opinionem ſufficit ad validè abſoluendum, ergo iuxta illam opinionem poſſet quilibet pœnitens ſibi eligere Confeſſorem; Id autem eſt contra Decretum Bonifacij VIII. *de Pænit. & Remiſs. in 6. cap. Si Epiſcopus.*

Quartò, Probatur aſſertio contrà Nauarrum: Nam & eius opinio repugnare videtur verbis Concilij Tridentini *loc. cit.* nam in eis ſupponitur aliquos eſſe Sacerdotes, qui non habeant iuriſdictionem, neque ordinariam, neque ſubdelegatam, atque adeò nullam; Ergo falſum eſt Sacerdotem accipere in ſua ordinatione poteſtatem iuriſdictionis: Deindè aliæ poteſtates à Chriſto immediatè conceſſæ, non poſſunt per Eccleſiam ligari, aut impediri, vt validè in actum exire non poſſint, vt patet in poteſtate baptizandi, conſecrandi Corpus Chriſti, confirmandi, ordinandi, quæ per nullam Eccleſię prohibitionem poteſt impediri, ne validè operetur; Ergo ſi poteſtas iuriſdictionis cuilibet Sacerdoti ex vi ſuæ ordinationis immediatè à Chriſto conferatur, nullum eſt fundamentum aſſerendi, quod poſſit per Eccleſiam ita ligari, aut impediri, vt validè in actum exire non poſſit.

Nec ex vllo loco Scripturæ, vel Concilio colligitur, quod Sacerdos in ordinatione habeat à Deo iuriſdictionem prælationis, ſiue in omnes, ſiue in aliquos fideles, impedibilem tamen ab Eccleſia; Ergo nequit aſſeri: Nam de Sacramentis Eccleſiæ non eſt credendum, niſi quod Scriptura docet, & Romana Eccleſia declarat.

Rursùs. Concilium Tridentinum docet ad validè abſoluendum iuriſdictionem Confeſſarijs ab Eccleſia conferri, ordinariam, ſcilicet vel delegatam; Id autem falſum eſſet, ſi ad validè abſoluendum ſufficeret poteſtas Sacerdotibus in ordinatione tradita cum impedibilitate ab Eccleſia: ſic enim Eccleſia verè non daret iuriſdictionem, ſeù poteſtatem, ſed eam haberet Sacerdos ex ſe; Eccleſiæ autem ſolùm foret Iuriſdictionis exercitium impedire, ipſa tamen Iuriſdictione, ſeù poteſtate plenaria, etſi impedita apud Sacerdotem remanente. Quod (inquit Herincx *par. 4. Summæ Theologicæ diſp. 5. qu. 1.*) non ſatis fundatum eſt, nec bene cohæret cum communi modo loquendi, & ſentiendi Theologorum ad validam abſolutionem exigentium, vt Sacerdos ex auhoritate Eccleſiæ acceperit iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam.

Ad id autem, quod Nauarrus *Comment. in cap. Placuit de Pænit. diſt. 6. num. 4.*

num. 4. ait: *Omnes teſtantur omnibus Sacerdotibus licuiſſe olim in Eccleſia Primitiua omnes audire Chriſtianos, qui eis confiteri vellent, idque iure Diuino.*

Reſpondetur ex Ioanne Boſco Theologiæ *par.* 4. *ſect.* 1. *num.* 88. quod eſto olim potuiſſet quilibet Sacerdos, quemlibet pœnitentem abſoluere, non tamen abſque poteſtate accepta ab Eccleſia, id eſt, ſine collatione iuriſdictionis, aut deſignatione materiæ à Superiore facta. Alioquin nulla hodie foret iuriſdictio, ſeù poteſtas delegata, ſed omnes Sacerdotes haberent iuriſdictionem, ſeù poteſtatem abſoluendi ordinariam annexam immediatè à Chriſto ordini Sacerdotali, quod videtur contra Concilia Tridentinum, & Florentinum ſupra, vbi iuriſdictionem, ſeù poteſtatem neceſſariam ad validè abſoluendum, diſtingunt in ordinariam, & delegatam.

Et benè Caietanus *opuſc. ſupra citato*, illud dictum (*poteſtas ordinis ex ſe, extenderet ſe ad omnes abſoluendos, niſi per Eccleſiam eſſent limitatæ iuriſdictiones*) docet poſſe dupliciter intelligi, vel quod omnes Sacerdotes à principio ex hoc ipſo, quod erant Sacerdotes, poterant omnes abſoluere: vel quod omnes Sacerdotes inſtituebantur, non ſolùm Sacerdotes communes, ſed Iudices communes in foro pœnitentiali. Primus ſenſus eſt falſus, quia de neceſſitate Sacramenti iudicialis eſt iuriſdictio. Secundus ſenſus eſt verus, ſuppoſita veritate dicti, quoniam ante diſtinctiones Parochiarum &c. Sacerdotes vtramq; poteſtatem accipiebant, ita quod tunc erant, & Sacerdotes communes, & Iudices communes, poſtea autem ordinantur quidam Sacerdotes communes, fiunt autem Iudices proprij aſſignando eis Plebes proprias, & multi relinquuntur Sacerdotes communes, qui nunquam fiunt Iudices, nec communes, nec proprij, vt patet de ijs, qui non ſunt expoſiti ad audientiam Confeſſionum. Hactenus Caietanus.

Quintò, Probatur aſſertio noſtrà aduerſus quartam ſententiam. Nam idem eſt habere ſubditos, & habere iuriſdictionem, ita vt implicet in adiecto habere iuriſdictionem, & non habere ſubditos, & Concilium Tridentinum *loc. cit.* hæc duo ſumit tanquam æquiualentia, habere ſubditos, & habere iuriſdictionem, nam ſic ait. *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos tantum feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, nullius momenti eſſe abſolutionem, quam in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem*, id eſt in eum, qui non eſt ei ſubditus. At Sacerdos in ordinatione, nullos accipit ſubditos, vt etiam Authores illius ſententiæ fatentur, ergo neque accipit iuriſdictionem.

Ex his etiam, quæ dicta ſunt in confutationem ſententiæ Armacani, hæc ſententia exploditur; nam Concilium Tridentinum, vt dictum eſt, ſupponit aliquem Sacerdotem eſſe, & tamen carere omni iuriſdictione, nam ait, Nullius momenti abſolutionem eam eſſe, quam Sacerdos in eum profert, in quem non habet ordinariam, vel delegatam poteſtatem; ergo falſum eſt, quod aiunt Authores tertiæ ſententiæ, quemlibet Sacerdotem in ſua ordinatione iure Diuino accipere

F com-

completam poteſtatem abſoluendi à peccatis,quantū eſt ex parte principij.

Omnes communiter fatentur iuriſdictionem in foro Sacramentali, ſeù poteſtatem abſoluendi à peccatis, homines accipere ab Eccleſia,& par erat, vt hæc iuriſdictio in foro conſcientiæ, non ſecùs, ac in foro externo, nonniſi per Superiores Eccleſiæ Paſtores inferioribus Miniſtris communicaretur, ergo non habetur in ipſa ordinatione iure Diuino, vt aſſerunt ſententiæ illius Authores.

Relinquitur ergo,quòd Sacerdotes in ordinatione nullam poteſtatem iuriſdictionis accipiant, ſed eam accipiunt, quando ab habente poteſtatem deputantur ad curam aliquam animarum, eiſque ſubditi actu traduntur.

Animaduertendum tamen, iuriſdictionem, ſeù poteſtatem abſoluendi Sacramentaliter à peccatis non conferri per approbationem, qua quis in Confeſſarium approbatur. Approbatio enim per ſe nullam confert iuriſdictionem, atque ideò illa ſola non ſufficit ad audiendas Confeſſiones; igitur præter approbationem requiritur iuriſdictio, quæ confertur cum Sacerdos iuridicè deputatur ad Confeſſiones audiendas, quod contingit, quando beneficium paſtorale confertur, aut alioquin conceditur poteſtas audiendi Confeſſiones.

Oſtenditur poteſtatem Ordinis, non eſſe aliam, quàm poteſtatem clauium.

EX dictis conſtat poteſtatem iuriſdictionis, diſtinctam eſſe à poteſtate Ordinis, vtramque tamen requiri ad abſoluendum à peccatis, & poteſtas iuriſdictionis neceſſario ſupponit poteſtatem Ordinis, quæ aliud non eſt, quàm poteſtas clauium; Claues autem, vt definit S. Thomas *in 4. ſent. d.* 18. *art.* 2. nil aliud ſunt, quàm poteſtas ligandi, & ſoluendi, qua Iudex Eccleſiaſticus dignos recipere, indignos excludere debet à Regno Cœlorum; Vndè ſignificat poteſtatem Ordinis ad remittendum, & retinendum peccata. Ideò S. Thomas ibidem *ad* 2. dicit,Clauem dari cum Ordine, ſic & Ioannes 22.*Extrauag.*Quia quorumdam, dicit: Claues conferri in collatione Ordinis Sacerdotalis.

Duæ autem diſtinguendæ ſunt Claues, Scientiæ, ſcilicet, & poteſtatis; Clauis ſcientiæ, non eſt ipſe habitus ſcientiæ, ſed eſt authoritas, & poteſtas exercendi actum ſcientiæ, examinando cauſam peccatoris, eumque interrogando, ſic vt reſpondere teneatur. Clauis verò poteſtatis eſt facultas ferendi ſententiam ſuper peccata; ſunt autem hæ duæ claues re ipſa idem, quod character Sacerdotalis, non quoad omnia, quæ habet character, nam character Sacerdotalis importat etiam potentiam ad conſecrandum, ſed quatenus dicit poteſtatem conferendi Sacramentum Pœnitentiæ, & ideò poteſtas clauium tantùm eſt vna poteſtas ſecundum eſſentiam, vt ait S. Thomas *art.* 3. quamuis ex comparatione ad actùs, quorum vnus alium præſupponit, rectè diſtinguatur in duas. Diſtinguitur autem poteſtas clauium à poteſtate iuriſdictionis, licet actus clauium, non ſit abſque iuriſdictione, vndè S. Thomas *art.* 2. *cit.*

ad 2.

ad 2. ait, quod omnis poteſtas ſpiritualis datur cum aliqua conſecratione; & ideò Clauis cum Ordine datur, ſed executio talis Clauis indiget materia debita, quæ eſt plebs ſubdita per iuriſdictionem, & ideò antequam iuriſdictionem habeat, habet Claues, ſed non habet actum Clauium. Et quia Clauis per actum definitur, ideò in definitione Clauium ponitur aliquid ad iuriſdictionem pertinens, hæc ibi Sanctus Thomas, ex quibus rursùs habetur, poteſtatem Clauium, ſeù characterem, in quo conſiſtit poteſtas Ordinis, diſtinctam eſſe à poteſtate iuriſdictionis, cum ſtet aliquem eſſe Sacerdotem, & conſequenter habere poteſtatem Ordinis, ſeù Clauem, & characterem, & tamen non habere iuriſdictionem.

Hinc S. Thomas *in 4. ſent. d. 19. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 6.* ait, in Schiſmaticis, Hæreticis, & Excommunicatis, ſuſpenſis, & degradatis, manere clauium poteſtatem quantùm ad eſſentiam, ſed vſum impediri ex defectu materiæ; Cum enim vſus Clauium in vtente, prælationem requirat, reſpectu eius in quem vtitur, propria materia, in quam exercetur vſus clauium eſt homo ſubditus; Et quia per Ordinationem Eccleſiæ vnus ſubditur alteri, ideò etiam per Eccleſiæ Prælatos poteſt ſubtrahi alicui ille, qui erat ei ſubiectus. Vndè cum Eccleſia Hæreticos, & Schiſmaticos, & alios huiuſmodi priuet, ſubtrahendo ſubditos, vel ſimpliciter, vel quantùm ad aliquid, quantùm ad hoc, quo priuati ſunt, non poſſunt vſum Clauium habere: Hæc S. Thomas; in quibus obſeruandum S. Thomam, non dicere, quod in Hæreticis, alijſque ab Eccleſia præciſis remaneat poteſtas iuriſdictionis, quantùm ad eſſentiam, ſed quod remaneat poteſtas Clauium quantùm ad eſſentiam, vſum autem talis poteſtatis impediri per ſubtractionem ſubditorum, quod eſt idem, ac dicere, vſum poteſtatis clauium impediri per priuationem iuriſdictionis, nam cum Hæretici, alijque præciſi priuentur iuriſdictione, impeditur per hoc in eis vſus Clauium, nam vſus Clauium requirit ſubditos, & iuriſdictionem. Quarè ex hoc deduci nequit eamdem eſſe poteſtatem Ordinis, & poteſtatem iuriſdictionis, aut in præciſis remanere poteſtatem iuriſdictionis.

Eſt autem poteſtas iuriſdictionis authoritas in alium tanquam inferiorem, & ſubditum ſaltem quoad actum iudicandi, & abſoluendi, & ligandi in occulto foro conſcientiæ. Et eſt duplex, Ordinaria, & delegata. Ordinaria habetur ratione officij, curam animarum annexam habentis. Delegata eſt illa, quæ alicui per commiſſionem à Superiore delegatur, & committitur.

Cuicumque autem Confeſſario, vt à peccato validè abſoluere poſſit, neceſſaria prorſus eſt iuriſdictio hæc interna, & ad forum conſcientiæ pertinens in perſonam, & in peccata pœnitentis, aut ordinaria, aut ex commiſſione. Et eſt de fide in Concilio Florentino *in decret.* 1. Vbi Miniſter Pœnitentiæ dicitur Sacerdos habens poteſtatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex Commiſſione Superioris. Et ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. de Pœnitentia cap.* 7. vbi dicitur (*Quoniam natura, & ratio iudicij illud ex-*

 poſcit,

poſcit, vt ſententia in ſubditum dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem.)

Ac per hoc ipſum diſtinguitur Sacramentum Pœnitentiæ ab omnibus alijs Sacramentis, ad quorum ſubſtantiam, & valorem, non eſt neceſſaria iuriſdictio. Et ratio diuerſitatis colligitur ex dictis, quia hoc Sacramentum confertur per modum abſolutionis iudicialis, in qua ipſa etiam eius Sacramenti forma conſiſtit. Iudicialis verò abſolutio valida nullo modo eſſe poteſt, ſi in iudicante deſit authoritas, & iuriſdictio. Dictum eſt autem, *in perſonam, & in peccata*, quia ſi quis in perſonam quidem iuriſdictionem habeat, ſed in peccata eiuſdem nullam habeat, vt ſi omnia, quæ confitetur pœnitens, ſint reſeruata, talis abſoluere eum Pœnitentem non poterit. Et contra ſi in peccata ſecundum ſe poteſtatem quidem habeat, quia reſeruata non ſunt, in perſonam autem non habeat, rurſus nulla eſt abſolutio, vt patet ex Concilio Tridentino *loco citato*.

Eam verò iuriſdictionem neceſſe eſt non eſſe impeditam per aliquam Eccleſiæ cenſuram nominatim, & publicè denunciatam, vel in caſu notoriæ percuſſionis Clerici; aliàs enim perindè eſt, ac ſi iuriſdictio non adeſſet.

Hic autem pro maiori intelligentia etiam eorum, quæ diximus in quæſtione præcedenti animaduertendum quatuor modis contingere, quod aliquis careat iuriſdictione ad abſoluendum Sacramentaliter; Primò enim poteſt quis carere iuriſdictione, quia eam non habet, nec eam habendi eſt capax, huiuſmodi ſunt Laici, & Hæretici, præſertim notorij, & manifeſti, qui præterea inhabiles ad iuriſdictionem declarantur per Sacros Canones, quos in præcedenti quæſtione adduximus. Secundò, contingit aliquem iuriſdictione carere; quia eam iam habuit, ſed poſtmodum ea priuatus eſt per ſententiam, vel à iure, vel ab homine latam, huiuſmodi eſſet Epiſcopus Catholicus in hæreſim, vel in excommunicationem incidens. Tertiò, poteſt quis carere iuriſdictione quantùm ad vſum, quia videlicet in ipſo ſit ſuſpenſa. Quartò, contingere poteſt aliquem carere iuriſdictione, ex eo, quod licet illius capax ſit, ei tamen non eſt communicata de facto, & talis eſt ſimplex Sacerdos, qui, vt diximus, ex vi ordinationis nullam poteſtatem habet iuriſdictionis.

Soluuntur Obiectiones.

VT magis conſtet, quæ, & qualis facultas, ſeù poteſtas conferatur Sacerdoti in ſua Ordinatione, aliqua proponemus, quæ contra dicta obijci poſſunt, & ea ſoluemus.

Obijcitur ergo primò. Cuilibet Sacerdoti in ſua ordinatione confertur poteſtas abſoluendi à peccatis, in Ordinatione namque Sacerdotali Epiſcopus in perſona Chriſti profert illa verba Io. 20. (*Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*) Ergo poteſtas iuriſdictionis confertur Sacerdotibus in ordinatione, & non

eſt

eſt diſtincta à poteſtate Ordinis. Iuriſdictio enim nihil aliud eſt, quàm facultas ius dicendi, aut ſententiam ferendi.

Confirmatur. Nam Apoſtolis his verbis, & non alijs contulit Chriſtus integram poteſtatem iuriſdictionis in foro interiori, nec Apoſtoli habuerunt aliam poteſtatem, quàm quæ data eſt eis, per verba illa: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Eadem verò dicuntur Sacerdotibus, quando ordinantur.

Reſpondetur ad argumentum, quod quamuis omnes Sacerdotes in ſua ordinatione accipiant poteſtatem illam ſoluendi à peccatis per ea verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* Ea tamen poteſtas, non eſt poteſtas iuriſdictionis, ſed eſt poteſtas Ordinis Sacerdotalis, quæ etiam continet quamdam poteſtatem abſoluendi, ſed nonniſi remotam, & quaſi fundamentalem, & aptitudinalem, quæ per formalem, & actualem poteſtatem iuriſdictionis complenda eſt; Sicut etiam, qui Iuris Doctores creantur, quamdam poteſtatem iudicandi accipiunt, ſed quæ abſque acceſſu iuriſdictionis completa, & perfecta non eſt. Quarè iudicium illud exerceri non poteſt ſine iuriſdictione; Iuriſdictio verò non datur ſine ſubditis, in quos ea poſſit exerceri. Sic etiam ſi aliquis Rex tribueret aliquibus poteſtatem iudicandi, Iudiceſque illos conſtitueret, non aſſignaret tamen eis ſubditos, ſed illos accepturi eſſent ex delegatione Principis, quando is opportunum iudicauerit; Simili modo Sacerdotes accipiunt in ſua ordinatione poteſtatem abſoluendi, cuius tamen vſum adhuc habere non poſſunt, niſi accedat, & poteſtas iuriſdictionis, & eis aſſignentur ſubditi in quos authoritatem habeant; Sacerdotes igitur ex vi illorum verborum conſtituuntur Iudices aptitudine, quatenus accipiunt poteſtatem Ordinis, ratione cuius deputantur tanquam apti ad ferendam ſententiam: Conſtituuntur autem actu, & formaliter Iudices, quandò actu ipſis conferuntur ſubditi, quia tunc primò confertur ipſis iuriſdictio formalis, & tunc primò habent ius ad ferendam ſententiam.

Vndè S. Thomas *in 4. ſent. d. 18. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 1.* ait, quod hæc tria nempè character, & poteſtas conficiendi Corpus Chriſti, & poteſtas Clauium, (quæ idem eſt, ac poteſtas Ordinis) ſunt vnum, & idem per eſſentiam, ſed differunt ratione, vt enim ibi ait S. Doctor, ad duo, quorum vnum eſt cauſa alterius, vna poteſtas ordinatur, ſicut in igne calor ad calefaciendum, & diſſoluendum, & quia omnis gratia, & remiſſio in corpore myſtico ex capite ſuo prouenit, ideò eadem poteſtas eſſe videtur per eſſentiam, qua Sacerdos conficere poteſt, & qua poteſt ligare, ſi iuriſdictio adſit: Nec differt niſi ratione, ſecundum quam ad diuerſos effectus comparatur: Sicut etiam ignis dicitur ſecundum aliam rationem calefactiuus, & liquefactiuus. Et quia nihil eſt aliud character Ordinis Sacerdotalis, quam poteſtas exercendi illud, ad quod principaliter ordo Sacerdotij ordinatur, ſuſtinendo, quod ſit idem, quod ſpiritualis poteſtas, ideò character, & poteſtas clauium eſt vnum, & idem per eſſentiam, ſed differt ratione. Hæc S. Thomas.

Quarè

Quarè cum Sacerdotibus ab Epiſcopo dicitur: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* per hæc verba, additur modus quidam realis, & intrinſecus maioris perfectionis,& extenſionis ipſius characteris, ratione cuius character iam impreſſus per illa verba ab Epiſcopo prolata: (*Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium &c.*) extenditur etiam ſupra Corpus Chriſti myſticum, ſiuè ſupra fideles pœnitentes, ad phyſicè cauſandam per Sacramentum Pœnitentiæ eorum Sanctificationem per gratiam. Eſt tamen idem character, qui ſe ad vtrumque extendit. Vndè ſicut character non importat niſi poteſtatem clauium, & poteſtatem ordinis, etiam ex ea parte, qua extenditur ſupra Corpus Chriſti myſticum, ſeù ſupra fideles, non verò importat poteſtatem iuriſdictionis, ita & poteſtas illa remittendi peccata, quæ Sacerdotibus confertur per illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* non eſt poteſtas iuriſdictionis, ſed poteſtas Ordinis, & Clauium, ſeù characteris, quam aliqui vocant etiam poteſtatem abſoluendi à peccatis, non moralem, in qua conſiſtit poteſtas iuriſdictionis, ſed phyſicam, in qua conſiſtit poteſtas Ordinis.

Ad confirmationem. Reſpondetur, negando aſſumptum; Nam Apoſtoli præter poteſtatem ordinis, quam acceperunt, quando Chriſtus illis dixit, *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Etiam acceperunt poteſtatem iuriſdictionis per iſta verba; *Sicut miſit me Pater*, & *ego mitto vos*, non quidem præcisè vi iſtorum verborum, ſed ex peculiari intentione Chriſti; quæ ſignificata eſt per miſſionem, qua eos miſit cum poteſtate Apoſtolica. Quãuis autem Sacerdotibus in ordinatione dicatur; *Quorum remiſeritis peccata &c.* Ipſi tamen non mittuntur; neque tanquam Apoſtoli, conſtituuntur Ductores, & Paſtores, ſed accipiunt ipſam remittendorum peccatorũ poteſtatem ordinis, ſuper qua fundari poſſit poteſtas iuriſdictionis, ſi à ſuperiore detur, & ſine qua nemini poſſit hæc conferri, vt ſcilicet eam exerceat abſoluendo, etiamſi attentaret abſoluere.

Eſt autem ſolutio hæc ipſiſſima doctrina S. Thomæ *in* 4. *ſent. diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad.* 1. ibi enim ſic ait. *Ad primum dicendum, quod ad abſolutionem à peccato requiritur duplex poteſtas, ſcilicet poteſtas ordinis, & poteſtas iuriſdictionis. Prima quidem poteſtas eſt æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem ſecunda*: Et ideo vbi *Io* 20. *Dedit omnibus Apoſtolis communiter poteſtatem remittendi peccata, intelligitur de poteſtate, quæ conſequitur ordinem; Vndè & Sacerdotibus, quando ordinantur, & illa verba dicuntur; ſed Petro ſingulariter dedit poteſtatem dimittendi peccata Matth.* 16. *vt intelligatur, quod ipſe præ alijs habet poteſtatem iuriſdictionis. Poteſtas autem ordinis, quantum eſt de ſe, ſe extendit ad omnes abſoluendos: Et ideò indeterminatè Dominus dicit, Quorum remiſeritis peccata; intelligens, tamen, quod vſus illius poteſtatis eſſe deberet præſuppoſita poteſtate Petro collata, ſecundum ipſius ordinationem.*

Sed,

Sed & in corpore eiuſdem articuli docet S. Thomas, quod ſicut in cœleſti hierarchia, in qua ſub poteſtatibus, quæ indiſtinctè præſunt, præponuntur Principatus, qui ſingulis Prouincijs diſtribuuntur, ita debet eſſe in prælatione Eccleſiæ militantis: vt apud aliquem eſſet prælatio indiſtinctè in omnes, & ſub hoc eſſent alij, qui ſuper diuerſos diuerſam poteſtatem, & diſtinctam acciperent. Et quia vſus Clauium requirit aliquam prælationis poteſtatem, per quam ille, in quem vſus Clauium communicatur, efficitur materia propria illius actus, ideo ille, qui habet indiſtinctam poteſtatem ſuper omnes, poteſt vti Clauibus in omnes. Illi autem, qui ſub eo diſtinctas poteſtates acceperunt, non in quoslibet vti poſſunt Clauibus, ſed in eos tantùm, qui eis in ſortem venerunt, niſi in neceſſitatis articulo, vbi nemini Sacramenta ſunt deneganda.

Ex his confirmatur & aſſertio noſtra principalis, qua diximus in ordinatione Sacerdotali, non conferri Sacerdotibus poteſtatem iuriſdictionis ad abſoluenda peccata, ſed ſolam poteſtatem ordinis, & ſolam poteſtatem ordinis non ſufficere ad abſoluendum Sacramentaliter; Quod & iterum docet S. Thomas in *articulo citato ad 2.* Nam cum ſibi obieciſſet quod Clauis materialis, quæ aperit vnam ſeram, aperit omnes alias eiuſdem modi, ſed omne peccatum cuiuſcumque hominis eſt eiuſdem rationis obſtaculum, reſpectu introitus Cœli, ergo ſi poteſt vnum hominem Sacerdos per clauem, quam habet abſoluere, poterit, & quoslibet alios (Reſpondet) *Ad ſecundum dicendum; quod Clauis materialis, non poteſt aperire niſi ſeram propriam; nec aliqua virtus actiua poteſt agere, niſi in propriam materiam. Materia autem propria poteſtatis ordinis efficitur aliquis per iuriſdictionem: Et ideò non poteſt aliquis claui vti in eum, in quem Iuriſdictio non datur.)*

Idem docet, & *art. 2. ſeq.* nam ait, quod poteſtas ordinis, quantùm eſt de ſe, extendit ſe ad omnia peccata remittenda, ſed quia ad vſum huiuſmodi poteſtatis requiritur iuriſdictio, quæ à maioribus ad inferiores deſcendit, ideò poteſt Superior aliqua ſibi reſeruare, in quibus iudicium inferiori non committat: Aliàs de quolibet poteſt ſimplex Sacerdos habens iuriſdictionem abſoluere.

Eſt autem poteſtas illa remittendi peccata in ordinatione accepta per verba illa. *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* poteſtas phyſica remittendi peccata, quæ neceſſariò prærequiritur ad poteſtatem iuriſdictionis, quæ eſt poteſtas moralis.

Secundò obijcitur. Quod initio naſcentis Eccleſiæ omnes Sacerdotes poterant quoſcumque Pœnitentes voluntariè ſe ſubmittentes à quibuſcumque peccatis abſoluere: Ergò quilibet Sacerdos habebat iuriſdictionem ex vi ſuæ ordinationis. Antecedens, in quo eſt difficultas probat Nauarrus *ex cap. Placuit de Pœnitentia diſt. 6.* in quo Vrbanus II. qui Eccleſiam rexit anno 1100. prohibet, ne deinceps vlli Sacerdoti liceat, quemlibet alteri Sacerdoti commiſſum ad pœnitentiam recipere, ſine eius conſenſu, cui prius ſe com-

commiſit. Nam dictio, *Deinceps* (inquit) & ſimiles denotant Conſtitutiones in quibus ponuntur, præterita non comprehendere, ac ſubindè ante illam Conſtitutionem Vrbani II. conſueuiſſe fideles alteri, quam proprio Sacerdoti confiteri.

Reſpondetur, quod admiſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Nam ſi initio naſcentis Eccleſiæ, vſque ad tempora Vrbani II. fuit illa conſuetudo, vt quilibet Sacerdos, quoſcumque pœnitentes abſolueret, dicendum eſt Sacerdotes tunc poteſtatem habuiſſe iuriſdictionis abſoluendi quoslibet, non præciſè ex vi ſuæ ordinationis, ſed ex conceſſione Eccleſiæ ita volentis; ſicut ſemper voluit, vt quilibet Sacerdos ſimplex in eius tamen vnitate viuens, poſſit quemlibet in articulo mortis conſtitutum, ab omnibus peccatis abſoluere.

Dictum eſt autem (*ſi initio naſcentis Eccleſiæ, vſque ad tempora Vrbani II. fuit illa conſuetudo*) vt quilibet Sacerdos quoſcumque pœnitentes abſolueret; nam & negari poteſt ante tempora Vrbani II. talem conſuetudinem fuiſſe, cum & longo tempore ante Vrbanum, non licuerit fidelibus alteri Sacerdoti, quàm proprio confiteri; Et colligitur ex Epiſtola 2. *decretali* Calixti I. quæ habetur in Decreto Gratiani 9. *quæſt.* 2. *Can.* 1. vbi ſic dicitur: *Nemo alterius terminos vſurpet, nec alterius Parochiam iudicare præſumat, quia talis ſententia irrita erit, nec vllas vires habebit.* Quare particula illa, *Deinceps*, qua Vrbanus II. in ſua Conſtitutione vſus eſt, non ſignificat anteà licitum fuiſſe, confiteri cuilibet Sacerdoti, ſed ſignificat, quid in poſterum faciendum ſit, ſ. ù proſequutionem in futuro eius, quod etiam antea factum fuerat.

Tertiò obijcitur. Si ad validè abſoluendum præter poteſtatem Ordinis, neceſſaria eſſet iuriſdictio, nullus poſſet validè Summum Pontificem abſoluere, nam nullus poteſt habere iuriſdictionem in Summum Pontificem, non enim illam accipere poteſt ab ipſo Pontifice, quia ſicut non habet iuriſdictionem ſupra ſeipſum, ita nec poteſt illam alteri conferre, neque etiam ab alio, cum Pontifex, nullum in Terris Superiorem agnoſcat, & tamen Summus Pontifex validè abſoluitur à Confeſſario.

Reſpondetur, Confeſſarium electum a Pontifice ab ipſo immediatè accipere iuriſdictionem, nam ad hoc non requiritur, quod Pontifex immediatam iuriſdictionem habeat in ſe ipſum, ſed ſufficit, quod ſicut habet à Chriſto poteſtatem ſubijciendi quoſcumque Fideles cuilibet Sacerdoti, ita & habeat ab eodem Chriſto poteſtatem ſubijciendi ſeipſum, cui volet, ex qua ſubiectione conferre cenſetur Sacerdoti electo iuriſdictionem in ſeipſum; Vndè S. Thomas *in* 4. *ſent. d.* 17. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 4. ait, quod *Prælatis conceſſum eſt, quod poſſint eligere proprios Confeſſores, qui quantùm ad hoc ſint Superiores; Sicuti etiam cum Medicus ab alio curatur, non in quantùm Medicus, ſed in quantùm infirmus*, & *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 2. ait, quod *poteſtas Clauium quantùm eſt de ſe, extendit ſe ad omnes; ſed quod in aliquem Sacerdos non poſſit poteſtate Clauium vti, contingit ex hoc, quod eius poteſtas, eſt ad aliquos ſpecialiter limitata, vndè ille qui limitauit, poteſt extendere in quem voluerit, & propter hoc*

etiam

etiam poteſtatem ſibi dare poteſt in ſe ipſum, quamuis ipſe in ſeipſum vti Clauium poteſtate non poſſit, quia poteſtas Clauium requirit pro materia aliquem ſubiectum, & ita alium: Sibi ipſi enim aliquis ſubiectus eſſe non poteſt, & ad primum ait, quod *quamuis Epiſcopus, quem ſimplex Sacerdos abſoluit, ſit Superior eo ſimpliciter; eſt tamen inferior eo, in quantum ei ſe, vt peccatorem ſubijcit*. Quamuis ergò Summus Pontifex non poſſit dare alicui iuriſdictionem in ſeipſum in foro externo propter excellentiam, & prærogatiuam ſuæ Dignitatis maioris omni alia humana, quam non decuit ſubmitti authoritati puræ humanæ iudicum ipſa inferiorum; Secus tamen in foro interno fauorabili, cuius iudicium omnibus poſt Baptiſmum Lapſis eſt omninò neceſſarium.

Ex dictis infertur poteſtatem iuriſdictionis in multis differre à poteſtate Ordinis. Primò, quia poteſtas Ordinis confertur cuilibet Sacerdoti per Sacram ordinationem; poteſtas verò iuriſdictionis per deputationem legitimam ad exercendum officium Confeſſoris, & ad abſoluendum à peccatis. Secundò, quia Sacerdotes omnes in poteſtate Ordinis æquales ſunt, non verò in poteſtate iuriſdictionis. Tertiò, poteſtas Ordinis inuariabilis eſt, ac indelebilis. Secùs verò poteſtas iuriſdictionis; nam poteſt augeri, vel minui, imò & totaliter auferri; etiam in Summo Pontifice; nam licet ſummam iuriſdictionem ſupremam, & ampliſſimam à Deo habeat, poteſt tamen, ſi velit, illi renunciare, vt à Celeſtino V. factum eſt; Demùm poteſtas Ordinis non poteſt delegari, benè tamen poteſtas iuriſdictionis. In omnium tamen ſententia, excepta ſententia Armacani, quæ communiter erronea reputatur; dicendum eſt, ex vi poteſtatis præcisè in Sacra ordinatione accepta, neminem poſſe Sacramentaliter abſoluere, ſed aliquid aliud neceſſarium eſſe, vt omnes Authores relatarum opinionum fatentur.

Quod autem diximus quæſtione principali Sacerdotes Hæreticos, etſi poteſtate Ordinis gaudentes, non tamen poteſtatem iuriſdictionis habere, intelligendum eſt de Hæreticis aliàs ritè ordinatis; nam ſi Hæretici non ſint ritè ordinati, quia videlicet ordinati ſunt ab Epiſcopo, qui Epiſcopalem poteſtatem non habebat, nec verè erat Epiſcopus, hi nedùm non habent poteſtatem iuriſdictionis, ſed nec poteſtatem Ordinis Sacerdotalis, vndè nedùm ex defectu iuriſdictionis non poſſunt abſoluere, ſed etiam ex defectu Ordinis.

Deniquè, ſiuè dicatur Sacerdotes in ſua ordinatione accipere iuriſdictionem pro foro Pœnitentiæ, ſiuè illam poſteà recipere ab Eccleſia; firma ſtat noſtra aſſertio principalis, nàm Sacerdotes præciſi non recipiunt iuriſdictionem à Chriſto inuiſibili capite Eccleſiæ, extrà quam ſunt; neque ab eiuſdem Eccleſiæ Paſtoribus.

Ad quæſtionem autem principalem redeuntes, dicimus Sacerdotem Hæreticum, etſi ritè ordinatum, nullam, nec in caſu neceſſitatis iuriſdictionem habere ad moribundum abſoluendum Sacramentaliter; Et ſi obijciatur melius eſſe in caſu neceſſitatis, Hæreticum Sacerdotem ex probabili, vel dubia iuriſdictione, moribundo abſolutionem impendere, quam nul-

lam ei impendere abſolutionem. Reſpondetur, ſatis ex dictis conſtare, Sacerdotes Hæreticos, vel Schiſmaticos, adhuc in caſu neceſſitatis, nulla, nec probabili iuriſdictione gaudere. Quare in eo caſu moribundus recurrere debet ad actum contritionis; perindè enim eſt, ac ſi nullus adeſſet Sacerdos; Vndè ſicut cum nullus adeſt Sacerdos, etiamſi adſit Laicus moribundus non eſt abſoluendus à Laico, ſed elicere debet actum contritionis, eodem modo ſe gerere debet, cum adeſt tantùm Sacerdos Hæreticus. Immò quando etiam daretur, quod negamus Hæreticum Sacerdotem in caſu neceſſitatis probabili, vel dubia iuriſdictione ad abſoluendum gaudere, adhuc ſi abſolueret, à moribundo eliciendus eſſet actus contritionis, vt ſalutem ſuam in tuto conſtitueret, ſequè æternæ damnationis periculo ſubriperet, ſed quæſtionem diremit, ac difficultatem ſubſtulit Sacra Congregatio, declarando Excommunicatum denununciatum, alioſque in vnitate Eccleſiæ non viuentes, cuiuſmodi ſunt Hæretici notorij, & manifeſti, abſoluere non poſſe, nec in caſu neceſſitatis, idque ad verba Concilij Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. dicentis, *Omnes Sacerdotes in articulo mortis quemlibet à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſe*; declarando verba hæc intelligenda non eſſe de Sacerdotibus Excommunicatis, & denunciatis, atque ab Eccleſia præciſis; ac proindè funditus euertendo fundamentum recentiorum, quod in verbis Concilij præpoſterè intellectis conſiſtebat. Prætereàque Clemens Octauus decernit in caſu neceſſitatis Latinum Catholicum à Græco Catholico, atque vnito abſoluendum eſſe.

Poſito autem, quod aduerſæ opinioni nulla probabilitas adſit, & ſi quæ fuit, per decretum Sacræ Congregationis omninò ei ſublata ſit; dicendum eſt, vlterius, quod Excommunicato denunciato, alijſque in vnitate Eccleſiæ non viuentibus, cuiuſmodi ſunt Hæretici notorij, & manifeſti, non liceat, nec ſub conditione abſolutionem Sacramentalem in caſu neceſſitatis impendere, abſolutio enim ſub conditione impendi licet, quando remanet probabilitas, aut ſaltem dubium de iuriſdictione abſoluentis, in caſu autem, de quo agitur, nulla remanet probabilitas, nec dubietas de iuriſdictione Excommunicati denunciati, & Hæretici notorij, cum per Sacram Congregationem declaratum ſit, eos abſolutionem Sacramentalem impendere non poſſe, gratis autem admiſſo, præſentem quæſtionem eſſe dubiam, expectanda non eſt reſolutio ab Apoſtolica Sede, qua decernatur Excommunicatos denunciatos, alioſque in vnitate Eccleſiæ non viuentes impendere poſſe abſolutionem ſub conditione in caſu neceſſitatis, qui enim aſſerit, Excommunicatum denunciatum abſoluere poſſe ſub conditione, dubitat vtrum Excommunicatus gaudeat iuriſdictione, ac proindè ignorat vtrum ea gaudeat, vel non gaudeat, hæc autem dici nequeunt de Apoſtolica Sede, quæ benè nouit, an conceſſerit, vel non conceſſerit prædictis iuriſdictionem, & per Sacram Congregationem manifeſtè declarauit, ſe talibus non conceſſiſſe iuriſdictionem.

QVÆ-

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum ab Eccleſia tribus primis ſæculis Pœnitentiæ Sacramentum, ſeù Abſolutio Sacramentalis aliquibus peccatoribus denegata fuerit.

Errores Marci Antonij de Dominis.

MArcus Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis in Libro, quem de Republica Eccleſiaſtica inſcripſit, *parte 2. lib. 5. cap. 7. num. 89. & ſeq.* vult, antiquitus in Eccleſia cum Moribundis, qui vſque ad vltimum vitæ terminum in peccatis perſeueraſſent, & neque interna, neque externa Eccleſiæ pœnitentia ſe purgaſſent, & tantùm inſtante morte conſcij ſe crimine aliquo irretitos, Eccleſiaſticam peterent pœnitentiam, & reconciliationem, eam conſuetudinem ſeruatam fuiſſe, vt ad pœnitentiam admitterentur, ſed non reconciliarentur, & ne ligati ex hoc Mundo diſcederent, ait, quod illa admiſſio ad pœnitentiam relinquebat illos propriæ internæ pœnitentiæ, cum promiſſione Eccleſiæ de danda eis pœnitentia, ſi conualuiſſent, & addit, quod Priſci negabant Moribundis reconciliationem, quæ ordinariè per Communionem fiebat; quia, inquit, non poterat præcedere pœnitentia externa, & ſatisfactio, quam omninò vt neceſſariam, inquit, ſemper tenuit Eccleſia ad vſum Clauium. Vndè ſolam abſolutionem, ſeù reconciliationem, quæ lapſis poſt impletas publicas ſatisfactiones cum Euchariſtia concedebatur, dicit ſpectaſſe ad Claues Eccleſiæ, nullam tamen Sacramentalem abſolutionem, ſeù reconciliationem ergà peccatores agnoſcit, nec antiquitùs, nec ad præſens in Eccleſia, negat enim pœnitentiam eſſe Sacramentum; eam tamen ſuam illam reconciliationem, non Sacramentalem ad Claues Eccleſiæ pertinentem moribundis illis denegatam dicit, eo quod peccatoribus illis, vtpotè in articulo mortis conſtitutis, aut non poterant iniungi opera ſatisfactoria, aut iniuncta non poterant ab illis impleri, ſed quamdam aliam abſolutionem extraordinariam, quæ ad Claues Eccleſiæ non pertinebat, vult eis fuiſſe conceſſam, hanc autem vult non aliud fuiſſe, quàm Sacræ Euchariſtiæ traditionem, ſine alia diſtincta reconciliatione, quæ alijs pœnitentibus extrà caſum mortis cum Euchariſtia dabatur; ſed extraordinario modo, hoc eſt non præmiſſis illis pœnitentijs, & operibus ſatisfactorijs, quæ

cum immineat mors præſtari à moribundo non poſſunt, & de hac reconciliatione, dicit ſemper dubitatum fuiſſe, an poſſit prodeſſe, & hanc reconciliationem dicit non pertinere ad Claues Eccleſiæ, cum Claues, inquit ipſe, ſoluere nequeant, niſi quem pœnitentijs, ſeù operibus ſatisfactorijs priùs ligauerant; ſed & eamdem conſuetudinem, etiam ad præſens cum eis peccatoribus ſeruandam eſſe ab Eccleſia dicit, qui tantùm in extremo vitæ veniam expoſcunt. Nam vbi retulit ſententias diuerſorum Patrum, quorum aliquos dicit, negare, alios concedere pœnitentiam moribundis, qui in extremo dumtaxat vitæ, veniam expoſtulant *num.* 89. profert ſuam ſententiam inquiens: *Medium tamen quoddam temperamentum mihi videtur in hoc obſeruandum, vt videlicet moribundus petens pænitentiam, ſit omninò ad pænitentiam admittendus, hoc eſt non repellatur, ſed quantum ex parte Eccleſiæ eſt illum ad agendam pænitentiam, ſi poſſit eam exequi, admittat, & conſequenter inter ligatos ab Eccleſia eum reponat, ſed ne ligatus diſcedat, anticipata detur ei reconciliatio per Sacram Euchariſtiæ communionem, quam vocant viaticum, 26. quæſt. 6. & 7. cum obligatione tamen, vt ſi conualuerit inter pænitentes maneat, donec adiunctam ſibi externam abſoluerit pænitentiam, & ſatisfactionem, poſtquam in forma Eccleſiæ ordinaria reconcilietur per ordinariam Communionem; illa enim Communio, quam moribundus habuit, fuit extraordinaria, & pro viatico. Cum igitur hæc viatici communio, ſine prævia vera Eccleſiaſtica pænitentia, non ſit plena illa, & vera Eccleſiaſtica peccatorum reconciliatio dubium ſemper fuit, quod illa poſſit prodeſſe, licet negandam eſſe Eccleſia non cenſeat, ſed concedendam, vt valeat, quantùm valere poteſt.* Hæc Spalatenſis. In quibus animaduertendum, quod ipſe negat, Pœnitentiam eſſe Sacramentum, & nullam aliam externam pœnitentiam agnoſcit, niſi admiſſionem peccatoris ad pœnitentiæ ſtatum, & ad ſubeundas pœnitentias, ſeù ſatiſfactiones ab Eccleſia pro peccatis ſtatutas, nullam aliam abſolutionem, & reconciliationem agnoſcit, niſi,quæ fit per Communionis reſtitutionem, & ait, quod remiſſio peccatorum fiebat, & etiam modò fit per pœnitentiam præcipuè internam, quam ſolam nunc etiam ſufficere dicit: Vndè cum ait, etiam nunc poſſe reconciliari moribundos, quos in extremo dumtaxat vitæ peccatorum pœniteat, non loquitur de abſolutione Sacramentali, nam hanc nullatenus admittit, ſed loquitur de abſolutione, ſeù reconciliatione illa, quam dicit conferri per Euchariſtiam.

Aliquorum Catholicorum ſententiæ.

INter Catholicos recentiores aliqui volunt, abſolutionem Sacramentalem peccatoribus illis ab Eccleſia primis temporibus denegatam fuiſſe, qui in extremo vitæ dumtaxat veniam flagitaſſent. Sententiam hanc inter primos Catholicos protulit Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus in libro de frequenti Communione *par.* 2. *cap.* 15. vbi pag. 357. ſic ait. *Etenim ſeras iſtiuſmodi, vicinaſque morti pænitentias, emen-*

emendandaque vitæ ſignificationes tam parui ſemper fecit Eccleſia, vt totis tribus ſæculis miniſterij ſui auctoritatem, & quam à Chriſto acceperat ſoluendorum criminum poteſtatem erga eos adhibere recuſaret, qui cum vniuerſum tempus ætatis turpiter, & flagitioſè traduxiſſent, extremo demùm ſpiritu, ad eam confugiebant. Immo verò cum inhumanæ Nouatianorum acerbitati, qui nimia, & immodica ſeueritate (vt eſt Hæreticorum genius præceps ad extrema) ſpem omnem pacis lapſis eripiebant, ſtudioſius obſiſteret, concertatioque hæc ipſa aduerſus eos, qui è peccatis emergere niterentur mitiorem, placabilioremque eam efficeret: tamen indulgentiam, ac ſpem veniæ, quam omnibus, vel nocentiſſimis offerebat ijs ſolis concedendam non putauit, qui inſtanti morbi diſcrimine, cum peccata ſatisfactione redimere non poſſent veniam poſtulabant.

Cuius rei auctorem, inquit, *habemus Cyprianum in Epiſtola ad Antonianum: vbi importunam Nouatianorum in lapſos duritiem toto pectore refellens, & ſumma eloquentiæ vi demonſtrans, non occludenda ijs penitus Eccleſiæ viſcera, neque omnem veniæ ſpem eripiendam: indignos tamen hac Eccleſiæ benignitate habitos ſignificat, qui inſtante morte eam expeterent, atque in ſupremis illis anguſtijs liberationem criminum quærerent, quæ iam pænitentia expiare non poſſent &c.* & ad hoc affert verba Cypriani *in Epiſt.* 50. *ad Antonianum*, Concilium Arelatenſe primum, & Innocentium primum in epiſtola ad Exuperium Epiſcopum Tholoſanum.

Cum Arnaldo ſentit Ægydius Gabrielis in ſuo libello *Speciminum moralium par.* 2. *moralis tutioris* §. 41. Ibi enim ait, quod *In Eccleſia primis trecentis annis practicatum fuit, vt negaretur abſolutio, & Communio in articulo mortis ijs, qui poſt vitam perditè actam, non egerant pænitentiam, & tantùm ratione infirmitatis, ac periculi mortis petebant Sacramentum Reconciliationis*, & ad hoc affert eaſdem authoritates, quas affert Arnaldus, S. Cypriani Concilij Arelatenſis, & Innocentij Primi.

Natalis Alexander in ſuis Diſſertationibus hiſtoricis ſæculi tertij *par.* 1. *diſſert.* 7. *art. vnico*, Canonicorum tantùm criminum reis, ſi in infirmitate dumtaxat pœnitentiam poſtulaſſent, primis Eccleſiæ ſæculis, & tertiò præſertim abſolutionem Sacramentalem negatam fuiſſe dicit, & affert eaſdem authoritates, quas affert Arnaldus.

Ioannes Morinus in Commentario hiſtorico de Diſciplina in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ tredecim primis ſæculis in Eccleſia Occidentali obſeruata *lib.* 10. *cap.* 1. Illis dumtaxat peccatoribus abſolutionem Sacramentalem denegatam fuiſſe dicit, qui neglecta Eccleſia, quam deſeruerant, vel à qua eliminati fuerant, tunc primum pœnitentiam, veniamq; petebant, cum morbo ſtimularentur.

Aureliæ Epiſcopus *libr.* 2. *obſeruat.* 8. *quæſt.* 11. 13. 15. 17. apud Ioannem Morinum in Commentario hiſtorico &c. *lib.* 9. *c.* 1. *n.* 5. ait, primis Eccleſiæ ſæculis veniam grauioribus criminibus nunquam eſſe indultam, ne in fine quidem.

Chriſtianus Lupus *par.* 5. Decretorum, & Canonum Synodorum Generalium,

ralium, ac Prouincialium *differt. de peccator.ac ſatisfaction. indulgent.cap.*1. Trium criminum reis pœnitentia functis, & in articulo mortis conſtitutis à Romana Eccleſia veniam antiquiſſimis temporibus non fuiſſe conceſſam vult,ſcilicet Idololatris, Homicidis, & Mœchis (*Tria olim* (inquit) *peccata Mater Eccleſia fuit ſingulariter deteſtata, Idololatriam, Mœchiam, & Homicidium; eis Sacramentalis reconciliationis pacem negauit, etiam in articulo mortis poſt peractam pœnitentiam. Ea reſeruauit Diuinæ Maieſtati, ad ſummum Noſtrum in Dei Patris dextera Pontificem IeſumChriſtum iudicanda remiſit ſoluenda,aut tenenda. Ita fuit vſq; ad Zephirinum Pontificem*.Hęc Lupus.

ASSERTIO PRIMA.

Eccleſia Romana criminum Idololatriæ, Homicidij, Mœchiæ reis pœnitentia functis, nunquam veniam, ſeù abſolutionem Sacramentalem denegauit.

ASſertio hæc eſt contra Lupum, aliosq; nonnullos recentiores. Eam tamen propugnant Ioannes Morinus in Commĕtario *cit.lib.9.c.*19.*&* 20.& Natalis Alexander *art.cit.concl.*3.

Probatur euertendo fundamentum oppoſitæ ſententiæ: Nam etſi Tertullianus in libro *de Pudicitia c.* 5. ſupponat, Catholicos vbique Idololatris, & Homicidis veniam negaſſe, & ſolum Mœchis conceſſiſſe, eo pacto contra Catholicos arguendo,*Idololatris,et Homicidis pacem negatis, cur Mœchis conceditis?* Id tamen Tertullianus aſſerebat, vt argumentis ſuis colorem induceret, & demonſtraret Mœchis pacem eſſe negandam. Nam quod Tertullianus Catholicis imponeret, quod Idololatris,et Homicidis veniam negarent, ex ipſo Tertulliano conſtat; Tertullianus enim antequam in hæreſim laberetur, faſſus eſt, ab Eccleſia Idololatriæ, & Mœchiæ veniam acta pœnitentia concedi ſolitam fuiſſe; Vndè Idololatras, & Mœchos ad pœnitentiam, vt veniam ab Eccleſia conſequantur, exhortatur in libro, quem Catholicus *de Pœnitentia ſcripſit cap.* 8. ſic inquiens (*Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes; habes cui ſatisfacias, & quidem volentem. Si id dubitas, euolue, quæ Spiritus Eccleſiæ dicat: Deſertam dilectionem Epheſis imputat; Stuprum, & Idolothytorum eſum Thyatirenis exprobat: Sardos non plenorum operum incuſat: Pergamenos docentes peruerſa reprehendit &c. & tamen omnes ad pœnitentiam commonet, ſub comminationibus quidem: Non comminaretur autem non Pœnitenti, ſi non ignoſceret Pœnitenti &c.*) Igitur Tertullianus in libro *de Pudicitia* contradicit his, quæ ingenuè faſſus erat in libro *de Pœnitentia*, quoad conſuetudinem Eccleſiæ in venia Idololatris concedenda;His videlicet veniam conceſſam fuiſſe; quod poſtmodum negat in libro *de Pudicitia*,vt fundamentum ſternat ſuo errori, & indè aduerſus Eccleſiam argumentetur,vt moris eſt Hæreticorum.

Sed & ex libro *de Pudicitia* conſtat, Tertullianum Catholicis imponere. Nam capite tertiò ſui oblitus,vel potiùs nondum diſputationis calore in tranſuerſum actus, hæc habet (*Sed*

priùs

priùs decidam intercedentem ex diuerſo reſponſionem ad eam pænitentiæ ſpeciem, quam cum maximè definimus venia carere, ſi enim, inquiunt, aliqua pænitentia caret venia, iam nec in totum agenda tibi eſt; Nihil enim agendum eſt fruſtra: Porrò fruſtra agitur pænitentia, ſi caret venia. Omnis autem pænitentia agenda eſt; Ergò omnis veniam conſequatur, ne fruſtra agatur, quia non erit agenda, ſi fruſtra agatur. Porrò, fruſtra agitur, ſi venia carebit, meritò ita opponunt, quoniam huius quoque pænitentiæ fructum, id eſt veniam in ſuâ poteſtate vſurpauerunt.) His verbis clarè Tertullianus exprimit Catholicam conſuetudinem fuiſſe de quibuslibet criminibus pœnitentiam agere, & actâ pœnitentia veniam fuiſſe Pœnitenti ab Eccleſia datam. Nam Catholicorum illa aduerſus Montaniſtas ratiocinatio propoſitionibus nititur, quæ ſingulæ tribus illis criminibus irremiſſibilibus opponuntur. Prima eſt. *Omnis criminis agenda eſt pænitentia.* Secunda. *Omni pænitentiæ venia neceſſariò danda eſt, alioquin Pænitentia eſt ſupernacanea.* Tertia. *Veniæ illius conceſſio, Eccleſiæ authoritati commiſſa eſt.*

At ex eodem libro *cap.* 10. efficaciſſimum, & ineluctabile argumentum, vt Morinus obſeruat, elicitur. Ibi enim ſic reſpondet Catholicis authoritatem Hermæ in libro Paſtoris opponentibus. (*Cederem tibi, ſi ſcriptura Paſtoris, quæ ſola mæchos amat, diuino inſtrumento meruiſſet incidi, ſi nō ab omni Concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum, inter apocrypha, & falſa iudicaretur adultera, & ipſa, & inde patrona ſociorum.*) Ille autem antiquus Author, quem Damaſus Pij Papæ I. qui anno Chriſti 158. Pontificatum inijt, fratrem fuiſse ſcribit, non modo adulteris veniam concedit, ſed nullum crimen nouit, quod pœnitentia non expietur, vt videri poteſt *libr.* 2. *mandato* 4. Quem locum Tertulliano Catholici opponebant. Imo *lib.* 3. *Similitudinibus* 6. 7. & 8. Omnia peccatorum genera ſingillatim explicat, eaque omnia lauari pœnitentia docet. Ex quo patet Catholicorum ſententiam non mœchiam tantùm, ſed omnia criminum genera complexam fuiſſe. Quod opponit falſam, & apocrypham eſſe omnium Eccleſiarum iudicio ſcripturam illam, nihil ad id quod Nobis probandum eſt ſpectat. Deinde quod aſſumit falſum eſt, ſcriptura enim illa à Clemente Alexandrino, & Irenęo antiquioribus Tertulliano, imo & à Tertulliano Catholico magni æſtimatur, & libris Canonicis quaſi æquiparatur, & in eodem pretio eſt apud Authores Tertulliano poſteriores

His additur illud ipſum, quod in Catholicis reprehendit Tertullianus ad libri finem, Martyres lapſis pacem ab Eccleſia impetrare. Non erat ergo recens conſuetudo, crimina illa remittendi, vt credi vult Tertullianus, ſed antiqua, & ab ipſa origine Eccleſiæ continuata. Mœchiæ quidem, & fornicationis mentionem tantùm facit. Sed ex Sancto Cypriano demonſtratur ſecundùm anteriorem conſuetudinem, pacem Martyres ab Eccleſia pro lapſis, & idololatriæ reis potiſſimum exorare ſolitos, vt ex epiſtolis 10. 11. 12. 13. & multis ſequentibus colligitur. Non cenſebantur igitur illa crimina irremiſſibilia, vt vult Tertullianus.

Hanc

Hanc eamdem fuiſſe vniuerſæ Eccleſiæ ante Tertullianum conſuetudinem oſtenditur ex antiquiſſimis Apoſtolorum Canonibus, præſertim ex Can. 52. in quo hæc habentur. (*Si quis Epiſcopus, aut Presbyter à peccato reuertentem non recipit, ſed reijcit, deponatur, quia Chriſtum contriſtat dicentem, Gaudium erit in Cælo, &c.* & Can. 62. (*Si quis Clericus humano timore Iudæi, vel Gentilis, vel Hæretici negauerit, ſiquidem Chriſti nomen eijciatur: ſi vero Clerici nomen, deponatur Pœnitentiam autem agens, vt Laicus recipiatur*. Si poſt grauiſſimum negationis Dei crimen acta pœnitentia recipitur, multò magis receptum fuiſſe credendum eſt, reum minorum criminum, peracta pœnitentia. Ad idem faciunt Canones 24. 27. 28. 29. & 61.

Specialiter autem de Eccleſia Romana hoc ipſum probatur ex epiſtolis Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum, præſertim in epiſtola 2. qua lapſorum cauſas in ſuſpenſo manere decernit ad noui vſque Pontificis electionem, ijſque interim pacem dari prohibet, exceptis tamen illis, qui in ſupremo vitæ diſcrimine conſtituti fuerint, quibus abſolutionem dari iubet acta pœnitentia, *Cuius*, inquit, *tempora menti moderamen nos hic tenere quærentes diù, Et quidem multi & quidem cum quibuſdam Epiſcopis vicinis nobis, & appropinquantibus, & quos ex alijs Prouincijs longè poſitis perſecutionis iſtius ardor eiecerat, ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innouandum putauimus, ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus, vt interim dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſint dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur; eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem vrgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta pœnitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum ſi lachrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis, ac vere pœnitentis animi ſigna prodiderint, cum ſpes viuendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit, ita demum cautè, & ſollicitè ſubueniri Deo ipſo ſciente, quid de talibus faciat, & qualiter iudicij ſui examinet pondera, nobis tamen anxiè curantibus, vt nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem*. In his verbis Romanus Clerus abſolutionem lapſis moribundis tribui iubens, non innuit, ſe noui aliquid decernere, aut antiquam ſe emollire diſciplinam, vnde argumento eſt nuſquam antea Romanam Eccleſiam lapſis, qui pœnitentiam egiſſent, abſolutionem in exitu denegaſſe; multò autem minus abſolutionem denegaſſe ijs, qui pœnitentia, dum ſani eſſent, functi fuiſſent.

Præter Eccleſiam Romanam, in Occidente alias etiam Eccleſias celebriores, ſcilicet Carthaginenſem, Hiſpanenſem &c. & nullam Orientis Eccleſiam, & pacem lapſis pœnitentia functis nunquam denegaſſe oſtendunt Morinus, & Alexander locis cit. ad quos Lectorem remittimus.

Verùm *Lupus loc. cit.* affirmat, trium illorum peccatorum reis, ſcilicet idololatriæ, mœchiæ, & homicidij, etiam poſt peractam pœnitentiam, veniam ab Eccleſia denegatam fuiſſe, vſque ad Zephirinum Pontificem, idque probat

probat ex verbis Tertulliani in libro de Pudicitia, vbi de Zephirini edicto Tertullianus hæc ſcribit. *Audio Edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium quod Pōtifex, ſcilicet Maximus, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum edicit: Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Et infra idem Lupus de Tertulliano ſic ait: *Arguit Zephirinum Pontificem de duplici exceſſu, de duplici in Eccleſias inducta nouitate*. Primò quod mœchis, & fornicatoribus abſolutionis pacem; ſecundò, quod etiam pœnitentiarum remiſsionem impertiretur, & vtramque gratiam permitteret poſtulari, ac adiuuari per Martyrum litteras,& reuera vtrumque (addit Lupus)tunc fuit in Eccleſia nouum, vti iſtarum culparum, ita & pœnitentialium ſatisfactionum remiſſio fuerat vſque tunc Chriſto Domino reſeruata.

At Zephirinus in relato Edicto, non dicit ſe noui aliquid decernere, quoad veniam mœchis impertiendam, neque in hoc antiquam ſe legem emollire, igitur ex Edicto Zephirini potius oppoſitum colligitur, videlicet conſuetudinem veniam donandi mœchis antiquam eſſe, & ab ipſis Eccleſiæ primordijs in vſu fuiſſe. Quare tantùm abeſt, vt ex eo Zephirini Edicto habeatur, quod eius tempore veniæ huiuſmodi elargitio inciperet, vt ex eo potius oppoſitum habeatur, & contra Lupum retorqueatur. Non enim Zephirinus nouam legem condidit, ſed veterem conſuetudinem ſeruauit, & confirmauit.

Sed & ante Zephirinum, imo ſemper in Eccleſia Romana conſuetudinem fuiſſe reis dictorum criminum pœnitentia functis, veniam, & abſolutionem impendere, conſtat ex dictis, & ex mox dicendis amplius conſtabit.

Nam Sanctus Irenæus, qui ante Zephirini Pontificatum ſcribebat huius veniæ denegationem ab Eccleſia Romana, vt Lupus aſſerit, datam ignorauit, cum, vt benè obſeruat Morinus, ſæpius data occaſione illius denegationis nunquam mentionem faciat, imo contrarium ex Eccleſię conſuetudine ſæpius factam teſtetur. Libro enim 1. *cap*. 9. refert nonnullas mulieres à Marco quodam Hæreſiarcha non ſolùm mente, & animo, ſed etiam corpore corruptas, exomologeſi facta in Eccleſiam receptas fuiſſe; hæ ſæpiſſimè conuerſæ ad Eccleſiam Dei confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus exterminatas, ſed ab eo velut cupidine, & inflammatas valde ſe illum dilexiſſe, vt & Diaconus quidam eorum, qui ſunt in Aſia ſuſcipiens eum in domum ſuam, inciderit in huiuſmodi calamitatem. Nam cum eſſet eius vxor ſpecioſa, & ſententia, & corpore corrupta eſſet à Magiſtro, & ſecuta eſſet eum multo tempore, poſt deinde cum magno labore fratres eam conuertiſſent, omne tempus in exomologeſi conſummauit plangens, & lamentans vbi hanc, quam paſſa eſt ab hoc Mago corruptelam.

Addendum eſt illuſtre teſtimonium Clementis Alexandrini, qui vixit Zephirini temporibus; in ſecundo *Stromatum ex lib*. 2. *Paſtoris mandato* 4. excerptum, quo pœnitentia & poſt pœnitentiam venia ex Angeli mandato quibuslibet peccatis, & Mœchiæ ſingillatim conceditur. Idem euidenter

denter de quibuslibet peccatis in ſpecie; & colligitir ex eiuſdem Hermæ *lib. 3. ſimilitudinibus 6. 7. 8.*

Hoc idem probatur luculento teſtimonio S. Auguſtini *in Epiſtola 48. ad Vincentium Donatiſtam*, in qua teſtatur, S. Cypriani tempore veniam adulteris pœnitentibus conceſſam fuiſſe. Ibi enim referens S. Cypriani locum, quo Cyprianus inuehitur in Sacerdotem ita pœnitentiam dantem peccarori, vt ſola pœna indicta, eum non abſolueret; Quia videlicet is haud dubiè impiè contra fas omne, & ius faceret, vtpote qui non ſolueret, quem obligaſſet, eique pœnitentiæ fructum, & ſpem veniæ negaret, ſic Auguſtinus contra Epiſcopos Africanos, qui contra ius omne, & fas contra Chriſti inſtitutum, & Eccleſiæ diſciplinam Mœchis pœnitentiam, & peccati veniam negabant, pronunciar. *Si quod veritas habet, & quod Eccleſia meritò tenet, rectè pænitentibus adulteris pax dabatur*, (Cypriani videlicet tempore) *illi qui in totum locum pænitentiæ contra adulteros claudebant, impiè vtique agebant, qui membris Chriſti ſanitatem negabant, & claues Eccleſiæ pulſantibus ſubtrahebant, & miſericordiſſimæ patientiæ Dei, quæ illos propterea ſinebat viuere, vt pænitendo ſanarentur Sacrificio contriti ſpiritus, & contribulati cordis oblato dura crudelitate contradicebant.*

Ad idem faciunt, quæ pro ſecunda noſtra aſſertione afferemus ex S. Paciano *in Epiſt. 1. ad Sympronianum, & Epiſt. 3.* in qua multis probat nulla peccata, vel magna, vel modica, excipi a Chriſto dicente, *Quorum remiſeritis peccata....* Petro præcipi, vt ſeptuageſies ſeptics relaxetur, quod peccatur in hominem &c.

His denique teſtibus adiungi poteſt S. Dionyſius, qui à pluribus Areopagita creditur; Multis enim in Epiſtola ad Carpum in eos, ipſumque Carpum inuehitur, qui peccatorum quorumlibet pœnitentibus veniam, & reconciliationem denegant; ſed omnibus anteire debet, rectè ait Morinus, Corinthij inceſtus ab Apoſtolo Paulo veniam conſecuti, exemplum quod Catholici ſemper Tertulliano appoſuerunt, & cuius pondere ita oppreſſus eſt, vt illud nunquam excutere potuerit, licet ſæpius id magno Conatu in libro de Pudicitia tentauerit.

Pro maiori autem eorum, quæ hactenus dicta ſunt, & aliorum, quæ mox dicentur, intelligentia, attendenda ſunt, quæ in ſequenti quæſtione obſeruabimus, & hic obſeruanda cenſemus; quod videlicet peccatores pœnitentiæ Eccleſiaſticæ ſeu canonicæ ſtatum ex præſcripto Eccleſiæ ſuſcipientes abſoluebantur Sacramentaliter, nedum ante peractam pœnitentiam Eccleſiaſticam, ſed & pluries Sacramentaliter abſoluebantur in proſequutione eiuſdem pœnitentiæ, iniunctâ his alia pœnitentia Sacramentali: ac præterea Sacramentaliter abſoluebantur poſt expletam pœnitentiam Eccleſiaſticam; Vnde completa Eccleſiaſtica pœnitentia duplici abſolutione abſoluebantur, abſolutione ſcilicet Sacramentali pro culpis poſt vltimam abſolutionem Sacramentalem in eo ſtatu admiſſis, quæ ſaltem veniales eſſe potuerunt, iniuncta eis ſpeciali pœnitentia Sacramentali; Et rurſus abſoluebantur abſolutione Eccleſia-

cleſiaſtica, quæ poſt impletionem Eccleſiaſticæ pœnitentiæ impendebatur. Hæc enim omnia ita contigiſſe dicendum eſt, quia ea in hac re antiquitus in Eccleſia peracta eſſe dicendum eſt, quæ rationabilia ſunt, immo & conformia inſtitutioni Sacramenti Pœnitentiæ à Chriſto peractæ, inueniuntur. Eſt autem omnino rationabile, & inſtitutioni Sacramenti Pœnitentiæ cõforme, vt fideles priusquã à pœnis ab Eccleſia pro admiſſis culpis ab eadem Eccleſia exſoluantur, quod contingebat per abſolutionem Eccleſiaſticam, exſoluerentur à culpis, & pœnis, in foro Dei, quod fit per abſolutionem Sacramentalem.

Hæc autem hic obſeruanda duximus, vt inde pateat, quod licet plures ex authoritatibus à Nobis inductis, pro hac noſtra prima aſſertione formaliter intelligendæ ſint de abſolutione Eccleſiaſtica, qua pœnitentes poſt expletam Eccleſiaſticam pœnitentiam abſoluebantur, eædem tamen authoritates noſtram aſſertionem probant, quoad abſolutionem videlicet Sacramentalem; nam probato, quòd Eccleſia abſolutionem Eccleſiaſticam, & pro foro externo trium dictorum criminum reis pœnitentia functis non denegauerit, à fortiori probatum relinquitur, quod nec abſolutionem Sacramentalem eorumdem criminum reis vnquam denegauerit, cum abſolutio illa Eccleſiaſtica, & pro foro externo, coniunctam ſemper haberet, immo præſupponeret abſolutionem Sacramentalem, & pro foro interno. Immo illud etiam obſeruandum, quod nulla vnquam fuit, aut potuit eſſe controuerſia in Eccleſia (quidquid recentiores contradicant) de concedenda abſolutione Sacramentali peccatoribus veniam petentibus, & pœnitentibus, nam cum Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit à Chriſto Domino, vt conferatur peccatoribus dolentibus, ac pœnitentibus, non eſt putandum, quod Eccleſia contra Chriſti Domini præſcriptum, Pœnitentiæ Sacramentum pro pœnitentibus inſtitutum, eiſdem etſi grauiſſimorum criminum reis denegare voluerit.

Dicimus autem, de hoc nunquam controuerſiam fuiſſe, aut eſſe potuiſſe in Eccleſia, nam quod Nouatiani, alijque hæretici negauerint peccatores ad veniam, & ad abſolutionem recipiendos eſſe certum eſt, eos tamen Eccleſia damnauit, ſicut & alios quoſcumque, etſi aliàs Catholicos, qui negarent grauiorum criminum reos ad pœnitentiam eſſe recipiendos: tales erant Epiſcopi aliqui, qui vt refert, S. Cyprianus in Epiſt. ad Antonianum, pacem Mœchis non dandam putabant, quos ibi Cyprianus redarguit. Quare Eccleſiæ mens ſemper fuit, vt quorumcumque criminum reis, pœnitentibus, & veniam poſtulantibus, abſolutio & venia concederetur. Hinc illæ S. Cypriani ibidem inclamationes contra Nouatianum (*Dominus in Euangelio ſuo dicit*, eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſertus eſt veſtri. Et iterum: *Non eſt opus ſanis Medicus, ſed malè habentibus. Quam poteſt exercere medicinam, qui dicit, Ego ſolos ſanos curo, quibus Medicus neceſſarius non eſt?* (Et poſt plura) *Et ideo placuit frater chariſſime, examinatis cauſis ſingulorum libellaticos interim admitti*

admitti, Sacrificatis in exitu ſubueniri, quia exomologeſis apud Inferos non eſt, nec ad pœnitentiam quis à nobis compelli poteſt, ſi fructus pœnitentiæ ſubtrahatur (Et poſt alia) *Iacet, ecce ſaucius frater ab Aduerſario in acie vulneratus. Inde Diabolus conatur occidere, quem vulnerauit, hinc Chriſtus hortatur, ne in totum pereat, quē redemit. Cui de duobus aſſiſtimus, in cuius partibus ſtamus? Vtrū ne Diabolo fauemus, vt perimat, & ſemianimem fratrem iacentem, ſicut in Euangelio Sacerdotes & Leuita prætérimus? an verò vt Sacerdotes Dei, & Chriſti, quod Chriſtus & docuit, & fecit, imitantes vulneratum de Aduerſarij faucibus rapimus, vt curatum Deo iudici reſeruemus: Nèc putes frater chariſſime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut Monaſteria deficere, quod lapſis laxata ſit pœnitentia, & quod pœnitentibus ſpes pacis oblata ...... nam & Mæchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcirco virginitas in Eccleſia deficit, aut continentiæ propoſitum glorioſum per aliorum peccata langueſcit, & rurſus Miror quoſdam ſic obſtinatos eſſe, vt dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment, veniam denegandam; cum ſcriptum ſit* : Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera, & infra *Neminem putamus à fructu ſatisfactionis, & ſpe pacis arcendum, cum ſciamus iuxta Scripturarum Diuinarum fidem auctore, & hortatore ipſo Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari* (Mox in eoſdem Nouatianos inuehitur, quod vellent peccatores pœnitentijs, ac operibus pœnalibus ſubiacere, non tamen eis abſolutionem dari) inquiens (*O fruſtraneæ fraternitatis irriſio, ò miſerorum lamentantium caduca deceptio, ò hereticæ inſtitutionis inefficax, & vana traditio; hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam, dicere fratribus noſtris plange, & lachrymas funde, diebus, ac noctibus ingemiſce &c. ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris, quæcumque ad pacem pertinent, facies, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies.*)

Eadem latius proſequitur in epiſtola ad Nouatianum ipſum: in ea enim totus eſt in oſtendendo, quod lapſis ſpes veniæ non ſit deneganda, & in eumdem Nouatianum eleuat vocem ſuam ipſum redarguens, quod in ſcripturis tantùm legat illa, quæ ad exitium ſalutis pertineant, & quæ ad miſericordiam prætereat. Clamante, inquit, Scriptura, & dicente: *Pœnitentiam agite, qui erratis, conuertimini corde*: & eadem quoque Propheta ſimiliter exhortante, & dicente: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & ploratione, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta, & conuertimini ad Deum veſtrum: quoniam miſericors eſt, & miſerator, multæ miſerationis &c.*

Sanctus Cyprianus igitur peccatores quoſcumque, nulla commiſſorum criminum exceptione facta, ad pœnitentiam recipiendos dicit, eiſque veniam per abſolutionem etiam Sacramentalem, concedendam. Nouatianus enim, contra quem agit, nullam ſpem ſalutis ſuper re eſſe lapſis cōtendebat per Eccleſiæ claues obtinendæ. Nam illos ſalutem à Deo ſperare poſ-

ſe,

ſe,& debere non negabat, & ideò illos ad pœnitentiam exhortabatur, vt Diuinam clementiam lachrymis promererentur, ac laboribus, ſed hoc negabat vnum, ad Eccleſiæ, ac fidelium Communionem eos recipi poſſe; atq; penès Eccleſiam ipſos reconciliandi ius vllum eſſe, ac poteſtatem. Vt conſtat ex Epiphanio *hæreſi* 59. Socrate *lib.4.& 7.Hiſtor.Eccleſ.* Euſebio *lib.6. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 35. S. Cypriano *in libro de Lapſis, & ex Epiſt.* 57. *ad Cornelium*. Cum ergo S. Cyprianus eam Nouatiani hæreſim damnet, qua Nouatianus aſſerebat nullam Lapſis veniam, & abſolutionem concedendam eſſe, vult conſequenter Lapſis, & quorumcumque criminum reis veniam, & abſolutionem concedendam eſſe; Igitur ex Cypriano habetur, quod Eccleſia, quorumcumque criminum reis etiã Idololatris, Homicidis, & Mœchis pœnitentibus, & veniam poſcentibus, veniam, & abſolutionem Sacramentalem non denegauerit.

Hæc porrò ex Cypriano in laudata Epiſtola ad Antonianum obſeruat Ioannes Darſius in ſuis Commentarijs in vniuerſum Gratiani Decretum *par.* 2. *diſt.*26.*quæſt.*6.*&* 7. Nam vbi recenſuit priſcorum Epiſcoporum opinionem, qui, vt refert Sanctus Cyprianus in dicta Epiſtola, dandam pacem Mœchis non putabant, & in totum Pœnitentiæ locum contra adulteria claudendum. Subdit Darſius: *Hanc verò opinionem non ſequuta eſt Eccleſia Romana, vt conſtat ex Tertulliano toto libro de Pudicitia. Nec Diuus Auguſtinus, qui libro de fide, & operibus exiſtimauit, dandam eſſe pœnitentiam Idololatris, impudicis, & homicidis; Qui autem opinantur, inquit, & cætera eleemoſynis compenſari, tria tamen mortifera eſſe, non dubitent excommunicatione puniendâ, donec humiliori pœnitentia ſanentur, impudicitiam, idololatriam, & homicidium, & multò minus D. Chryſoſtomus magnus Pœnitentiæ Præſul, vt apparet Parœneſi ad Theodorum lapſum cap.* 3. Hæc Darſius.

Animaduertendum autem, quod cum S. Cyprianus *locis citatis* probat pœnitentiam peractam ante reconciliationem, ſeù abſolutionem, non loquitur de pœnitentia Sacramentali; nam hæc, vt quæſtione ſequenti dicemus ante abſolutionem Sacramentalem non peragebatur, ſed loquitur de pœnitentia, qua peccator ex ſe ipſo ſe diſponit per dolorem, & fletum ad veniam, & reconciliationem, ſeù abſolutionem obtinendam.

ASSERTIO SECVNDA.

Eccleſia primis tribus ſæculis Peccatoribus in extremo vitæ pœnitentibus Pœnitentiæ Sacramentum, ſeù abſolutionem Sacramentalem non denegauit.

Aſſertio hæc eſt contra Authores in principio Quæſtionis relatos. Sed probatur primò authoritatibus illis, quas in prima aſſertione de Sacramentali abſolutione intelligendas eſſe diximus; & præſertim S. Cypriani *in epiſt. cit. ad Antonianum*; Ibi enim generaliter dicit peccatores pœnitentes, veniamq; poſcentes, ad pœniten-

tentiam, veniam, ac reconciliationem admittendos eſſe, & Nouatianum id negantem redarguit; Quæ autem ibi pro hac re Cyprianus affert probant, Peccatores etiam in extremo dumtaxat vitæ pœnitentes abſoluendos eſſe Sacramentaliter; Immò in eadem epiſtola in principio dicitur, per totum Orbem ſcriptum eſſe (*vt lapſis infirmis, & in exitu conſtitutis pax donetur*) & poſt plura dicit (*ſi qui enim infirmitatibus occupantur, illis, ſicut placuit, in periculo ſubuenitur; poſtea quam tamen ſubuentum eſt, & periclitantibus pax data eſt, ſuffocari à nobis non poſſunt, aut opprimi, arctari, & manu noſtra in exitum mortis vrgeri: vt quoniam morientibus pax datur, neceſſe ſit mori eos, qui acceperint pacem: cum magis in hoc iudicium Diuinæ pietatis, & paternæ lenitatis appareat, quam qui pignus vitæ in data pace percipiant, hic quoque ad vitam percepta pace teneantur. Et id circò, ſi accepta pace commeatus à Deo datur, nemo hoc debet in Sacerdote criminari, cum ſemel placuerit fratribus in periculo ſubueniri*) & poſt alia (*& ideò placuit, Frater chariſſime, examinatis cauſis ſingulorum, libellaticos interim admitti, ſacrificatis in exitu ſubueniri, quia exomologeſis apud Inferos non eſt, nec ad pœnitentiam quis à nobis compelli poteſt, ſi fructus pœnitentiæ ſubtrahatur.*)

Cum ergo S. Cyprianus velit, vt lapſis infirmis in exitu mortis pax detur, cum nomine pacis importari poſſit abſolutio Eccleſiaſtica, ſi hanc Cyprianus concedendam dicit lapſis in exitu mortis, potiori iure ſupponendum eſt, eiſdem concedi voluiſſe abſolutionem Sacramentalem.

Probatur ſecundò. Nam de fide certum eſt, Pœnitentiam eſſe vnum ex ſeptem Sacramentis à Chriſto inſtitutis, prout Sacra Concilia Florentinum, ac Tridentinum definiunt. Conſiſtit autem Pœnitentiæ Sacramentum in actibus pœnitentis, qui ſunt Contritio, & Confeſſio, & in abſolutione Sacerdotis, ac in ſatisfactione. Rurſum certum quoq; de fide eſt, Sacerdotem verbis, quæ profert in confeſſione manifeſtata peccata dimittere Io. 20. (*Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*) Nam his verbis Chriſtus Apoſtolis, eorumq; Succeſſoribus, qui ſunt Sacerdotes, remittendorum peccatorum poteſtatem largitus eſt, quæ poteſtas in ſolo Pœnitentiæ Tribunali exercetur. Nec poteſt intelligi de peccatis per Baptiſmum remittendis, vel de remiſſione per prædicationem excitanda, vt Hæretici comminiſcuntur, nam alibi tradidit Chriſtus baptizandi prædicandique poteſtatem, Matthæi videlicet 28. cum dixit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Deindè, quia eadem eſt poteſtas remittendi, quæ retinendi peccata: at poteſtas baptizandi, & prædicandi, non eſt poteſtas retinendi peccata, igitur datur alia poteſtas procedens cum cognitione cauſæ, & legitima Iudicis Iuriſdictione, qui pro meritis rei, aut ſoluat, aut retineat. Quemadmodum ergo Chriſtus Dominus inſtituit Baptiſmum ad remiſſionem pecccatorum ante Baptiſmi ſuſceptionem commiſſorum, ſic bonitatem eius decuit Sacramentum Pœnitentiæ in remiſſio-

nem

nem peccatorum poſt Baptiſmum pa. tratorum, inſtituere, quo culpæ omnes poſt Baptiſmum ſuſceptum contractæ deleantur; Cum autem Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit à Chriſto, vti medium neceſſarium ad ſalutem peccatoris Chriſtiani, vt per illud pœnitens abſoluatur à culpis poſt Baptiſmum contractis; non eſt putandum, quod Eccleſia illud Peccatori in extremo vitæ conſtituto, pœnitenti, ac petenti denegauerit, aut quod peccatori Sacramentum Pœnitentiæ in extremo vitæ ſuæ petenti ſolam Euchariſtiam conceſſerit, vt vult Spalatenſis, nam Euchariſtia, nec eſt Sacramentum Pœnitentiæ, nec pertinet ad claues Eccleſiæ.

Nec ſat eſt huiuſmodi pœnitentes ad ſinceram cordis contritionem remittere, nam licet per ſinceram Contritionem poſſint remitti peccata; Tamen Chriſtus Dominus ad faciliorem reddendam viam ſalutis, inſtituit Sacramentũ ſenſibile Pœnitentiæ, quo cum vera attritione remitterentur peccata, quodque cuicumque Pœnitenti, quandocumque de peccatis, cum propoſito ab eis abſtinendi doleret, conferretur; Vndè Chriſtus non contulit poteſtatem Eccleſiæ, vt relicto medio ab ipſo Chriſto inſtituto, ſcilicet Sacramento Pœnitentiæ, peccatorem ad ſolum actum Contritionis remitteret. Voluit ergo Chriſtus, vt peccatori pœnitenti per ſuos Miniſtros Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtraretur, & peccator, cum poſſit, ſi non accedat ad Sacerdotem ſalutem non conſequatur. Hinc Sanctus Auguſtinus *in epiſt.* 118. *ad Honoratum. Si Miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſeculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati*: & Leo Magnus *epiſt.* 91. *Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo à munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perueniat, temporalem vitam humanæ conditione finierit, quod moriens in corpore non receperit, conſequi carne exutus, non poterit. Nec neceſſe eſt nos eorum, qui ſic obierint, merita, actuſque diſcutere, cum Dominus Deus noſter, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ iuſtitiæ reſeruauerit: ita poteſtatem ſuam timeri volens, vt hic terror omnibus proſit, & quod quibuſdam tepidis, aut negligentibus accidit, nemo non metuat; Multùm enim vtile, ac neceſſarium eſt, vt peccatorum reatus ante vltimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſoluatur.* Hinc Eccleſia in Concilio Trid. *ſeſs.* 14. *cap.* 4. docet: *quod etſi Contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur non eſſe adſcribendam.* Nec Sacerdos pœnitenti Sacramentum Pœnitentiæ petenti, ſi diſpoſitus appareat, denegare poteſt, & Pœnitentem ad actum contritionis remittere, immò cum ipſa Contritio, vt dictum eſt, non habeat hominem Deo reconciliare, niſi quatenùs importat votum Sacramenti Pœnitentiæ, ſi commoditas adſit recipiendi Sacramentum, pœnitens tenetur illud petere, & Sacerdos tenetur illud conferre; Igitur non eſt putandum,

quod

quod Eccleſia pœnitenti in extremo vitæ, Sacramentum Pœnitentiæ denegauerit.

Tertiò probatur ex Canone 52. Apoſtolorum, in quo generaliter, & nulla prorſus limitatione apposita decernitur deponendum eſſe Epiſcopũ, aut Presbyterum, qui à peccato reuertentem non recipit, ſed reijcit, & rationem reddit, quia peccatorem reuertentem non recipiens Chriſtũ contriſtat dicentem, Gaudium erit in Cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

Id ipſum confirmatur authoritate S. Dionyſij in Epiſtola ad Carpum, in qua S. Dionyſius multis inuehitur cõtra eos, qui peccatorum pœnitentibus veniam, & reconciliationem denegant.

In quibus authoritatibus cum nulla exceptione aut limitatione apposita de peccatoribus in extremo vitæ pœnitentibus damnentur ij, qui Sacramentalem abſolutionem peccatoribus pœnitentibus denegant, in eis proinde damnantur, qui abſolutionem Sacramentalem peccatoribus in extremo vitæ ſuæ, veniam & abſolutionem petentibus denegant.

Et mirum eſt, quod authoritates prædictas afferat Morinus, vt probet ab Eccleſia non fuiſſe à venia excluſos Idololatras, Homicidas, & Mœchos, eo quod in his nulla fiat exceptio peccatorum, & non aduertat hoc ipſum contra eius aſſertionem ſtare, qua dicit Sacramentalem abſolutionem eis peccatoribus non fuiſſe conceſſam, qui ab Eccleſia pulſi, ab ea veniam in extremo dumtaxat vitæ ſuæ poſtulaſſent, nam neque in prædictis authoritatibus excluduntur, ſed in illis de quibuslibet peccatoribus generaliter nulla exceptione facta, ſermo eſt.

Quartò probatur aſſertio noſtra authoritate Iulij Primi, & Cœleſtini Primi ſummorum Pontificum, qui in extremo vitæ pœnitentibus pœnitentiam non denegandam affirmant, & oppoſitum damnant. Iulius igitur, vt refertur Cauſa 26. q. 6. Reum animarum eſſe dixit Presbyterum, qui pœnitentiam morientibus abnegat his verbis (*Si Presbyter pœnitentiam morientibus abnegauerit reus erit animarum: quia Dominus dicit (quacumque die conuerſus fuerit peccator vita viuet, & non morietur) vera enim confeſſio in vltimo tempore eſſe poteſt, quia Dominus non ſolùm temporis, ſed etiam cordis inſpector eſt: Sicut Latro vnius momenti pœnitentia meruit eſſe in Paradiſo in hora vltima Confeſſionis.*)

Secundus eſt Cœleſtinus Papa *in epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ*, & refertur *Cauſa* 13. *q.* 6. qui ſic ait: (*Agnouimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſiderijs annui, qui obitus ſui, tempore hoc, animæ ſuæ cupiunt remedio ſubueniri; Horremus (fateor) tantæ impietatis aliquem inueniri, vt de Dei bonitate deſperet: quaſi non poſſit ad ſe quouis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem redimere, quo ſe expediri deſiderat, & liberari. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, eiuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit occidere? Cum Deus ad ſubueniendum paratiſſimus, inuitans ad pœnitentiam, ſic promittat peccatori, inquiens (In quocumque die conuerſus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei)*

&

& iterum (Nolo mortem peccatoris, ſed tantùm conuertatur, & viuat) ſalutem ergo homini adimit, quiſquis mortis tempore ſperatam pœnitentiam denegauit: & deſperat de miſericordia Dei, qui eum ad ſubueniendum morienti ſufficere, vel in momento poſſe non credit. Perdidiſſet Latro in Cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum vnius horæ pœnitentia non iuuiſſet. Cum eſſet in pœna pœnituit, & per vnius ſermonis profeſſionem habitaculum Paradiſi Deo permittente promeruit. Vera ergo ad Deum conuerſio in vltimis poſitorum mente potius eſt æſtimanda, quam tempore, Propheta, hoc taliter aſſerente, (Cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris) Cum ergo ſit Dominus cordis inſpector, quouis tempore, non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti, cum ille ſe obliget Iudici, cui occulta omnia nouerit reuelari) Hactenus Cæleſtinus, qui electus fuit in Pontificem anno ſalutis 423.

Hæc profectò Pontifices iſti adeò conſtanter non affirmarent, ſi Romana Eccleſia tribus primis ſæculis Pœnitentiæ Sacramentum, ſeù abſolutionem Sacramentalem peccatoribus in extremo vitæ ſuæ pœnitentibus, denegaſſet; debuit enim eis nota eſſe vetus in hac re Eccleſiæ conſuetudo, præſertim cum Iulius propè ſæculum tertium, ſeù in principio ſæculi quarti ad Pontificatum aſſumptus fuerit, & Cœleſtinus in principio ſæculi quinti. Quod ſi oppoſitum tribus primis ſæculis in vſu fuiſſet apud Romanam Eccleſiam, huius meminiſſent. Illi autem, quos Iulius reprehendit, erant Presbyteri quidam, qui morientibus pœnitentiam denegabant. Et Cœleſtinus idem damnat, quod in Gallijs, non in Eccleſia Romana, fiebat.

Prætereà. Rationes, quas præfati Pontifices in hac re afferunt, adeò vrgent, vt planè conuincant nunquam in Eccleſia Romana, quæ Columna, & Magiſtra eſt veritatis, conſuetudinem denegandi abſolutionem Sacramentalem, in extremo tantùm vitæ pœnitentibus, viguiſſe; Cum enim aſſerant, ex eo abſolutionem in extremo vitæ ſuæ pœnitentibus negandam non eſſe, quia Dominus dicit *In quacumque die conuerſus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur*) Et rurſus, quod *vera confeſſio in vltimo tempore eſſe poſſit*; *Et impiè agere*, dicant, qui peccatoribus eiuſmodi abſolutionem denegant, *& morientis animam occidere*, hæc profectò demonſtrant denegationem abſolutionis peccatoribus pœnitentibus, eſſe ex ſe malam, & illicitam, & ex nullo motiuo denegationem abſolutionis peccatoribus in extremo vitæ pœnitentibus, honeſtari, & licitam fieri poſſe, ac proindè oppoſitum nunquam apud Romanam Eccleſiam in vſu eſſe potuiſſe.

Nec dici poteſt Pontifices illos loqui de ſola negatione conceſſionis ſtatus pœnitentiæ, & reconciliationis, ſeù abſolutionis externæ, ac aliorum, quæ in foro externo fiebant. Nam horum denegatio, non occidit animam, nec eam denegantes, reos efficiunt animarum, nec ſalutem homini adimunt, vt dicitur in relatis verbis de illis, qui pœnitentiam peccatoribus in extremo vitæ pœnitentibus denegabant, ac proindè Pontifices in relatis verbis loquuntur de illis, qui Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacra-

mentalem abſolutionem peccatoribus in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus denegabant. Idque tanquam impium, & horrendum deteſtantur, vtpotè contra Diuinam Miſericordiam, quæ peccatores omni tempore ad veniam inuitat, nec viſcera ſua vllo tempore peccatoribus claudit. Vndè non eſt credendum in Eccleſia Romana eam conſuetudinem aliquando viguiſſe, quam eadem Eccleſia per os Pontificum impiam declarauit.

Sed & ſi admittatur quod præfati Pontifices illos damnent, qui ſtatum pœnitentiæ, & reconciliationem, ſeù abſolutionem externam, & in foro externo impendendam peccatoribus in extremo vitæ pœnitentibus denegaſſent, hoc ipſum probat, quod multò magis damnauerint eos, qui abſolutionem Sacramentalem, & in foro interno impendendam eis denegaſſent, nam ſi impium putarunt peccatoribus illis ſtatum pœnitentiæ, aut abſolutionem in foro externo denegare, eamque denegantes animas pœnitentium perimere affirment, earumque reos pronuncient ſic denegantes, multò magis id laudatos Pontifices aduerſus eos pronunciaſſe dicendum eſt, qui peccatoribus illis Pœnitentiæ Sacramentum, & abſolutionem Sacramentalem denegaſſent. Quare dicendum, quod in prędictis authoritatibus damnentur ij, qui Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacramentalem abſolutionem peccatoribus in extremo vitæ pœnitentibus negabant; vel ſi contendas, in illis damnati eos, qui externum pœnitentiæ ſtatum, & reconciliationem in foro externo peccatoribus illis negabant; Cogeris fateri, à fortiori, eos damnari, qui Sacramentum Pœnitentiæ, ſeù abſolutionem Sacramentalem eiſdem peccatoribus denegaſſent, verè tamen de negantibus abſolutionem Sacramentalem authoritates illas loqui certum eſt. Hanc autem abſolutionem, cum non abſq; impietate, & crudelitate negari poſſe aſſeueret Cœleſtinus, quis dubitet, id quod adeò vehementer damnat, nunquam in vſu Eccleſiæ fuiſse, nec ab Eccleſia decretũ?

Quintò probatur luculentò illo Diui Auguſtini teſtimonio in Epiſtola 48. ad Vincentium Donatiſtam ſuperiùs allato, (*Si quod veritas habet, & quod Eccleſia meritò tenet rectè pœnitentibus adulteris pax dabatur* (Sancti videlicet Cypriani tempore) *illi, qui in totum locum pœnitentiæ contra adulteros claudebant, impiè vtique agebant; qui membris Chriſti ſanitatem negabant, & claues Eccleſiæ, pulſantibus ſubtrahebant, & miſericordiſſimæ patientiæ Dei, quæ illos propterea ſinebat viuere, vt pœnitendo ſanarentur ſacrificio contriti ſpiritus, & contribulati cordis oblato, dura crudelitate contradicebant.* Authoritas hæc Auguſtini nedum pro adulteris, ſed pro quocumque alio peccatore, & pro cuiuſcumque criminis reo in extremo dumtaxat vitæ ſuæ dolenti, atque abſolutionem poſcenti, & contra Sacerdotes, qui tunc dolentibus abſolutionem non impenderent, apprimè facit. *Qui enim totum locum pœnitentiæ contra eiuſmodi peccatores clauſiſſent, impiè vtique egiſſent, quia membris Chriſti ſanitatem negaſſent, & claues Eccleſiæ pulſantibus ſubtraxiſſent, & miſericordiſſimæ patientiæ Dei, quæ illos adhuc ſinebat viuere, vt pœnitendo ſanarentur ſacrificio contriti ſpiritus,*

tus, & contribulati cordis oblato dura crudelitate contradixiſſent. Peccator enim Chriſtianus, & Catholicus, qui in extremo vitæ ſuæ veniam petit, & abſolutionem, membrum Chriſti adhuc eſt, licet mortificatum, is fores Eccleſiæ pulſat, cum miſericordiſſima Dei patientia propterea ſinit adhuc viuere, vt pœnitendo ſanetur, & ob id ſacrificium contriti ſpiritus, & cordis contribulati offert. Ille igitur Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ Paſtor, Iudice Auguſtino, agit impiè, qui pœnitenti illi ſanitatem negauerit, Claues Eccleſiæ ſubtraxerit, & miſericordiſſimæ patientiæ Dei dura crudelitate contradixerit. Tales autem Eccleſiæ Miniſtros, qui pœnitenti ſanitatem negauerint, pulſanti, claues Eccleſiæ ſubtraxerint, & miſericordiſſimæ patientiæ Dei dura crudelitate contradixerint, abſit cogitare, aliquando in Eccleſia fuiſſe. Et cum S. Auguſtinus paulò poſt ſæculum tertium fuerit, tam acriter aduerſus negantes peccatoribus pœnitentibus veniam, & abſolutionem, inuectus non fuiſſet, ſi in Eccleſia primis tribus ſæculis, ea conſuetudo non abſoluendi peccatores in extremo vitæ pœnitentes viguiſſet. Quin, & Auguſtini rationes adeò efficaces ſunt, vt nunquam eiuſmodi conſuetudinem in Eccleſia eſſe potuiſse conuincant. Dico autem in Eccleſia conſuetudinem illam nunquam fuiſſe, aut eſſe potuiſse; nam quod aliqui id contra omnem pietatem, & æquitatem, reclamante Eccleſia, egerint, non eſt attendendum.

Eſt & aliud teſtimonium Sancti Paciani, aduerſus Nouatianos *epiſt.* 1. ad Sympronium, quod & in rem præſentem quadrat. Sic enim ibi ait S. Pacianus. *Quod ſi hæc homini ſuo Dominus prouidit, ſi idem ſtantibus præmia, qui iacentibus remedia largitus eſt, deſinite Diuinam accuſare pietatem, aut tot cæleſtis clementiæ titulos obiectu rigoris eradere, aut gratuita Domini bona inobſecrabili aſperitate prohibere. Non hæc largimur de noſtro, conuertimini ad me &c.... Habetne tam diuturnum Serpens venenum, & Chriſtus non habet medicinam? Diabolus in Mundo interfecit, Chriſtus hic non poteſt ſubuenire? pigeat ſanè peccare, ſed pœnitere non pigeat.... Quis naufrago tabulam, ne euadat, eripiat? Quis ſanandis vulneribus inuidebit?* Multiſque enumeratis ex Apocalypſi peccatoribus addit; *Et tamen omnes ad pœnitentiam ſatisfactionis inuitat.... Nemo ſine fructu imperat laborem.... Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti, ſolus hoc, inquiens, Deus poteſt, verum eſt; ſed quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nunquid eſt illud, quod Apoſtolis dicit: Quæ ligaueritis in terris:.... Scio fratres hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari, nec antequam, aut interpretatio Diuinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit relaxari &c.* loquitur de venia pœnitentiæ, *quam cum magno pondere, magnoque libramine poſt multos gemitus, effuſioneinque lachrymarum dari vult*; conditiones, quibus etiam pax ipſa, & reconciliatio pœnitentibus conceditur deſcribit.... At in his omnibus exceptionibus non fit mentio primi poſt Baptiſmum lapſus, non confeſſionis ante mortis periculum factæ, aut pœnitentiæ inchoatæ, ſed tantùm gemitus,

tus, lacrymarum, & aliorum eiuſmodi ſignorum, quibus pœnitentes, ſe ex animo deteſtari peccata, & conuerti teſtentur, ſi Sacramenta homini ſuo Dominus prouidit, ſi idem ſtantibus præmia, qui iacentibus remedia largitus eſt, deſinite tot cœleſtis Clementiæ titulos obiectu rigoris eradere, aut grauita Domini bona inobſecrabili aſperitate prohibere, &c. quis naufrago tabulam ne euadat eripiat? Quis ſanandis vulneribus inuidebit? Deus omnes ad pœnitentiam inuitat, & poſita pœnitentia, veniam promittit, & ad hoc Sacramentum Pœnitentiæ pœnitentibus conferendum inſtituit, idemque pœnitentibus tradendum iubet; Nemo ſine fructu imperat laborem, &c. Veniam, hanc dicitis, ſoli Deo reſeruamus: Vndè habetis peccatorum veniam ſoli Deo reſeruandam, quando Deus ſuis Miniſtris, & per ſuos Miniſtros eam peccatoribus dandam imperat? Quod per Miniſtros ſuos facit ipſius poteſtas eſt, & cum Dei Miniſtri peccatoribus parcunt Deus ipſe eis parcit.

Et in *epiſtola* 3. idem S. Pacianus multis probat nulla peccata, vel magna, vel modica, vel ante Baptiſmum, vel poſt Baptiſmum commiſſa, ſiuè de eis peccator ante periculum vitæ, ſiuè in ipſo periculo vitæ doleat, excipi à Chriſto dicente, *Quorum remiſeritis peccata &c.* Petro præcipi, vt ſeptuageſies ſepties relaxetur, quod peccatur in hominem; quod tamen, & Dominum lædit, ſolam blaſphemiam, ſeù peccatum in Spiritum Sanctum, ſcilicet impœnitentiam non dimitti, reliqua bonis pœnitentibus donari....

Sicuti conſtitutam peccatoribus pœnam probaueris, hoc teneris, aut peccatis perſeuerantibus conſtitutam, aut libertatem Deo relictam, mutandæ, ſi pœniteas, ad meliora ſententiæ. Quæ autem à Nouatianis pro peccatoribus à venia repellendis Scripturæ loca proferebantur, non de pœnitentibus, ſed de his, qui non ſolùm ipſi in facinore perſeuerant, verùm etiam nos ſcandalizare non deſinunt intelligenda ſunt. Quæ cum aduerſus Nouatianos dicantur à S. Paciano, de Sacramentali pœnitentia, ſeù abſolutione præſertim intelligenda ſunt, eam enim præcipuè peccatoribus negandam Nouatiani cenſuerunt. Quare ex eodem S. Paciano; *Nemo niſi impœnitentes, ſeù qui nec dum pœnituerint, qui nec dum improbus eſſe deſierit à Sacramento Pœnitentiæ in Eccleſia vnquam arceri potuit, cum Nouatiani ipſi intelligere debuerint, Deum poſſe miſereri miſeris fratribus de præterito confitentibus; vel ſeram*, ſcilicet in fine vitæ, *patere medicinam vulneratum illum à Leuita, & Sacerdote præteritum, per Chriſtum poſſe ſanari: Eccleſiæ preces humilibus non denegandas, manus Sacerdotum miſerandis fratribus exhibendas.*

Probatur etiam Aſſertio noſtra egregio Diui Leonis Edicto non nouo, ſed antiquæ diſciplinæ inſtituto; epiſtola 91. cap. 4. vbi ſic ait. *His qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire; apud quem nullas patitur veniæ*

moras,

moras; vera conuerſio, &c. dicente Spiritu Dei per Prophetam; Cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris, &c. In diſpenſandis Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe lacbrymas, gemituſque negligere, cum ipſorum pœnitentium affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam, dicente Apoſtolo; Ne forte det illis Deus pœnitentiam, vt reſipiſcant à diaboli laqueis, & animaduertendum S. Leonem id dicere, *quod pœnitentium ſtatus Eccleſiaſtica habet regula*.

Authoritatem hanc S.Leonis affert Morinus, vt probet *cuicumque peccatori pœnitentiam in extremis imploranti, nec pœnitentiam, nec reconciliationem denegandam*. A Leone igitur, etiam ipſo Morino fatente, nullus peccator excipitur; idque ex Eccleſiaſtica regula. Cur ergo Morinus à veniæ, & abſolutionis Sacramentalis conceſſione exceptos dicit ab Eccleſia peccatores, qui ab ea pulſi erant, & ab ea veniam, atque abſolutionem in extremo dumtaxat vitæ poſtulabant? Sibi ergo Morinus apertè contradicit.

Rurſus probatur aſſertio noſtra authoritate Sancti Cypriani in epiſt. 52. ad Antonianum. Nam in ea totus eſt Sanctus Antiſtes in oſtendendo generaliter, & abſque vlla perſonarum, aut temporis exceptione, quod lapſis omnibus pœnitentibus venia, & abſolutio concedenda ſit. Et quamuis eius verba aduerſus hæreſim Nouatiani dirigantur, qui facultatem in Eccleſia eſſe negabat poſt Baptiſmum lapſos ſacramentaliter abſoluendi; tradit tamen generalem doctrinam, qua nullum vnquam peccatorem pœnitentem ab Eccleſia reijciendum eſſe oſtendit. Ea ſupra retulimus pro prima aſſertione, & eadem hic afferimus pro aſſertione ſecunda. Sic igitur cum de Nouatiani hæreſi agere exorditur Cyprianus loquitur. *Neminem putamus à fructu ſatisfactionis, & ſpe pacis arcendum, cum ſciamus iuxta ſcripturarum Diuinarum fidem Authore, & hortatore ipſo Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores adigi, & veniam, atque indulgentiam pœnitentibus non denegari.*

Et quia Nouatianus peccatores ad commiſſa crimina deploranda, & ad opera ſatisfactoria, & pœnalia peragenda, inducendos dicebat, non tamen illis abſolutionem à criminibus impendendam eſſe volebat, in eoſdem Nouatianos Cyprianus hæc ſubdit, quę in eos etiam Eccleſiæ Miniſtros, qui peccatoribus in extremo vitæ pœnitentibus, opera ſatisfactoria imponerent, & ius ad ea peragenda concederent, non tamen eis abſolutionem à criminibus impertirent, vti Authores illi recentiores in Eccleſia tribus primis ſæculis peractum eſſe affirmant, apprimè quadrant. *O fruſtrandæ fraternitatis irriſio, ò miſerorum lamentantium caduca deceptio; ò hæreticæ inſtitutionis inefficax, & noua traditio, hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam, dicere fratribus noſtris, plange, & lachrymas funde, & diebus, ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo, ac purgando delicto tuo, largiter, & frequenter operare, ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris. Quæcumque ad pacem pertinent facies, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies; Quis non ſtatim pereat? Quis non ipſa deſperatione deficiat? Quis non animum ſuum à propoſito lamen-*

mentationis auertat? &c. Præcludere eſt, atque abſcindere iter doloris, ac pœnitendi viam, vt cum in ſcripturis Dominus Deus reuertentibus ad ſe, & pœnitentibus blandiatur, noſtra duritia, & crudelitate dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipſa tollatur. Quod ſi inuenimus, à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus, atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundum quod ille miſericors, & pius eſt, per Sacerdotes eius, pacem poſſe concedi, admittendus eſt plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus, & quia apud Inferos, confeſſio non eſt, nec exomologeſis illic fieri poteſt, qui ex toto corde pœnituerint, & rogauerint, in Eccleſiam debent interim ſuſcipi, & in ipſa Domino reſeruari, qui ad Eccleſiam venturus, de illis vtique, quos in ea intus inuenerit iudicabit.

Hæc Cyprianus aduerſus Nouatianum, qui quod in Eccleſia poteſtatem remittendi per abſolutionem ſacramentalem peccata, eſſe denegaret, de hoc ipſo à Cypriano redarguitur vnde, quę aduerſus Nouatianum Cyprianus hic habet, de poteſtate remittendi per ſacramentalem abſolutionem peccata, deq; abſoluendis ſacramentaliter peccatoribus pœnitentibus dicta fuiſſe euidens eſt.

Poſtrema illa Cypriani verba: *Qui ex toto corde pœnituerint, & rogauerint, in Eccleſiam debent interim ſuſcipi, & in ipſa Domino reſeruari, qui in Eccleſiam venturus, de illis vtiq; quos in ea intus inuenerit, iudicabit*, non in eo ſenſu à Sancto Cypriano dicta intelligenda ſunt, quaſi Cyprianus non abſoluendos ſacramentaliter peccatores pœnitentes velit, ſed venturo Domino reſeruandos. Sic enim Nouatiano non contradixiſſet, ſed ei conſenſiſſet in illo eodemmet articulo, in quo eum adeo acriter redarguebat, ſcilicet in denegando peccatoribus pœnitentibus abſolutionē ſacramentalē; ſed Cypriani dictum in eo ſenſu accipiendum eſt, vt intelligatur peccatores, qui ex toto corde de peccatis, ſe dolere affirment, & inde ab eis ſacramentaliter abſoluantur, iudicandi venturo Domino reſeruantur, an videlicet verè, & ex corde de peccatis doluerint, cum Deus, & non homo ſit cordis inſpector. Hinc in eadem epiſtola de peccatoribus, qui ante mortis articulum dolere, ac pœnitentiam agere cœpiſſent, ſic ait. *Si verò nos aliquis pœnitentiæ ſimulatione deluſerit, Deus, qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his, quæ nos minus perſpeximus, iudicet, & ſeruorum ſententiam Dominus confirmet.*

Denique hoc argumento probatur aſſertio noſtra. Fieri non potuit quod Eccleſia id aliquando probauerit, quod in Nouatiano damnauit; atqui Eccleſia in Nouatiano damnauit, quod diceret peccatores ad Sacramentum reconciliationis, & ad veniam per abſolutionem ſacramentalem admittendos non eſſe, igitur hoc ipſum nunquam Eccleſia probauit.

Nec vim argumento aufert, quod Nouatiani error in eo eſſet, quod peccatores ad veniam recipiendi non eſſent, quia Eccleſia poteſtatem non haberet dimittendi peccata, quia ab ea omnem clauium poteſtatem remoueret, & hoc in Nouatiano Eccleſia damnauit, quod ta-

tamen non negant Authores, quos confutamus. Hoc, inquam, vim argumento non aufert, nam ſi Eccleſia peccatores in extremo vitæ pœnitentes ad veniam, & reconciliationem non eſſe admittendos aliquando cenſuiſſet, iam in concluſione ſaltem cum Nouatiano conueniſſet, eſto diuerſa ratione ducta; nefas autem eſt dicere, quod Eccleſia, cum Nouatianis conuenerit aliquando, & in eo ipſo, quod Eccleſia in Nouatianis damnauit, nam Eccleſia non ſolùm damnauit in Nouatianis, quod vellent Eccleſiam nullas habere claues, per quas peccatores adhuc pœnitentes ſoluere poſſet, ſed etiam in Nouatianis damnauit, quod aſſererent peccatores non eſſe ab Eccleſia ad veniam, & reconciliationem admittendos, cum ergò id Eccleſia in Nouatianis damnauerit, fieri non poteſt, quod hoc ipſum Eccleſia aliquando probauerit.

Et quamuis, vt dicemus infrà, Eccleſia ante Nouatianæ hæreſis ortum, Euchariſtiam, & abſolutionem Eccleſiaſticam, & pro foro externo tantùm, lapſis illis negauerit, qui in extremo dumtaxàt vitæ ſuæ ad Eccleſiam confugiebant, à quo tamen poſt extinctam Nouatianam hæreſim abſtinuit, ne videretur in aliquo cum Nouatiano conuenire, id congruenter fieri potuit ad compeſcendos fideles à lapſu in Idololatriam, & alias per hoc non inferebatur damnum irreparabile fidelibus, neque hi exponebantur periculo amittendi ſalutem æternam; Vndè conuenienter Eccleſia improbare potuit, quod aliquando probauit; At in re tanti momenti, quanti erat, æterna ſalus animarum, quæ periclitabatur, ſi eis negata fuiſſet in extremo vitæ abſolutio Sacramentalis, non poterat Eccleſia aliquando probare, quod in Nouatiano meritò damnauit.

Obiectio Prima ex Authoritate Innocentij Primi, & eiuſdem ſolutio.

PRimùm, quod pro ſe afferunt Authores aduerſi, eſt authoritas Innocentij Primi Summi Pontificis in epiſtola tertia ad Exuperium Epiſcopum Tholoſanum *cap. 2.* nàm ab Exuperio conſultus Pontifex. *Quid de his obſeruari oporteat, qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem Communionis expoſcunt.*

Reſpondet his verbis (*De his obſeruatio prior durior, poſterior interueniente Miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne Communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros, non reuocaret à lapſu, negata meritò Communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem faceret temporis ratio, ſed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, iam depulſo terrore Communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis, & ne Nouatiani Heretici negantis veniam, aſperitatem, & duritiem ſubſequi videamur. Tribuitur*

ergo

ergo cum Pœnitentia extrema Communio, vt homines huiuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes miſerante Saluatore noſtro à perpetuo exitio vindicentur.

Spalatenſis iuxtà ea, quæ ſupra diximus vult, Innocentium nil aliud aſſerere, niſi quod Lapſis in extremo dumtaxat vitæ ad Eccleſiam recurrentibus conceſſa fuerit Pœnitentia, non quæ Sacramentum, aut abſolutio Sacramentalis, aut abſolutio eſſet; quæ ad Eccleſiæ claues pertineret, & per eas conferretur, ſed quæ nil aliud fuerit, quam admiſſio Lapſorum ad ſtatum pœnitentiæ abſque reconciliatione, quæ ordinariè fiebat cum Sacra Euchariſtia, & Lapſis extra caſum mortis porrigebatur: Eam tamen abſolutionem Lapſis illis conceſſam, nil aliud fuiſſe dicit, quam Sacræ Euchariſtiæ traditionem, abſque alia ſpeciali reconciliatione.

Idem verò ſentiunt Morinus in laudato Commentario *lib.* 10. *cap.* 2. & alij ſuprà relati Authores, volunt enim, Pœnitentiæ conceſſæ nomine Innocentium intellexiſſe meram Pœnitentiam, ſeù ſatisfactionis impoſitionem, Pœnitentiæque agendæ ius per impoſitionem illam infirmis conceſſum, licet propter infirmitatem nullius pœnitentiæ agendæ compotes eſſent, pœnitentiæ, inquam, impoſitionem abſque abſolutione Sacramentali, pœnitentiæ conceſſæ nomine intelligendum dicit; idque non alia ratione probant, niſi quia, vt ipſe Morinus ait, maxima in ſanum, vel ægrotum ex pœnitentiæ impoſitione redundat vtilitas, Communionis verò, & viatici denegati nomine Innocentium intellexiſſe dicunt abſolutionem Sacramentalem à peccatis. Idque propter ſequentia motiua, Primò, quod eam tandem conceſſam eſſe dicit Innocentius ijs, qui pœnitentiam in extremis tantùm poſtulauerant, ne duritiem Nouatiani ſequi videretur Eccleſia. Controuerſia autem Nouatianos inter, & Catholicos intercedebat non de negatione Communionis Euchariſticæ, ſed de negatione Communionis, & veniæ. Secundò, illa Communio à perpetuò exitio vindicabat, inquit Innocentius, erat igitur abſolutio à peccatis. Tertiò S. Cypriani ætate, quam ſpectaſſe videtur Innocentius, Abſolutio ab Euchariſtica Communione nullo ſeiungebatur interuallo: Igitur ſi Euchariſtia denegata eſt ijs, qui pœnitentiam in extremis flagitabant, negata etiam illis eſt abſolutio. Antecedens conſtat ex S. Cypriano, apud quem pacem dare, & Euchariſtiam porrigere prorſus idem ſignificant. *Cenſuimus* (inquit epiſt. 54.) *eos, qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo Lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe, & eos ad prælium, quod imminet, armari, & inſtrui oportere; At vero nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à Nobis danda eſt, vt quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus; ſed protectione Corporis, & Sanguinis Chriſti muniamus. Et cum ad hoc fiat Euchariſtia, vt accipientibus poſſit eſſe tutela, quos tutos eſſe contra Aduerſarium volumus, munimento Dominicæ ſanitatis armemus. Nam quomodò docemus, aut*

pro-

prouocamus eos in confeſsione nominis Sanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti Sanguinem denegamus?

Quartò, fruſtrà dixiſſet Innocentius, priorem obſeruationem duriorem, poſteriorem verò inclinatiorem, niſi prior Diſciplina denegaſſet abſolutionem à peccatis, ijs, qui in mortis articulo conſtituti pœnitentiam primùm poſtulabant. Quia vt abſolutio à peccatis ſine Communione tribueretur, non ſolùm Innocentij æuo, ſed multis poſt ſæculis ſæpiùs obſeruatum eſt, & etiam nunc in Gallijs ergà criminum capitalium reos obſeruatur, & vbique erga eos ægrotos, in quibus vomitus periculum imminet.

Denique prior illa obſeruatio vigebat, inquit Innocentius (*ne Communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non reuocaret à lapſu*) ſecundum priorem igitur diſciplinam non reconciliabantur, nec abſoluebantur à peccatis. Ex his concludit fruſtrà ab aliquibus contendi, Abſolutionem Sacramentalem nullo in caſu negatam fuiſſe ab Eccleſia. Hæc Morinus, & cum eo Natalis, & Ægydius, Gabrielis.

Idem ſentire videtur Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis in notis ad illud ipſum caput ſecundum Epiſtolæ Innocentij ad Exuperium; Ibi enim Communionis nomine Lapſis in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus iuxtà priorem conſuetudinem denegatæ, ac poſtmodum conceſſæ, abſolutionem à peccatis Innocentium intellexiſſe dicit.

Hoc argumento rem ſe confeciſſe putant Authores illi; ſed falluntur, nam Innocentius eorum opinioni nullatenus fauet, quin potius noſtræ ſententiæ manifeſtè adſtipulatur. Vt autem id appareat; animaduertendum eſt, legitimum, ac germanum verborum Innocentij ſenſum, iſtum eſſe; quod pœnitentiæ nomine peccatoribus in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus conceſſæ, intellexerit ipſum Pœnitentiæ Sacramentum abſolutione Sacramentali perfectum, vel certè, quod Pœnitentiæ Sacramentum per ea verba non excluſerit; nomine verò Communionis eiſdem pœnitentibus negatæ intellexerit Euchariſtiam, & abſolutionem Canonicam, ſeù Eccleſiaſticam, quæ alijs pœnitentibus cum Euchariſtia impendebatur.

Primùm; nempè, quod pœnitentiæ conceſſæ nomine intellexerit Innocentius ipſum Pœnitentiæ Sacramentum abſolutione Sacramentali perfectum, ex eo primùm probari poteſt, quod nihil ſolidi ab Authoribus præfatis affertur, aut afferri poteſt ad excludendum hunc ſenſum, & ad recipiendum ſenſum, quem eiſdem verbis afferunt illi Authores nos cogat, & alias hic ſenſus rationabilior apparet, & commodior, nullam redolens abſurditatem, aut violentiam, è contra verò ſenſus eiſdem verbis ab Authoribus illis attributus abſurditatem continet, & violentiam; Ergò dicendum eſt, Innocentij legitimum ſenſum, non eſſe illum, qui à prædictis Authoribus laudatis Innocentij verbis attribuitur, ſed dicendum eſt, legitimum Innocentij ſenſum eſſe illum, quem nos modò diximus.

Antecedens, in quo eſt difficultas, probatur; Nam quod Authores præfati, nihil ſolidi afferant, nihilque,

quod ad excludendum ſenſum, quem nos diximus, legitimum eſſe, ac germanum verborum Innocentij, & ad recipiendum ſenſum, quem ipſi dictis verbis accommodare nituntur, nos cogat, ex eo patet, quia, quæ Authores illi afferunt faciliter exſufflantur, & etiam abſurditates continent; Volunt enim, Innocentium, cum ait, Lapſis in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus conceſſam fuiſſe pœnitentiam, nomine pœnitentiæ, intellexiſſe tantùm conceſſionem ſtatus pœnitentiæ, impoſitionem pœnitentiæ, & ius ad pœnitentiam agendam, non verò intellexiſſe Sacramentum Pœnitentiæ, aut vllam abſolutionem. Ita Morinus *loc. cit.* Sed hinc abſurditates, & inconuenientia; primò illa, quæ ſuperiùs expenſa ſunt, quod peccatoribus dolentibus, & pœnitentiæ Sacramentum petentibus contra fas omne, & contra omnem æquitatem, immò & contra id, quod Chriſtus Dominus inſtituit Pœnitentiæ Sacramentum denegatum fuiſſet, & fidelium ſalus æternæ damnationis periculo expoſita. Secundò contra id recurrunt argumenta, & inclamationes Sancti Cypriani aduerſus Nouatianum, qui ob illud acerrimè à Sancto Antiſtite redarguitur, quod peccatores ad lacrymas, & pœnitentiam pro admiſſis peccatis hortaretur, ſed nullam eis abſolutionem impendendam diceret; Hæreticæ namque inſtitutionis inefficacem, & nouam traditionem, dicit Cyprianus, eſſe, hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam, dicere fratribus, Plange, & lacrymas funde, & diebus, ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo, ac purgando delicto tuo largiter, & frequenter operare; Ius ad pœnitentiam peragendam accipe, & ſtatum pœnitentiæ aſſume, ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris; Quæcumque ad pacem pertinent facies, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies; Quis non ſtatim pereat? Quis non ipſa deſperatione deficiat? &c. Hæc profectò aduerſus praxim à Morino aſſertam apprimè quadrant, qua dicit, Lapſis in extremo dumtaxàt vitæ ad Eccleſiam recurrentibus pœnitentiam fuiſſe conceſſam, id eſt, impoſitam pœnitentiam, & ius ad eam peragendam, nullam verò abſolutionem eis impenſam fuiſſe, & hunc eſſe Innocentij ſenſum, cum ait pœnitentibus illis antiquitùs fuiſſe conceſſam pœnitentiam.

Nec aliquid facit, quod ſubdit Morinus pœnitentiæ impoſitionem, excommunicationis maximæ fuiſſe diſſolutionem, & Eccleſiæ in membra ſua coaptationem, ita vt homo ille, qui ad Eccleſiam non pertinebat, per pœnitentiæ impoſitionem incipiebat ad Eccleſiam pertinere. Nihil, inquam, hoc facit, nam adhuc hoc poſito, ſi non ponebatur abſolutio completa, & Sacramentalis, exiguum leuamen pœnitentibus illis afferebatur, nec eorum ſalus in tuto ponebatur. Et adhuc cum Cypriano exclamandum foret, quod hoc ſit præcludere, atque abſcindere iter doloris, ac pœnitendi viam, vt in Scripturis Dominus Deus reuertentibus ad ſe, & pœnitentibus blandiatur, noſtra duritia, & crudelitate, dum fructus pœnitentiæ intercipitur pœnitentia ipſa tollatur, &c.

Obij-

Obijcit Morinus Canones, & Rituales iubentes ægrotantibus pœnitentiam imponi, & ſi vrget exitus, reconciliationem. At mirum eſt, hæc pro ſe Morinum afferre, cum planè contra ipſum militent. Nam ſi Canones, & Rituales iubent, ægrotantibus pœnitentiam imponi, & ſi vrget exitus, reconciliationem; falſum apparet, quod Morinus aſſerit pœnitentibus ægrotantibus, ſolùm eam pœnitentiam impoſitam fuiſſe, qua fideles inciperent ad Eccleſiam pertinere. Quod ſi Canones, & Rituales iubent, vt ægrotis pœnitentibus Pœnitentia concedatur, dici nequit Pœnitentiæ Sacramentum, & abſolutionem Sacramentalem, eis aliquando denegatam fuiſſe. Et ſi quis contendat Sacros Canones loqui de reconciliatione cum Eccleſia, & pro foro externo facta per abſolutionem Eccleſiaſticam, & non Sacramentalem; Si Eccleſia in Sacris Canonibus adeò vrget, & iubet, quod ægrotantibus pœnitentibus huiuſmodi reconciliatio præſtetur; Multò magis ſupponendum eſt, voluiſſe, vt ægrotantibus pœnitentibus Pœnitentiæ Sacramentum, & abſolutio Sacramentalis conferretur, ne illorum ſalus periculo expoſita relinqueretur.

Quare in Sacris Canonibus, & Ritualibus præcipitur Pœnitentiæ Sacramentum, & Sacramentalem abſolutionem ægrotis pœnitentibus impendendam eſſe, nec in eis dicitur imponendam, ſed concedendam eſſe pœnitentiam, & quod ægrotantes pœnitentiam accipiant, vndè non eſt ſenſus, quod ægrotis pœnitentibus imponenda ſit pœnitentia, hoc eſt, opus pœnitentiale, ſeù ſatisfactorium, vt vult Morinus, ſed quod eis concedendum ſit Sacramentum Pœnitentiæ. Immò in Sacris Canonibus habetur, quod ægrotis pœnitentibus in periculo mortis, non imponatur pœnitentia. Ita planè *Cauſa 26. quæſt. 6. Cap. Ab Infirmis*. Ibi enim dicitur (*Ab infirmis in periculo mortis poſitis, per Presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio peccatorum, non tamen illis imponenda quantitas pænitentiæ, ſed innoteſcenda &c.*

Per alios etiam Sacros Canones habetur, quod ægrotantibus pœnitentibus in articulo mortis conſtitutis, concedenda ſit pœnitentia, nomine autem Pœnitentiæ, Sacramentum ipſum Pœnitentiæ intelligendum eſt; ſic in eadem *Cauſa 26. quæſt. 6. Cap. Qui recedunt*; nàm ſic dicitur (*Qui recedunt de corpore pænitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione, eos communicare &c. & cap. Is, qui pænitentiam in infirmitate petit*, dicitur. *Is, qui pænitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate, obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pænitentiam; &c. Et cap. His, qui tempore neceſſitatis*, dicitur. *His, qui tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia præſidium Pænitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras conuerſio, dicente Dei Spiritu per Prophetam (cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris. Quod ſi aliqua*

ægritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poſcebant ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonium eis fidelium, & circumſtantium prodeſſe debebit, vt ſimul pænitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur, ſeruata tamen regula Canonum paternorum, circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccarunt. Animaduertendum eſt autem, quod in his Canonibus Pœnitentiæ nomine intelligendum eſt ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, nam non eſt putandum, quod decernatur ſolam pœnitentiæ, ſeù ſatisfactionis impoſitionem ægrotis pœnitentibus concedi, non verò ipſum Pœnitentiæ Sacramentum, nam in his Canonibus, non agitur de Lapſis, qui in extremo tantùm vitæ ad Eccleſiam confugiunt, in quo ſolùm caſu vult Morinus denegatum fuiſſe Pœnitentiæ Sacramentum, ſed agitur de alijs ægrotis, qui Pœnitentiæ Sacramentum in infirmitate poſtulaſſent, & infirmitate poſtmodum grauati obmutuerint, ita vt adueniente Sacerdote loqui non potuerint. His ergò ægrotantibus pœnitentibus in articulo mortis conſtitutis concedendum fuit Sacramentum Pœnitentiæ, & id decernitur per Sacros Canones prædictos; Igitur, Pœnitentiæ ægrotis illis conceſſionis nomine, intelligitur Sacramentum ipſum Pœnitentiæ; cum autem ad illos prouocet Morinus, velit, nolit, fateri cogitur, quod etiam apud Innocentium in laudatis verbis, pœnitentiæ lapſis in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus conceſſæ nomine, Sacramentum ipſum Pœnitentiæ intelligendum ſit, nam & Innocentium non in alio ſenſu, Pœnitentiæ nomen in propoſito accepiſſe dicendum eſt, quam in eo, quem in eodem propoſito Sacri Canones, Sacraque Concilia illud acceperunt, nempè pro Sacramento Pœnitentiæ.

Dicendum igitur, quod Innocentius cum in Epiſtola ad Exuperium ait, priorem Eccleſiæ conſuetudinem tenuiſſe, vt lapſis, qui in extremo dumtaxat vitæ veniam poſtulaſſent, concederetur pœnitentia, & negaretur Communio, Pœnitentiæ nomine intellexerit ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, quod proindè abſolutionem Sacramentalem continet.

Nomine verò Communionis eiſdem Lapſis negatæ, dicendum eſt Innocentium intellexiſſe non abſolutionem Sacramentalem, vt volunt Authores præfati, ſed Sacram Euchariſtiam, & cum ea abſolutionem Canonicam, ſeù Eccleſiaſticam, & pro foro externo, quæ aliàs cum Euchariſtia alijs Lapſis completa Eccleſiaſtica pœnitentia, vel in fine vitæ impendebatur. Dicebatur autem Communio, quia per eam fideles ſimul communicabant, vndè vocabatur etiam Communicatio. Præſertim autem Communionis nomine intelligebatur ipſa Euchariſtiæ perceptio, cum enim in Euchariſtiæ perceptione fideles ſimul communicarent, ſeù conuenirent, Euchariſtiæ perceptio dicta eſt Communio. Hinc & Antiphona, quæ in Choro canebatur, dùm Populo Euchariſtia diſtribuebatur, Communio dicebatur, vt obſeruat Eruditus Dominicus Magrus *in ſua Panoplia Sacra*, verbo, *Communio*. Hinc Communionis nomine

Con-

Concilia, & Patres Euchariſtiam intelligunt, vt inter alia Concilium Nicænum Primum *Can.* 3. Ibi enim dicitur (*Generaliter omni cuilibet in exitu poſito Communionis gratiam tribui Epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit*) & Communionis gratiæ nomine Euchariſtiam intelligendam eſſe fatetur Natalis Alexander *diſſert.* 7. *art. vnic.* niſi futiliter diſtinguere velit inter gratiam Communionis, & Communionem.

Dicimus ergò, quod Communionis negatæ nomine Innocentius Euchariſtiam intellexerit, nec ab Authoribus aduerſis aliquid affertur, quod ad contrarium nos cogat, aut contrarium probabiliter ſuadeat.

Quod enim primò loco obijciunt; Innocentium Communionem tandem conceſſam dicere ægrotis in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus, ne duritiem Nouatiani ſubſequi videretur Eccleſia, & controuerſiam Nouatianos inter, & Catholicos interceſſiſſe non de negatione Communionis Euchariſticæ, ſed de negatione abſolutionis Sacramentalis; facilè ſoluitur. Nam Nouatiani negabant, poſt Baptiſmum Lapſos ad pœnitentiam vllo modo recipiendos, & nullatenus eos abſoluendos dicebant; Si ergò Eccleſia Euchariſtiam Lapſis illis in extremo veniam poſtulantibus denegaſſet, cum Euchariſtiæ collatio ſemper coniunctam haberet abſolutionem, vt ipſimet Aduerſarij obſeruant, iam Eccleſia negando Euchariſtiam Nouatiani errorem ſubſequi viſa fuiſſet, negando enim Euchariſtiam, negaſſet ſimul abſolutionem.

Ad ſecundum, quod obijcitur, Communionem illam à perpetuo exitio vindicaſſe, vt ait Innocentius, ac proindè fuiſſe abſolutionem Sacramentalem. Reſpondetur, etiam Euchariſtiam à perpetuò exitio vindicare, quia per illam confertur gratia, & quia Euchariſtiæ proprius effectus, eſt adeptio gloriæ, nedum quia Euchariſtia gratiam confert, in qua velut in ſemine gloria continetur, quod commune eſt omnibus Sacramentis, ſed etiam, quia tribuit auxilium ſpeciale ad abſtinendum à malis, & ad perſeuerandum in bonis; Et rurſus, quia Chriſtus vita æterna ſuos donaturus, continetur in hoc Sacramento, tanquam cibus animans, nutriens, & confortans, vndè Clemens Pontifex *in Clementina vnica de Reliquijs, & veneratione Sanctorum*, dicit, quod per hoc Sacramentum à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementa. Præterea Euchariſtiæ Sacramentum præſeruat à peccatis imminentibus, quatenùs auget habitum charitatis, per quam creſcit vnio hominis ad Deum, & per illud homo fit robuſtior, & ad Diuina propenſior: Quatenùs verò Chriſtus ipſe in hoc Sacramento præſens eſt, & per hoc Sacramentum agitur memoria Paſſionis eius, dæmones, qui per eam victi fuerunt, expaueſcunt, nec audent tantùm impugnare, quantùm alioquin vellent. Adde, quod eiuſdem myſterij intuitu Deus eos compeſcit, hominem armat, inſpirationes, & auxilia actualia donat, vt proindè Concilium Tridentinum hoc Sacramentum vocet

An-

Antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus preſeruemur. Igitur negari nequit, per hoc Sacramentum a perpetuo exitio vindicari.

Vlterius Innocentij verba hæc ſunt (*Tribuitur cum pœnitentia extrema Communio, vt homines huiuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Saluatore noſtro à perpetuo exitio vindicentur*) Quorum verborum peruius eſt ſenſus. Non enim dicit Innocentius, quod per ſolam Communionem homines illi à perpetuò exitio vindicentur, ſed dicit, quod tribuitur cum pœnitentia extrema Communio, vt homines huiuſmodi, vel in Supremis ſuis pœnitentes miſerante Saluatore noſtro à perpetuo exitio vindicentur. Vbi non ſoli Communioni, ſed Pœnitentiæ etiam, ac miſericordiæ Diuinæ vindicationem à perpetuo exitio Innocentius attribuit. Quia enim cum Communione Pœnitentia iungebatur, ait Innocentius, tribui cum Pœnitentia extremam Communionem, vt homines illi pœnitentes à perpetuo exitio vindicentur.

Ad tertium, quod obijcitur, Sancti Cypriani ætate, quam ſpectaſſe videtur Innocentius, Abſolutionem ab Euchariſtica Communione nullo ſeiunctam fuiſſe interuallo, vt ex allatis eiuſdem S. Cypriani verbis videtur conſtare, ac proindè ſi Euchariſtia negata eſt ijs, qui pœnitentiam in extremo vitæ flagitabant, negatam etiam illis fuiſſe Abſolutionem. Reſpondetur, ex allatis S. Cypriani verbis aliud non haberi, niſi quod Lapſis, ac etiam morientibus, Euchariſtia non concedebatur, niſi data priùs pace, ſeù abſolutione Sacramentali, ſed non haberi, quod abſolutio Sacramentalis eis non data fuerit, etiam non conceſſa Euchariſtia. Quare licet non daretur Euchariſtia, niſi data prius abſolutione Sacramentali, dabatur tamen Abſolutio Sacramentalis, etiam non data Euchariſtia, & ſic Peccatoribus in extremo vitæ veniam poſtulantibus dabatur abſolutio Sacramentalis, non data Euchariſtia, idque ex rationibus ſuperiùs adductis. Hoc autem dicimus, poſito, quod in laudatis verbis S. Cypriani Sermo ſit de abſolutione Sacramentali, & pro foro interno, nam ſi in eis ſermo ſit de abſolutione Eccleſiaſtica, & pro foro tantùm externo, dicendum eſt, eo tempore Lapſis Euchariſtiam non fuiſſe conceſſam, niſi cum abſolutione illa Eccleſiaſtica, & abſolutionem illam Eccleſiaſticam Lapſis non conceſſam fuiſſe, niſi cum Euchariſtia.

Ad quartum, in quo dicitur, quod fruſtrà docuiſſet Innocentius priorem obſeruationem duriorem, poſteriorem verò inclinatiorem, niſi prior diſciplina denegaſſet abſolutionem à peccatis, ijs, qui in mortis articulo conſtituti Pœnitentiam primùm poſtulabant: Quia vt Abſolutio à peccatis ſine Communione tribueretur, non ſolùm Innocentij æuo, ſed multis poſt ſæculis, ſæpiùs obſeruatum eſt, & etiam nunc obſeruatur in Gallia ergà criminum capitalium reos ad mortem damnatos, & vbique (addit Morinus) erga eos ægrotos, in quibus vomitus periculum imminet.

Reſpondetur, argumentum hoc eſſe adeò futile, vt mirùm ſit, ab Authoribus illis fuiſſe propoſitum, nam con-

conſuetudo denegandi Euchariſtiam in extremo dumtaxàt vitæ pœnitentibus, quæ ſupponitur tribus primis ſæculis viguiſſe, ideò ab Innocentio durior appellatur, quia durius videbatur, quod homines in extremo vitæ ſuæ conſtituti, & veniam petentes, Sacræ Euchariſtiæ præſidio priuarentur ex eo dumtaxàt motiuo, ne Communionis, ſeù Euchariſtiæ conceſſa facilitas, alios de reconciliatione ſecuros non reuocaret à lapſu. Cæterùm ſi aliquid occurrat, quod reuerentiæ Sacramenti præiudicet, & ideò Euchariſtiæ Sacramentum pœnitentibus denegetur, denegatio Euchariſtiæ in iſto caſu, & ex hoc motiuo, non eſt dicenda conſuetudo durior; id enim eſt de iure Sacramenti, idque Sacramentum ipſum expoſcit, vt videlicèt nihil agatur, quod ſit contra ipſius reuerentiam, & aliter non debet fieri. Id autem contingit cum Euchariſtiæ Sacramentum denegatur ægrotis illis, in quibus eſt periculum vomitus; Vndè quod huiuſmodi ægrotis denegetur Communio, ſeù Euchariſtia non tollit, quod non fuerit dura conſuetudo denegare Communionem ægrotis in extremo dumtaxàt vitæ pœnitentibus, quæ vigêbat in Eccleſia primis tribus ſæculis, vt Innocentius ait, nam conſuetudo illa non erat ex ratione Sacramenti, ſed ex inſtitutione humana. Et idem dicendum de conſuetudine, quæ, vt dicitur, etiam nunc in Gallia ſeruatur, denegandi Euchariſtiam reis ad mortem damnatis, nam ſi hoc ideò fiat, quia cenſeatur aduerſari Euchariſtiæ dignitati, & reuerentiæ, Sacramentum ipſum videtur hoc exigere, ſed ſi hoc fiat in pœnam delictorum, etiam hæc conſuetudo videtur durior; priuare ſcilicèt tanto præſidio, quale eſt Euchariſtia, illum, qui moriturus eſt, & ſi ob delicta patrata mortem ſit ſubiturus.

QVÆSTIVNCVLA INCIDENS.

Vtrum Euchariſtia concedenda ſit reis vltimo ſupplicio afficiendis.

Occaſione huius argumenti, placet quæſtionem de præſtanda Euchariſtia vltimo ſupplicio damnatis hic perrractare. Conſuetudo Euchariſtiam ad mortem damnatis non præſtandi, inualuit nedùm in Regno Galliæ, vt teſtatur Stephanus Aufrerius *in tract. de poteſtate Eccleſiæ*, quem allegat Antonius Gamma Iuris Conſultus Luſitanus *in Tractatu de Sacramentis præſtandis vltimo ſupplicio damnatis, &c.* in calce Deciſionum Supremi Senatus Luſitaniæ, *quæſt. prima*; ſed & in Regnis Hiſpaniæ, vt inquit Nauarr. *in ſuo Confeſſionario*; & etiam in Regno Luſitaniæ, vt teſtatur idem Gamma ibidem. Hæc porrò conſuetudo, ſi ea ratione in dictis Regnis inualuit, quia vt idem Stephanus *in dicto tract. caſu* 125. ait conuenit multiplici reſpectu, quod executio ſententiæ condemnatoriæ non differatur, quæ quidem differenda eſſet, ſi condemnatus reciperet Euchariſtiam, quoniam indecenter fieret, ſi eodem die damnarus ad mortem reciperet Euchariſtiam, & vltimum

mum pateretur ſupplicium; ſi hac ratione conſuetudo iſta, in prædictis Regnis inualuerit, non ideò dicenda videtur durior, quia non in pœnam delictorum ipſius rei ad mortem damnati, ſed ob reuerentiam Sacramento debitam inualuit, quæ præferenda videtur vtilitati, quam ex Euchariſtiæ perceptione reportare poſſet reus ille ad mortem damnatus. Cœterum, ſi conſuetudo Sacram Euchariſtiam denegandi inualuiſſet, in pœnam delictorum eiuſdem rei, etiamſi non irrationabilis eſſet, & à poteſtate Eccleſiaſtica induci poſset, vti de facto primis tribus ſæculis ab Eccleſia denegata fuit Lapſis, qui ab Eccleſia pulſi, in extremo dumtaxàt vitæ ſuæ ad Eccleſiam recurrebant, & ab ea veniam petebant; negari tamen non poteſt, quod durior ſit huiuſmodi conſuetudo, vt ait Innocentius; *Durius enim eſt peccatorem pœnitentem tanto præſidio in mortis articulo priuare*: præterea in extremo vitæ pœnitentibus Sacram Euchariſtiam denegare eſt quodammodò illis adeptionem gloriæ protrahere; Nam Sacramentum Euchariſtiæ inter alios effectus mirabiles, quos operatur, ille vnus præcipuus eſt, quod Viatoribus det adeptionem gloriæ, id eſt virtutem adipiſcendi gloriam: Vndè Ioann. 6. dicitur, *ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*, ita verò æterna eſt gloria; quod ipſum latius oſtendit S. Thomas 3. *p. q. 79. art. 2.*

Operatur etiàm Euchariſtia, & alium effectum, quod præſeruat à peccatis futuris, & hoc dupliciter ait S. Thomas ibidem *art. 6.* Scilicet interius roborando per gratiam, & exterius repellendo omnem Dæmonum impugnationem. Item delet peccata venialia, immò & mortalia, quorum quis non habet conſcientiam, & affectum, vt ait S. Thomas *art. 3. & 4.* eiuſdem quæſtionis. Vndè eſt abſolutio ſcelerum, id eſt mortalium peccatorum ignoratorum, & futurorum modo iam dicto. Item delet pœnam debitam peccatis, licet non totam, ſed ſecundum menſuram deuotionis, vt ibidem ait S. Thomas *art. 5.* Videantur, quæ diximus ſuprà ad 1. obiectionem.

Propter hos effectus, qui ex denegatione Euchariſtiæ à pœnitentibus remouentur, ſeù in pœnitentibus non ponuntur, negari non poteſt, conſuetudinem veterem Eccleſiæ denegandi Euchariſtiam in extremo tantùm vitæ pœnitentibus duriorem fuiſſe, immò, & propter hanc eamdem rationem author præcitatus cenſet, nec etiam ad mortem damnatis denegandam eſſe Euchariſtiam, ne videlicet miſer ille tot bonis ſpiritualibus priuetur; & hanc opinionem tenuit *Gloſ. in Clem. 1. de pœnit.* cum qua omnes Doctores ibi tranſeunt. Item & *Gloſſa in cap. ſi quis de corpore*: quam ſequuntur expreſsè *Cardinalis Imol. & alij in d. Clem. 1.* Vbi Bonifacius de Vitali referendo Hoſtienſ. *in cap. ſanè de celebrat. miſſar.* dicit ità tenendum cum hac moderatione, vt illo die differatur executio. Dicit tamen latius inſiſtendo, quod hoc non ſeruatur, immò quod in nonnullis locis ille, qui ducitur ad mortem reperit in via Sacerdotem, qui miſſam celebrat, & ab eo recipit communionem. Et licet honeſtius eſſet, vt executio diffe-

differatur illo die, tamen, inquit idem Author, non ideò fit iniuria Sacramento, nec Sacramentum minus proficit, ex quo in homine iſto apparuerunt ſigna contritionis; tunc enim Sacramentum decenter recipitur, cum poſt Confeſſionem Sacramentalem cum debitis actibus recipitur. Eſt enim viaticum, hoc eſt animæ cibus, & non corporis. Nec propter receptionem viatici differenda eſt executio, inquit idem Author, quoniam cum Dominus Ieſus iuſtus ſit, & iuſtitiam dilexerit, non debemus ob receptionem ſui Sanctiſſimi Corporis executionem iuſtitiæ differre, ne quodammodò bonum iuſtitiæ impediatur, & ſic videatur Reipublicæ iniuria naſci, vndè iura naſcuntur *argum. l. meminerint C. vndè vi.* & ex his patet reſponſio ad obiectum, quod pro parte contraria adductum fuit.

Sed quæſtionem iſtam decidit Textus clarus *in cap. Quæſitum* 13. *quæſt.* 4. cuius verba hæc ſunt. *Quæſitum eſt ab aliquibus fratribus de his, qui in patibulis ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus poſt confeſſionem Deo peractam, vtrum cadauera eorum ad Eccleſias deferenda ſint, & oblationes pro eis offerendæ, & miſſæ celebrandæ, an non? Quibus reſpondemus, ſi de omnibus peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & dignè pœnitentibus communio in fine ſecundùm præcepta Canonum danda eſt; cur Canones communionem, vel ſepulturam eis interdicunt, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſoluunt, & confitentur, vel confiteri deſiderant? Scriptum eſt enim. Non iudicat Deus bis in id ipſum.* Ex quo Textu apertè conſtat, ſtatutum fuiſſe in Concilio Moguntinenſi, non eſſe his ad mortem condemnatis denegandam Communionem. Id autem ſic firmiter tenuerunt Doctores, inquit Author præfatus, vt neminem viderit, qui contrarium iure audeat affirmare poſt Sylueſtrum in verbo *Sepulturæ quæſt.* 10. Videri poteſt prælaudatus Author, qui multis probat nullam indecentiam interuenire, ſi vltimo ſupplicio damnatus pridiè mortis ſuæ Euchariſtiam ſumat, immò ſi ſummo mane poſt peccatorum confeſſionem eam recipiat.

Idem patet ex *cap. ſuper eo de Hæreticis in* 6. Item ex motu proprio Pij V. anno 1569.

Ad argumentum autem principale redeuntes dicimus, negari non poſſe conſuetudinem denegandi Euchariſtiam in extremo vitæ ſuæ pœnitentibus duriorem eſſe, vt ait Innocentius. Quod autem Euchariſtia etiam nunc denegetur moribundis vomitu laborantibus, non arguit conſuetudinem denegandi Euchariſtiam in extremo vitæ ſuæ pœnitentibus, ſecluſo caſu vomitus, duriorem non fuiſse. Vomitu enim laborantibus Euchariſtia deneganda omninò eſt ob reuerentiam Sacramento debitam, ne videlicet Venerabile Sacramentum inter ſordes proijcitur, vt in eo caſu contingere poſſet. Reuerentia enim Sacramenti cuicumque vtilitati ſuſcipientis præferenda eſt; Vndè denegatio Euchariſtiæ infirmis vomitu laborantibus non eſt dicenda conſuetudo introducta cum id exigatur ex natura rei, hoc eſt ipſius Sacramenti.

Ad quintum, & vltimum, quod iuxtà Innocentium prior illa obſerua-

tio vigebat, *Ne Communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non reuocaret à lapſu*, ac proindè ſecundum priorem diſciplinam non reconciliabantur, nec abſoluebantur à peccatis, patet reſponſio ex dictis, & ex dicendis amplius patebit, quod (quidquid in contrarium dicat Morinus) duplex primis illis ſęculis reconciliatio, ſeù abſolutio impendebatur, vna videlicet Sacramentalis, & in foro interno, altera Eccleſiaſtica, ſeu Canonica, & pro foro externo; hæc erat illa, quæ negabatur ijs, qui in extremo dumtaxat vitæ veniam petebant, & hæc non impendebatur, niſi cum concedebatur Communio, ſeù Euchariſtia, quæ tamen non excludebat, ſed ſupponebat abſolutionem Sacramentalem. Quare ægrotis in extremo dumtaxàt vitæ pœnitentibus impendebatur abſolutio Sacramentalis, & in foro interno, ſed negabatur abſolutio illa Canonica in foro externo; quæ etiam reconciliatio cum Eccleſia, & fidelibus dicebatur, vt hac ratione alij à lapſu cohiberentur.

Hoc ipſum conſtat ex S. Cypriani verbis epiſtola 54. ab Aduerſarijs allatis, vbi S. Cyprianus Communicationis, ſeù Communionis nomine ipſam Euchariſtiam intelligit, ſic enim ait (*Cenſuimus, eis, qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe, & eos ad prælium, quod imminet armari, & inſtrui oportere: At verò nunc non infirmis, ſed fortibus, pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione Corporis, & Sanguinis Chriſti muniamus. Et cum ad hoc fiat Euchariſtia, vt accipientibus poſſit eſſe tutela, quos tutos eſſe contra Aduerſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodò docemus, aut prouocamus eos in Confeſſione nominis Sanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti Sanguinem denegamus?*) Hæc Cyprianus. In quibus Communicationem, ſeu Communionem pro eodem accipit, ac pro exhibitione Euchariſtiæ, ſicut & Pax, & Euchariſtiæ exhibitio, idem apud ipſum ſignificat, prout in relatis verbis apparet.

Communicatio autem, quam S. Cyprianus concedendam dicit peccatoribus illis, qui à primo die lapſus ſui pœnitentiam agere non deſtiterunt, illamet eſt, quam Cyprianus, atque Innocentius iuxta veterem conſuetudinem, negatam dicunt peccatoribus illis, qui in extremo dumtaxat vitæ ſuæ pœnitentiam expoſcebant, atqui nomine Communionis conceſſæ Peccatoribus à primo lapſus ſui die, intelligitur à Cypriano Euchariſtia, & cum ipſa reconciliatio in foro externo, ergò & Euchariſtia intelligenda eſt nomine Communionis cōceſſæ peccatoribus in extremo dumtaxat vitæ pænitentibus.

Prætereà, quod Innocentius Communionis iuxtà priorem conſuetudinem negatæ nomine intellexerit Euchariſtiam, patet ex alijs illius verbis cum dicit (*Poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, iam depulſo terrore Communionem dari obeuntibus*

tibus placuit propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis) Vbi Pontifex Communionem, quaſi viaticum appellat; Certum eſt autem, quod iuxtà Sacra Concilia, & Sanctos Patres, Viatici nomen principaliter, & per antonomaſiam de Euchariſtia dicitur. Quamuis enim aliqui Sancti Patres, Viatici nomen ad omne Sacramentum neceſſariũ ad ſalutem in extremo vitæ collatum aliquando extẽdant, quo ſenſu interdum ſignificant Baptiſmum, vt legitur apud S. Baſilium *hom. in Sacr. Baptiſ.* Et apud S. Gregorium Nazianzenum *in orat. de Baptiſ.* vbi damnat illos, qui Baptiſmi ſuſceptionem differunt vſque ad mortem, inquiens (*Quandiù inter Baptiſtam, & quæſtuarium nulla pugna eſt, dum ille morientem viatico inſtruere, hic hæres nominari obnixè contendit*) immò & S. Cyprianus etiam eleemoſynam viaticum appellauit eorum, qui ex hac vita migrabant, vt *loc. cit.* obſeruat laudatus Dominicus Magrus; vbi tamen hæc non exprimuntur, vel ex adiunctis non apparet ſermonem eſſe de alio Sacramento ab Euchariſtia, aut de alia re ab Euchariſtia diuerſa, ipſa Euchariſtia intelligitur, immò de Sacramento Euchariſtiæ Sermonem eſſe colligitur ex eo, quod, vt diximus omninò præſupponendum eſt, ægrotos illos nedum abſolutionem Sacramentalem in extremo vitæ poſtulaſſe, ſed etiam Sacram Euchariſtiam, quo poſito, debuit Innocentius ad quæſitum Exuperij reſpondere quoad Euchariſtiam dictis ægrotis concede dam, vel negandam. Cum autem Euchariſtiæ exprimendæ aptari non poſſint verba illa, quibus dicit pœnitentiam ægrotis illis, iuxtà priorem conſuetudinem fuiſſe conceſſam, & poſtmodum etiam eis eſſe cõcedendam, relinquitur. quod de Euchariſtia reſponderit per verba illa, quibus inquit, iuxtà priorem conſuedinem ægrotis illis Communionem negatam fuiſſe, ſed poſtmodùm fuiſſe conceſſam, & eis omninò eſſe in poſterum concedendam.

Denique Morinus ipſe, velit nolit, fateri cogitur ex his, quæ admittit, Communionis ægrotis in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus negatæ nomine Innocentium Euchariſtiam, non verò abſolutionem Sacramentalem intellexiſſe; Morinus enim ex verbis Innocentij relatis haberi fatetur, quod abſolutio Sacramentalis conceſſa ſemper fuerit Lapſis illis, qui ab Eccleſia nec ſe ſeparauerant, nec ſeparati fuerant, ſed tamen totam vitam in peccatis tranſegerant, & veniã in extremo dumtaxat vitæ ſuæ poſtulabant, idquè ex verbis illis Innocentij, *Conſuetudo prior tenuit, vt concederetur eis Pænitentia*, non enim conceſſionem huiuſmodi ex alijs verbis colligere poteſt, quam ex iſtis. Igitur in alijs Innocentij verbis, quæ ſequuntur ex illis, nempè; *Et Communio negaretur*, Communionis nomine haud poteſt intelligere abſolutionem Sacramentalem; nam hanc nomine pœnitentiæ conceſſæ dicit intelligi; Vndè relinquitur, quod in ordine ad ægrotos prædictos, Communionis negatæ nomine non abſolutio Sacramentalis intelligenda ſit, ſed Euchariſtia, nil enim aliud intelligendum relinquitur. Si autem Pœnitentiæ conceſſæ nomine intelligitur iuxtà

Morinum abſolutio Sacramentalis in ordine ad ægrotos in extremo dumtaxat vitæ pœnitentes, qui antea ab Eccleſia ſeparati non fuerant, dicendum eſt nomine Pœnitentiæ conceſſæ intelligendam eſſe abſolutionem Sacramentalem, & in ordine ad quoſcumque ægrotos veniam in extremo dumtaxat vitæ poſtulantes, videlicèt & in ordine ad illos, qui ab Eccleſia anteà ſeparati fuerant. Nam fieri nequit, vt eadem vox, *Pœnitentia*, in ordine ad ægrotos ab Eccleſia non ſeparatos, abſolutionem Sacramentalem ſignificet, & in ordine ad ægrotos ab Eccleſia ſeparatos non ſignificet abſolutionem Sacramentalem; Nam quælibet vox retinet vbique ſuam ſignificationem.

Igitur ex Innocentio Pontifice conſtat, Eccleſiam Romanam, nec etiam primis tribus ſæculis veniam, & abſolutionem Sacramentalem Lapſis illis denegaſſe, qui eam in extremo dumtaxat vitæ ſuæ poſtulaſſent. Innocentius enim etiamſi in principio quinti ſæculi Pontificatum gefferit, teſtatus eſt tamen de veteri conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, quæ ſibi manifeſta erat. Retorqueatur ergò obiectio hæc in ipſos opponentes, ſicque argumentum inuictum pro vera ſententia.

Alijs argumentis oſtenditur, Communioni Lapſis in extremo vitæ pœnitentibus negatæ nomine, Abſolutionem Sacramentalem Innocentium non intellexiſſe, & vera ſententia confirmatur:

QVòd Innocentius Communionis Lapſis in extremo vitæ pœnitentibus negatæ nomine, abſolutionem Sacramentalem nō intellexerit, ex eo etiam oſtenditur; quod crebris illis Fidelium tunc in Idololatriam lapſibus ſufficienter occurrebatur denegando alijs fidelibus in extremo vitæ ad Eccleſiam recurrentibus, Euchariſtiam, & perfectam reconciliationem externam cum Eccleſia, nec æquum fuit ad cohibendos aliquos fideles à Lapſu, alios in extremo vitæ conſtitutos æternæ damnationis periculo exponere, cum nec pro ſalute ſpirituali vnius hominis periculo exponenda ſit ſalus ſpiritualis alterius, expoſita verò fuiſſet periculo ſpiritualis ſalus morientium, ſi eis abſolutio Sacramentalis denegata fuiſſet; nam cum difficilè ſit actum perfectæ Contritionis elicere, æternæ damnationis periculo expoſiti fuiſſent morientes, quibus pœnitentiæ Sacramentum, & abſolutio Sacramentalis denegata fuiſſet.

Nec etiam ſuſpicio, aut dubium de diſpoſitione morientium ſufficiens motiuum eſſe potuit ad denegandam illis abſolutionem ſacramentalem, ſi aliàs non appareret, eos de peccatis non dolere; nam in eo caſu impendenda fuit abſolutio, ſaltem ſub conditione, vt ſaluti morientis conſultum eſſet, ſi ſufficiens fundamentum adfuiſſet ſuſpicandi, vel dubitandi de diſpoſitione pœnitentium. At verò non eſt cenſendum ſufficiens fundamentum

mentum dubitandi de diſpoſitione morientis, quod totam vitam in peccatis tranſegerit, & in extremo tantùm vitæ ſuæ veniam poſtulauerit, nam vt ex Cœleſtino Pontifice ſuperiùs diximus. *Vera confeſſio in vltimo tempore eſſe poteſt, ſicut Latro vnius momenti pænitentia meruit eſſe in Paradiſo, in hora vltima confeſſionis, & vera ad Deum conuerſio in vltimis poſitorum, mente potius eſt æſtimanda, quam tempore*, Propheta hoc taliter aſſerente: *Cum conuerſus ingemuerit, tunc ſaluus erit.*

Peccator igitur adhuc in extremo dumtaxat vitæ ingemiſcens, & dolens, abſoluendus eſt. Certum eſt enim pœnitentiam illam ex Dei inſpiratione conceptam eſſe, ait S. Leo; Cum verò peccator, ſe vere dolere, aut pœnitere teſtatur, etiamſi in extremo vitæ dumtaxat doleat, eſt ei credendum, nam peccatori in foro interno, & pœnitentiali credendum eſt, tam in his, quæ contra ſe, quàm in his, quæ pro ſe teſtatur, vt ait Sanctus Thomas, & cum eo Theologi communiter.

Nec in caſu de quo agimus, locum habet, quod Eccleſia, ſeu eius Miniſtri agere conſueuerunt cum recidiuis aut cum manentibus in occaſione proxima peccandi; quod nempe abſolutio denegetur, aut differatur, ad experimentum de illorum propoſito, & conſtantia ſumendum; nam cum hic agatur de pœnitente morituro, hæc locum non habent, certum eſt enim huiuſmodi pœnitentem nec in peccatum amplius lapſarũ eſſe, nec manſurum amplius fore in occaſione peccãdi; vnde illi denegari non poteſt abſolutio ad experiendam illius conſtantiam; relinquitur ergo, quod ſi moribundus ille verè ſe de peccato dolere teſtetur abſoluendus ſit, ne irreparabilem ſalutis æternæ iacturam ſubeat.

Si autem quis velit nomine conceſſæ pœnitentiæ in relatis Innocentij verbis intelligi conceſſum Pœnitentiæ Sacramentum, ſeu abſolutionem Sacramentalem vnà cum iure ad peragendam pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem canonicam, & nomine negatæ communionis intelligi negatam Euchariſtiam, & ſimul negatam abſolutionem Eccleſiaſticam in foro externo, non abnuemus; nam hoc pacto non ſequerentur abſurda, & inconuenientia, quæ ſequi oſtendimus, ſi ponatur pœnitentiæ conceſſæ nomine intelligi dumtaxat ius ad peragendam pœnitentiam canonicam, & communionis negatę nomine intelligi negatam abſolutionem Sacramentalem. Dici ergo poteſt, quod lapſis illis, qui in vitæ dumtaxat fine veniam poſcebant, concedebatur abſolutio Sacramentalis, & ius ad peragendam pœnitentiam in foro externo, & negabatur Euchariſtia, & abſolutio in foro externo; & quia quando alijs concedebatur Euchariſtia, concedebatur etiam nedum abſolutio Sacramentalis, & in foro interno; ſed etiam abſolutio Eccleſiaſtica, & in foro externo, ideo Authores prefati confundunt Communionem cum abſolutione, putantes abſolutionem dici etiam Communionem.

Re-

Reſpondetur his, quæ obijcit Natalis Alexander, quoad mentem Eccleſiæ in ordine ad abſolutionem Sacramẽtalem lapſis in extremo vitæ pœnitentibus conceſſam.

OBijcit Natalis, quod *poſtquam Eccleſia priorem illam ſeueritatem mitiori diſciplina emolliuit, & conceſſit abſolutionem illis, qui imminente mortis periculo illam rogauerunt, & cõuerſionem ad illas vſque diſtulerunt anguſtias, ſignificauit pluries ſe dubitare de illorum conuerſionis, & pœnitentiæ ſinceritate, qui imminente mortis periculo abſolutionem poſtulauerunt, & conuerſionem ad illas vſque anguſtias retulerant; nec non ſe dubitare ſignificauerit de abſolutionis efficacia propter probabilem indiſpoſitionem Pœnitentis: vnde ſic Pœnitentes, & abſolutos in extremis, imo & Euchariſtia donatos, iterum pœnitentiæ publicæ, ſi conualuiſſent, ſubiecit.*

Ad hoc affert primò Sanctum Gregorium Niſſenum in Epiſtola Canonica ad Letoium Can. 1. quo vbi Apoſtatæ à fide pœnitentiæ tempus vitam omnem præſcripſit, hæc ſubiungit: *In hora autem ſuiè vitæ exceſſus Sacramenti Commuionis erit particeps. Sin autem contigerit, vt is, præter ſpem viuat, in eodem rurſus erit iudicio, myſticorum Sacramentorum ad vitæ exitum vſque expers.*

Secundò Concilium Carthaginenſe quartum Can. 76. quo decernit, vt *is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit oppreſſus infirmitate fuerit, vel in phreneſim verſus, dantibus teſtimonium, qui eum audierunt accipiat pœnitentiam. Etſi continuò creditur moriturus reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia*; & mox addit: *Si ſuperuixerit admoneatur à ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum; & ſubdatur ſtatutis Pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dederit, probauerit.* Et poſtquam Canone 77. decreuit, vt *pœnitentes, qui in infirmitate ſunt Viaticũ accipiant*; Hæc addit Can. 78. *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint.*

Tertiò Concilium Arauxicanum primum Can. 3. in quo ſic decernitur. *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari; Quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones Patrum, qui huiuſmodi Communionem Viaticum nominarunt; Quod ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentium, & oſtenſis neceſſarijs Pœnitentiæ fructibus legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.* Vocant illam Communionem legitimam præfati Concilij Patres (inquit Natalis) quaſi legitimam non eſſe ſuſpicarentur, quæ infirmis pœnitentiam imminente obitu, aut vi morbi premente flagitantibus data erat.

Quarto Concilium Epaunenſe Canon. 36. cuius hæc ſunt verba. *Ne vllus ſine remedio, aut ſpe veniæ ab Eccleſia repellatur, neue vlli, ſi aut pœnituerit, aut ſe correxerit ad veniam redeundi aditus obſtruatur. Sed ſi cui forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſti-*

conſtituta tempora relaxentur. Quod ſi ægrotum accepto Viatico reualeſcere forſitan contingit ſtatuti temporis ſpatia obſeruari conuenit. Hæc Natalis.

Reſpondetur nullum Canonem ex allegatis ad præſentem quæſtionem facere; nec intentum Opponentis probare. Quæſtio enim in præſenti eſt. Vtrum Eccleſia ſignificauerit ſe de illorum conuerſionis, & pœnitentiæ ſinceritate, ac abſolutionis efficacia dubitare, qui imminente mortis articulo abſolutionem rogauerint, & conuerſionem ad illas vſque anguſtias diſtulerint; & intentum Opponentis erat oſtendere, quod Eccleſia de ſinceritate huiuſmodi conuerſionis, ac de abſolutionis efficacia ſe dubitare ſignificauerit, & hoc illi probandum erat per Canones, quos allegat, eos enim ad hoc probandum affert. At verò in Canonibus quos affert, non eſt ſermo de illorum conuerſione, ac pœnitentia, qui conuerſionem ad articulum vſque mortis diſtulerunt, ſed eſt ſermo de illis, qui dum ſani eſſent, & in ſtatu ſanitatis manerent, pœnitentiæ ſtatum aſſumpſerunt, ſed poſtmodum cum abſoluti non eſſent vltima Sacramentali abſolutione (nam pluries illos Sacramentaliter in decurſu Pœnitentiæ abſolutos fuiſſe dicendum eſt, vt in ſequenti quæſtione oſtendemus) infirmitate correpti, & in extremo vitæ conſtituti, abſoluendi ante obitum fuerunt abſolutione Sacramentali, & pro foro interno, & abſolutione Canonica, ſeu Eccleſiaſtica, & pro foro externo. De his inquam peccatoribus loquuntur laudati Canones, in eis enim ſupponitur, peccatores illos pœnitentiæ ſtatum ante infirmitatem, & in ſtatu ſanitatis aſſumpſiſſe, nec verbum quidem in eis de illis, qui in extremo vitæ dumtaxat pœnitentiam, & abſolutionem poſtulaſſent. De illis autem, qui ſani, & in ſtatu ſanitatis manentes pœnitentiam, & abſolutionem poſtulaſſent, ſtatumque pœnitentiæ in ſtatu ſanitatis aſſumpſiſſent, & poſtmodum infirmitate correpti, & in extremo vitæ conſtituti abſolutionem poſtulaſſent, non poterat ex his, quæ prætendit Opponens, Eccleſia dubitare, quod ſincere ad Deum conuerſi fuiſſent, vel quod efficaciter abſoluti fuiſſent, ratio enim, quam pro ea dubitatione affert Opponens, illa eſt, quod peccatores conuerſionem ad illas vſque, id eſt mortis diſtuliſſent anguſtias, ac proinde indiſpoſiti fuerint, at hi de quibus agitur in allatis Canonibus, non diſtulerunt conuerſionem vſque ad mortis anguſtias, ſed conuerſi fuerunt dum ſani erant, & in ſtatu ſanitatis manebant, licet poſtmodum infirmitate correpti fuiſſent, vnde de illorum diſpoſitione dubitari non poterat; igitur laudati Canones ad rem non faciunt, nec intentum probant Opponentis.

Sed nec in eiſdem habetur, quod Eccleſia ſe dubitaſſe ſignificauerit de illorum ſincera conuerſione, aut efficaci abſolutione, qui cum in decurſu pœnitentiæ eſſent, infirmitate corripiebantur, & in extremo vitæ abſoluebantur, de hac enim dubitatione, ne verbum quidem in illis Canonibus, ſicut nec in eis habetur, quod peccatores illi iterum Sacramentaliter abſoluendi eſſent, ſi conualuiſſent, vti ſtatuendum fuerat, ſi de illorum conuerſione, & abſolutione dubitaſſet Eccleſia,

clefia,

cleſia, ſed ſolùm habetur, quod qui infirmitate correpti, & in periculo mortis conſtituti eſſent pœnitentiæ ſtatum, & decurſum proſequerentur, ſi conualuiſsent, & ſtatutis pœnitentiæ legibus ſubiacerent. Idque non quia dubitatum fuerit de ſinceritate conuerſionis illorum, & de efficacia abſolutionis, ſed vt ſeruarentur cum omnibus præſcriptæ leges de pœnitentijs agendis, & nemo ab eis eximeretur. Cum enim ſtatutum generaliter fuiſſet ab Eccleſia, vt pro qualitate commiſſorum criminum peccatores ſtatutis pœnis ſubiacerent, æquum fuit, nullum ab hac lege excipere, aut diſpenſare, niſi rationabile occurreret impedimentum, aut motiuum.

Vt autem veritas euidentius appareat, ſingulos Canones expendamus, quos pro ſe affert Pater Natalis.

Primo affert Canonem ex S. Gregorio Niſseno, vbi de Apoſtata à fide, cui pœnitentiæ tempus tota vita præſcribitur his verbis. (*In hora ſui è vita exceſsus Sacramenti Communionis erit particeps. Sin autem contigerit, vt is præter ſpem viuat, in eodem prorſus erit iudicio, myſticorum autem Sacramentorum, ad vitæ exitum vſque expers*.

Nihil in hoc Canone apparet, quod indicet Eccleſiam dubitaſſe de ſincera conuerſione Apoſtatæ, aut de illius abſolutionis efficacia, vt vult Opponens: nam cum de Apoſtata, ſi præter ſpem vixiſset, dicitur, quod myſticorum Sacramentorum ad vitæ exitum vſque expers ſit; myſticorum Sacramentorum nomine hoc loco venire non poteſt, niſi Sacramentum Euchariſtiæ, tum quia de Sacramento Euchariſtiæ duntaxat, verificatur per excellentiam, quod ſit myſticum Sacramentum, non quia non ſit verum & reale Sacramentum, ſed quia in eo relatio habetur ad plura, quæ myſtica ſunt, (vti Agnus Paſchalis, Cœna Dominica &c.) quam in Sacramento Pœnitentiæ. Dicitur autem in plurali numero *myſticorum Sacramentorum*, in reuerentiam, & dignitatem tanti Sacramenti, vel quia alijs fidelibus Euchariſtia pluries concedebatur. Tum etiam quoniam in verbis illis: *Myſticorum Sacramentorum ad vitæ exitum vſque particeps*, de illo Sacramento ſermo eſt, de quo prius dixerat, quod Apoſtata *in hora ſui è vita exceſſus Sacramenti Communionis erit particeps*; per hæc autem poſteriora verba, euidens eſt, Euchariſtiæ Sacramentum ſignificari; nam Euchariſtia eſt Sacramentum, in quo fideles dicuntur communicare, vnde & Euchariſtiæ perceptio Communionis nomen retinuit. Et rurſus fideles, quia in Euchariſtia percipienda communicabant, & conueniebant, cum eam percipiebant, dicebantur participes Sacramenti Communionis. Hæc autem non competunt Sacramento Pœnitentiæ; nam in Sacramento Pœnitentiæ, non dicuntur fideles communicare, aut conuenire, nec proinde illius perceptio, Communio propriè dicitur; ſicut nec fideles dicuntur participes eſſe Sacramenti Pœnitentiæ, bene tamen dicuntur participes eſſe Euchariſtiæ, quatenus in ea percipienda conuenientes, ſinguli Euchariſtiam percipiunt.

Præterea non eſt putandum, quod Apoſtata pœnitens ſi per multos annos vixiſſet, vti viuere potuit, poſtquam conualuit, Eccleſia per multos annos

annos Sacramento Pœnitentiæ, & abſolutione Sacramentali deſtitutum voluerit, id enim inconueniens fuiſſet, & abſurdum, Eccleſiæ pietati omnino repugnans, vt quæſtione ſequenti oſtendemus: non igitur in verbis illis ſermo eſſe poteſt de dilatione Sacramenti Pœnitentiæ vſque ad exitum Apoſtatæ, ſed ſermo eſt, de dilatione perceptionis Euchariſtiæ vſque ad Apoſtatæ mortem; hæc enim dilatio nullam abſurditatem, nullumque inconueniens importabat, vt diximus ſupra, & dicemus infra.

At dato, & non conceſſo, quod Communionis, & myſticorum Sacramentorum nomine in verbis illius Canonis Pœnitentiæ Sacramentum intelligendum eſſet; nihil profectò in verbis illis apparet, quod aſſertam Eccleſiæ de ſincera conuerſione Apoſtatæ, aut de Abſolutionis ei impenſæ efficaciæ, dubitationem, aut ſuſpicionem indicet; non enim Abſolutio prior putata fuiſſet inefficax, ex eo quod alia abſolutio dilata fuiſſet vſque ad mortem Apoſtatæ, nam potuiſſet abſolutio prima efficax eſſe & pœnitens in prima abſolutione potuit eſſe rectè diſpoſitus etiamſi poſterior abſolutio vſque ad mortem dilata fuiſſet, vt de ſe patet; ſed & Eccleſia non iuſſiſset, Apoſtatam illum primò abſolui, ſi de illius diſpoſitione dubitaſſet; vnde cum illum abſoluendum dixerit per ea verba, iuxta Opponentem. (*In hora ſui è vita exceſſus Sacramenti Communionis erit particeps*) euidens eſt Eccleſiam de illius diſpoſitione nullam dubitationem, aut ſuſpicionem habuiſse. Ex quacumque igitur parte accipiatur Canon ille, & in quocunque ſenſu intelligatur, nullatenus ad rem propoſitam facit.

Secundò affertur Canon 76. Concillij Carthaginenſis quarti, in quo decernitur, *vt is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit oppreſsus infirmitate fuerit, vel in phreneſim verſus, dantibus teſtimonium, qui eum audierunt, accipiat pœnitentiam, etſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia*: & mox additur, *ſi ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probauerit*. Et poſtquam Canon. 77. decreuit, *vt pœnitentes, qui in infirmitate ſunt, Viaticum accipiant*; Hæc addit Can. 79. *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint*.

In rem ſuam poſtrema, quæ afferuntur, facere putant, qui hæc opponunt videlicet, quod qui infirmitate oppreſſus, loqui non poteſt, pœnitentiam, quam anteà petijt, accepit, & reconciliatus eſt per manus impoſitionem, ſi ſuperuixerit, ſubdatur ſtatutis Pœnitentiæ legibus, & non ſe credat abſolutum ſine manus impoſitione, quaſi Eccleſia de ſinceritate conuerſionis illius, & de efficacia abſolutionis ei collatæ dubitauerit.

Ad hoc obiectum dicitur, vt ad præcedens. Nihil videlicet in allegatis textibus haberi, quod vel minimam Eccleſiæ ſuſpicionem, vel dubitationem indicet de ſinceritate con-

uerſionis illius pœnitentis, aut de impenſæ abſolutionis efficacia ob indiſpoſitionem ſubiecti. Quod verò in eodem Canone dicitur de pœnitente, qui infirmitate correptus reconciliatus fuit per manus impoſitionem, *ſi ſuperuixerit ſubdatur ſtatutis Pœnitentiæ legibus*, non ideò dicitur, quia dubitetur de ſinceritate conuerſionis illius, aut de impenſæ abſolutionis efficacia, ſed vt ſtatutæ leges de ſubeundis pro admiſſis criminibus pœnis, obſeruentur, ita vt nullus, qui vita, & ſanitate gauderet, ab eis ſubeundis exciperetur. Tunc autem dicendum foret, dubitatum fuiſſe de ſinceritate conuerſionis illius, aut de impenſæ abſolutionis efficacia, quando ſtatutum fuiſſet, vt pœnitens, qui in extremo vitæ Sacramentaliter de peccatis præteritis abſolutus, ſi conualuiſſet, iterum abſoluendus eſſet, vti profectò ſtatuendum fuiſſet, ſi Eccleſia de illius conuerſione, aut de impenſæ abſolutionis efficacia dubitaſſet. Cum ergò, id nullatenùs ſtatuatur, euidens eſt, Eccleſiam de ſinceritate conuerſionis illius, aut de collatæ abſolutionis efficacia nullatenùs dubitaſſe.

Ad Canonem verò 78. eiuſdem Concilij, in quo decernitur, vt *pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperunt, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint*; Dicimus, per manus impoſitionem in eo Canone intelligendam eſſe abſolutionem non Sacramentalem, nam hanc ſupponitur accepiſſe illum, qui moriturus erat, ſed Canonicam, & Eccleſiaſticam, pro foro externo; Vtraque enim abſolutio, hoc eſt, tàm Sacramentalis, quàm Canonica, per manus impoſitionem impendebatur. Vndè cum in laudato Canone 76. Concilij Carthaginenſis dicitur, *quod ſi infirmitate correptus, continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem*, nomine impoſitionis manus, intelligenda eſt abſolutio Sacramentalis, etiam iuxtà Opponentes, nam hi ſupponunt, ægrotum illum abſolutum Sacramentaliter fuiſſe, & Eccleſiam poſtmodùm de illius abſolutionis efficacia dubitare, non poſſunt autem colligere, prædictum ægrotum abſolutum Sacramentaliter fuiſſe, niſi ex verbis illis, *reconcilietur per manus impoſitionem*, ergò velint, nolint fateri coguntur, nomine impoſitionis manus in eo Canone intelligendum eſſe ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacramentalem abſolutionem. Quod ſpecialiter hic prænotatum velim pro his, quæ in ſequenti quæſtione dicemus, vt oſtendamus, per manus impoſitionem intelligendam eſſe aliquando in Sacris Canonibus ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, & abſolutionem Sacramentalem, quod Authores illi ſibi non conſtantes poſtmodùm negant.

In Canone verò 78. eiuſdem Concilij Carthaginenſis, cum dicitur, quod *pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperunt, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione*. Nomine impoſitionis manus, intelligenda eſt non abſolutio Sacramentalis, nam dici nequit, pœnitentes illos Euchariſtiam ſumpſiſſe abſq; abſolutione Sacramentali; Cum ergò dicitur, pœnitentes illos Euchariſtiam in infirmitate ſumpſiſſe, & eoſdem

abſo-

abſolutos non fuiſſe per impoſitionem manuum, abſolutio hæc intelligenda eſt non Sacramentalis, ſed alia illa Eccleſiaſtica, ſeù Canonica, & pro foro externo, quæ vtpotè multas ceremonias requirens, pro breuitate temporis, morituris non impendebatur, & in Concilio Arauxicano 1. Can. 3. dicitur (*Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicare*,) & licet abſolutio illa Eccleſiaſtica, ſeù Canonica regulariter non ſeparetur ab Euchariſtiæ collatione, in caſu tamen quo pœnitens iam iam moriturus eſſet, concedebatur Euchariſtia ſine illa Eccleſiaſtica Abſolutione. Et hinc patet, diſtinctam fuiſſe abſolutionem Sacramentalem ab Eccleſiaſtica. Igitur cum in Can. 78. Concilij Carthaginenſis quarti dicitur, quod *qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperunt, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint*, nomine impoſitionis manus, intelligitur, non abſolutio Sacramentalis, ſed abſolutio alia Canonica, & Eccleſiaſtica; aliàs Canon ille ſeptuageſimus octauus contradiceret ſeptuageſimo ſexto; nam in ſeptuageſimo ſexto, dicitur, quod infirmus ille reconcilietur per manus impoſitionem, & in Canone 78. dicitur, quod *non reconcilietur per manus impoſitionem, nec poſſunt alio pacto hi duo Canones conciliari*, niſi dicendo, quod in priori Canone ſermo ſit de reconciliatione Sacramentali, in poſteriori verò de reconciliatione Canonica, & Eccleſiaſtica, & quod vtraque fieret per manus impoſitionem.

Cum ergò in Canone 78. Concilij Carthaginenſis dicitur; quod pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperunt, *non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint*, ſenſus eſt, quod ſi ſuperuixerint, non ſe credant abſolutos abſolutione illa Eccleſiaſtica, & ſuprema, quæ poſt expletas pœnitentias omnes pœnitentibus omnibus impendebatur, quaſi à pœnitentijs illis explendis, ſi ſuperuixerint, immunes eſſent, ſed proſequi deberent decurſum, & ſtadium pœnitentiæ, ſicut alij.

Et idem dicendum ad Can. 3. Concilij Arauxicani, quem tertiò loco pro ſe affert Pater Natalis, nàm in eo Canone dicitur; *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari, quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum diffinitiones Patrum, qui huiuſmodi Communionem Viaticum nominarunt. Quod ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentium, & oſtenſis neceſſarijs pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem, cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.* Eſt enim horum verborum ſenſus, quod qui morituri Euchariſtiam ſine reconciliatoria manus impoſitione acceperunt, hoc eſt, ſine abſolutione Canonica, & pro foro externo; nam certum eſt, quod qui Euchariſtiam acceperunt, abſoluti fuerant abſolutione Sacramentali, & pro foro interno, ſi ſuperuixiſſent, ſtare debuiſſent in ordine pœnitentium, id eſt, proſequuturi fuiſſent decurſum ſtatus pœnitentiæ, & oſtenſis neceſſarijs pœnitētię fructibus, legitimam Cōmunionem cum reconciliatoria manus impoſitione per-

cepiſſet. Vndè eū dicitur *legitimā Communionem percipiant*; non eſt ſenſus, quod Eccleſia velit, infirmum illū imminēte morte, non legitimā abſolutionem Sacramentalem accepiſſe, vt vult Natalis; nam hæc verba, non referuntur ad abſolutionem Sacramentalem infirmo illi collatam, quæ vtique legitima fuit, & rectè, ac ritè collata, ſed referuntur ad Communionem, ſeù Euchariſtiam, & ad communicationem cum cæteris fidelibus, ei tunc conceſſam, quæ legitima non fuit, quia non fuit conceſſa iuxtà ſancitas leges, & ceremonias, eo quod conceſſa fuit abſque manus impoſitione, & ideò dicitur, quod ſi ſuperuixerit, *legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiat*, vbi legitimam Communionem dicit, quæ fiebat cum reconciliatoria manus impoſitione; & hæc reconciliatio omiſſa fuerat in caſu mortis imminentis.

Hunc eſſe illius Canonis legitimum ſenſum teſtatur Gloſsa his verbis: *(Quod Pœnitentes, de quorum vita deſperatur, Communionem Corporis Domini recipiant, ſine reconciliatoria manus impoſitione ſolemni, ſi verò euaſerint, abſtineant à communione donec tempus pænitentiæ ſit completum, & tunc communionem, & reconciliationem accipiant.*

Prædictum autem ſenſum eſſe Canonis 78. Concilij Carthaginenſis, affirmat Coriolanus in notis ad illum Canonem, ſic enim ibi ait, *Sententia canonica eſt; Qui ob vitæ periculum priuatim à Sacerdotibus abſoluuntur, nondum completa actione pænitentiæ, ſi ſuperuixerint, redeant ad ordinem pænitentium, & cum illis manus impoſitionem ſuis temporibus percipiant: & niſi id fecerint, non ſe abſolutos à vinculo excommunicationis, vel à pœna temporali, quæ ipſis à Sacerdote præſcripta fuerit. Hos à culpa abſolutos fuiſſe dubitari non poteſt, cum Viaticum Euchariſtiæ perceperint, quod Eccleſia nunquam diſtribuere ſolet, niſi illis dumtaxat, quos à culpa lethali liberos eſſe credit, vndè per manus impoſitionem Patres Concilij hoc, & ſequenti Can. 80. accipiunt actionem illam Pænitentiæ, qua pænitentibus frequenter reconciliatoria manus imponebatur, quaque olim inter alios publicæ pænitentiæ ritus in Eccleſia frequentata fuit.* Vndè manus imponebantur, & in abſolutione Sacramentali, & in abſolutione merè Canonica, ſeù Eccleſiaſtica; immò & extrà vtramque abſolutionem eis manus imponebantur. Vndè pœnitentibus in ſtatu pœnitentiæ manentibus frequenter manus imponebantur, quia frequenter Pœnitentiæ Sacramentum eis conferebatur, & frequenter manus eis imponebantur extra Sacramentum Pœnitentiæ, quia id inter alios publicæ pœnitentiæ ritus obſeruabatur.

Idem cenſet Gabriel Albaſpineus Epiſcopus Aurelianenſis in notis ad prædictum Canonem Concilij Carthaginenſis, ſic enim ait (*In illo Canone agitur de peccatoribus, qui non modò peccatorum veniam, antequam præſtitutæ pænitentiæ tempus præcurriſſent, atque adeò tertium gradum attigiſſent; Verùm etiam, qui hoc cum ſingulari Epiſcopi beneficio affecti Euchariſtiam ſumpſerant: qui morbo poſt recreati relenatique, grauatè induci rebantur,*

tur, vt pœnitentiam proſequerentur: qui probro ſibi futurum ducerent, atque etiam laborioſum, vt quotidiè ſe ad terram proſternerent, palamque intuente populo, ac frequenti concurſu illas manuum impoſitiones ſubirent, viſum eſt igitur Patribus in eo Concilio, vt pœnitentes Sacro etiam nunc pabulo refecti, recuperata priſtina valetudine, non declinandas ſibi eſſe manus illas in tertio gradu impoſitiones.

Et Ferdinandus de Mendoza in Commentarijs ad Canones Concilij Illiberitani in Commentario Can. 3. ait, quod illa vocabatur legitima pœnitentia, quæ erat ſecundum Canones Pontificios, vt ex Pœnitentiali Romano Theodori, & Bedæ patet: ea verò pœnitentia legitima erat, quæ explebatur tempore conſtituto ab Epiſcopo, quamque ducebant pœnitentes, & cum domi, & in Eccleſia noctu, & interdiù perpetuis erumnis ſeſe exercerent, & lacrymis, fletibus & multis prætereà ſignis animi dolorem clam, & publicè teſtarentur. Illegitima verò dicebatur, quando pœnitentes languidius eam ſubirent, & parum dolerent de peccatis, quamuis præſcriptum tempus explerent. Hactenus Mendoza.

Hæc eadem priùs dixerat Cardinalis Bellarminus *de Pœnitentia lib. 1. cap. 15.* his verbis: *Quod autem in Concilio 4. Carthaginenſi Can. 78. dicitur, vt pœnitentes, qui ob vitæ periculum viaticum Euchariſtiæ accipiunt, non ſe exiſtiment abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint, non repugnat ijs, quæ diximus (ſcilicet, quod olim in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ Miniſter, dum pœnitentes reconciliaret, eiſdem manus imponeret.) Accipit enim Concilium manus impoſitionem pro ipſa Pœnitentiæ actione, in qua frequenter manus imponebantur: nam in eodem Concilio Can. 80. præſcribitur, vt ſingulis diebus ieiuniorum manus à Sacerdotibus pœnitentibus imponantur. Itaque hæc eſt Concilij illius ſententia. Qui ob vitæ periculum à Sacerdotibus abſoluuntur, nondum completa pœnitentiæ publicæ actione, ij, ſi ſuperuixerint, redeant ad ordinem pœnitentium, & cum illis manus impoſitionem ſuis temporibus percipiant, & niſi id fecerint, non ſe exiſtiment abſolutos à vinculo excommunicationis, vel à pœna temporali, quæ illis præſcripta à Sacerdotibus fuerat. Nam quod à culpa abſoluti fuerint, dubitari non poteſt, cum Viaticum Euchariſtiæ perceperunt, quod Eccleſia nunquam tribuit, niſi ijs, quos à culpa lethali liberos credit.* Hæc Bellarminus.

Quare duo requirebantur ad legitimam pœnitentiam, ſcilicet explere tempus conſtitutum ad pœnitentiam agendam, & hoc docent Garcias, & Vinnius, & vlterius alia illa, quibus pœnitentes diù verum animi dolorem teſtarentur. Hæc autem præſtari non poterant à pœnitente morte imminente: nàm etſi verus, & ſincerus dolor in eo eſſet, & ab eo oſtenderetur, quia tamen tunc, non tam longo tempore, vti præſcriptum erat, id oſtendere poterat, cum immineret mors, vndè ad legitimam pœnitentiam deficiebat tempus præſtitum, & diutinus dolor, ac fletus. Ideoque decernitur, vt ſi pœnitens ille conualeſceret, oſtenſis diutinis illis, neceſſarijs pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem

cum

cum reconciliatoria manus impoſitione perciperet. Quapropter legitima Communio ab eo pœnitente percipienda, ſi reualeſceret, ſupponebat, communionem illi in eo breui tempore, quo mors imminebat illegitimam, ex defectu prædictarum conditionum, quæ ob temporis anguſtias præſtari non poterant,& Communionis nomine iti eo caſu conceſſæ, intelligenda eſt Euchariſtia, & communicatio cum fidelibus, non verò abſolutio Sacramentalis. Nil ergò ex his Canonibus habetur, quod indicet dubitatum fuiſſe de efficacia abſolutionis Sacramentalis pœnitentibus illis in periculo mortis impenſæ.

Ex his pariter ſoluuntur, quæ obijcit P.Natalis ex Can.5.Concilij Epaunenſis. Nam in eo habetur. *Ne vllus ſine remedio, aut ſpe ab Eccleſia repellatur, neue vlli, ſi aut pænituerit, aut ſe correxerit, ad veniam redeundi, aditus obſtruatur; ſed ſi cui forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtituta tempora relaxentur. Quod ſi ægrotum accepto Viatico reualeſcere forſaſſe contingat, ſtatuti temporis ſpatia, obſeruare conuenit.*

Nam neque in his habetur, quod ſuſpicio, aut dubitatio interceſſerit de ſincera conuerſione pœnitentis, aut de abſolutionis ei impenſæ efficacia, ſed ſolùm decernitur, quod ſi ægrotus ille, qui viaticum accepit reualuerit, ſtatuti temporis ſpatia obſeruet, id eſt, proſequatur curſum pœnitentiarum, quas omnes in ſtatu pœnitentiæ manentes ſubibant, poſt quarum expletionem communicationi perfectæ cum cœteris fidelibus reddebantur.

Sed admittamus,dubitari poſſe de ſinceritate conuerſionis illorum, qui poſt totam vitam in peccatis peractam, veniam, & pœnitentiam in extremo expoſcunt. At hoc non probat, quod Eccleſia pœnitentibus illis abſolutionem aliquando negauerit, aut negare debuerit, & abſolutionis conceſſionem, eſſe debiti rigoris relaxationem. Nam quamuis dubitari poſſit de ſinceritate conuerſionis illorum, qui poſt totam vitam in peccatis peractam, in extremo dumtaxat vitæ veniam expoſcunt; quia tamen, nec de illorum indiſpoſitione conſtat, & putari poſſit, quod huiuſmodi pœnitentes, verè & ex corde doleant, vti verè, & ex corde dolere poſſunt, Eccleſia non debet eis abſolutionem Sacramentalem negare, cum non conſtet, eos verè indiſpoſitos eſſe, nec enim in eo caſu timeri poteſt recidiuitas, cum pœnitentes illi ſint morituri. Vndè abſolutionis denegatio, non eſſet rectæ diſciplinæ obſeruatio, ac proindè abſolutionis conceſſio, non eſt debiti rigoris relaxatio. Id autem oſtenditur ex illiſmet S. Auguſtini authoritatibus, quæ à præfatis Authoribus opponuntur.

Prima enim eſt ex *ſer.* 57. vbi Sanctus Doctor, ſic loquitur. *Parum eſt peccatorem pænitere, niſi pænitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina, vox pænitentis ſola non ſufficit. Nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, ſed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pænitentia, quia non poteſt denegari, ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolui. Quomodò enim agit pænitentiam*

tiam lapſus? Quomodò agit pænitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodò pænitentiam agere poſſit, qui nulla iam pro ſe opera ſatisfactoria operari poteſt? Et ideò pænitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt, Pænitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur.

Secunda quam ex Auguſtino obijciunt, eſt ex homilia 41. vbi ſic ait. *Qui egerit veraciter pænitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento, quo erat obſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & benè poſt pænitentiam vixerit, ſicut ante pænitentiam viuere debuit, poſt reconciliationem, quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, Regno Dei non priuabitur, à populo Diaboli ſeparabitur; Si quis autem poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere pænitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quia benè hinc exit. Non præſumo, non vos fallo, non præſumo. Fidelis benè viuens, ſecurus hinc exit. Agens pænitentiam, & reconciliatus, cum ſanus eſt, & poſteà benè viuens, ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Vndè ſecurus ſum, ſecurus ſum, & do ſecuritatem: Vndè non ſum ſecurus, pænitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Numquid dico, damnabitur, ſed nec dico liberabitur. Vis ergò à dubio liberari, age pænitentiam, dum ſanus es, & ſi ſic agis, dico tibi, quia ſecurus es, quia pænitentiam egiſti, eo tempore, quo peccare potuiſti, ſi vis agere pænitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Hæc Auguſtinus.

Authoritates tamen iſtæ retorquendæ ſunt contra opponentes. Non enim in eis habetur, quod Pœnitentia, ſeù Sacramentalis abſolutio deneganda ſit peccatoribus in extremo dumtaxat vitæ illā petentibus, ſed quod eis concedenda ſit, & ſi de illorum ſalute poſt conceſſam eis pœnitentiam non adſit ſecuritas. Nam in primo loco ex *ſerm.* 57. de tempore ſic habetur. *Datur quidem etiam in extremis pænitentia, quia non poteſt denegari, ſed Authores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolui.* Igitur Auguſtinus affirmat, Pœnitentiam in extremis poſitis non poſſe denegari. Si ergò Auguſtinus docet, pœnitentiam in extremis eam petentibus non poſſe denegari, dici non poteſt, pœnitentiam in extremis eam petentibus fuiſſe aliquando ab Eccleſia denegatam; quod enim non poteſt denegari, nefas eſt putare, ab Eccleſia fuiſſe aliquando denegatum. Solùm addit Auguſtinus, *ſed Authores eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit mereatur abſolui.* Vbi non dicit, quod in extremis pœnitentibus abſolutio ſit deneganda, ſed quod affirmare non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolui, id eſt diſpoſitus ſit, & habeat omnia requiſita ad recipiendum abſolutionem. Certum eſt autem non eſſe denegandam abſolutionem peccatori in extremo vitæ danti ſigna pœnitentiæ, etſi non poſſumus certò affirmare, quod ex corde doleat; nam nec certò poſſumus negare, quod ex corde doleat, ſed non propterea certò cenſere poſſumus, quod ille non ſit diſpoſitus, poteſt enim diſpoſitus eſſe, & id credere poſſumus, ſi id de ſe ipſo ille teſtetur. Et

Et idem dicendum ad alium Auguſtini locum ex homilia 41. nam etiam ibi non dicit, negandam eſſe pœnitentiam, ſed concedendam dicit, pœnitentiam, & abſolutionem, ei, qui poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ, eam voluerit accipere. Sic enim ait S. Doctor; *Si quis autem poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus; quia benè hinc exit.* Concedit igitur Auguſtinus, non negat pœnitentiam, & reconciliationem peccatoribus in extremo vitæ pœnitentibus, & ſi non præſumatur, quod benè de hac vita exeant.

At quoniam ad Auguſtinum prouocant, audiatur Auguſtinus *de Eccleſ. Dogm. cap.* 80. vbi contra Nouatianos hæc habet: *Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiamſi in vltimò vitæ ſpiritu admiſſorum pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur, quia propoſitum Dei, quo decreuit ſaluare, quod perierat, ſtat immobile, & ideò, quia voluntas eius non mutatur ſine emendatione vitæ, ſi tempus conceditur, ſine ſupplici confeſſione, ſi continuò vita exceditur, venia peccatorum fideliter præſumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & ſaluatus miſeratione Diuina viuat, ſi quis aliter de iuſtiſſima Dei pietate ſentit non Chriſtianus, ſed Nouatianus eſt.* Hæc Auguſtinus, in quibus expreſsè aſſerit etiam peccatores in extremo dumtaxat vitæ pœnitentes veniam, & ſalutem, conſequi poſſe, etiamſi ob temporis anguſtias premente morbo, & morte imminente patratorum criminum confeſſionem edere non poſſint. Vndè multò magis cenſet eoſdem peccatores veniam, & ſalutem conſequi poſſe, ſi permittente tempore admiſſorum, criminum confeſſionem peragant, ac proindè cenſet, eos abſoluendos eſſe. Nuſquam ergò Auguſtinus aſſerit peccatores, etſi grauiorum criminum reos, vel in extremo vitæ dumtaxat pœnitentes abſoluendos non eſſe. Quin cenſere illos non eſſe abſoluendos Nouatianum eſſe dicit. Affert autem loco citato Auguſtinus ea, quæ ex parte peccatoris requiruntur, & ſufficiunt, vt veniã à Deo obtineat, & admiſſa peccata aboleãtur, & ea dicit eſſe pœnitentiam, qua aboleri peccata indubitanter credit, etiamſi in vltimo vitæ ſpiritu admiſſorum pœniteat, & emendationem vitæ, ſi tempus conceditur, ſine ſupplici confeſſione, quæ non poſſit peragi, ſi continuò vita excedatur. Certum eſt autem, quod quando pœnitens in extremo mortis conſtitutus poteſt peccatorum ſuorum confeſſionem peragere, ad eam peragendam teneatur, idque non negat Auguſtinus, cum verò peccator in extremo vitæ conſtitutus ob temporis anguſtias non poteſt confeſſionem peragere, tenetur ad actum Contritionis cum voto Confeſsionis.

Sanctus etiam Ambroſius in Oratione funebri Valentin. ait, in fine, pœnitentiam agi poſſe; & veram eſſe poſſe pœnitentiam, his verbis. *Beatus planè, qui vel in ſenectute correxit errorem, Beatus, qui vel ſub ictu mortis*

tis animam conuertit à vitijs. Beati etiam, quorum tecta ſunt peccata, quia ſcriptum eſt, deſine à malo, & fac bonum, & habita in ſeculum ſaculi; Quicumque ergò deſierit à peccatis, & fuerit ad meliora in quacumque conuerſus ætate habet ſuperiorum indulgentiam peccatorum, quæ fuerit, vel pænitendi confeſſus affectu, vel corrigendi auerſatus ingenio, ſed huic cum plurimis veniæ Societas emerenda. Plurimi enim ſunt, qui ſe à peccatis, & lubrico iuuentutis in ſenectute reuocare potuerunt, rarus autem, qui in iuuentute graue iugum ſeria ſobrietate penſauerit.) Quem igitur Authores illi depoſitum, & deſperatum ab Eccleſia pronunciant, Ambroſius Beatum prædicat, & non vnum, aut alterum, ſed plurimos in fine vitæ veniam promeritos, quia peccata confeſſi ſunt affectu pœnitendi numerat.

Sed & S.Thomas in 4.*ſent.diſt.*20. *art.*1.*quæſtiunc.*1.quæſtionem mouet: *Vtrum aliquis in extremo vitæ ſuæ per pænitentiam conſequi poſſit veniam peccatorum*; & ſic reſpondet. *Dicendum ad primam quæſtionem, quod Deus, qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat, qui quicquid in ſe eſt facit, vt ſe ad gratiam præparet. Hæc autem præparatio fit per motum liberi arbitrij; Vndè quamdiù manet homini vſus liberi arbitrij in hac vita, in qua nondum eſt confirmatum ad malum, poteſt ſe præparare ad gratiam de peccatis dolendo, & gratiam remiſſionis peccatorum conſequendam.*

Reſpondet autem,& ipſe ad authoritatem Auguſtini ſuperiùs inductam ex homilia 41.quam, & Magiſter ſententiarum affert in textu, & ſic ait (*Auguſtinus in verbis illis oſtendit, quod pænitentia, quam aliquis in fine vitæ agit, non eſt certum ſignum ſalutis, non quod non poſſit eſſe etiam tunc efficax ad ſalutem, quod incertum eſt, quando aliquis de peccato, quod facere iam non poteſt, pænitet, vtrum voluntatem peccandi amiſerit, quod magis manifeſtum eſt de illo, qui peccare adhuc poteſt, ſi pæniteat, quod voluntatem mutauit: tamen etiam quando aliquis non poteſt vltra peccare, poteſt voluntatem mutare, vt nolit, quod priùs voluit, etiamſi poſſet.*

Soluitur obiectio ex authoritate Sancti Cypriani petita.

Afferunt pro ſe Aduerſarij, & authoritatem S. Cypriani in Epiſtola ad Antonianum,vbi Sanctus hæc habet. *Idcircò frater chariſſime pænitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis, & pacis ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pænitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum.*

Ex his conuincere putant Authores præfati ex ſententia S. Cypriani denegatam fuiſſe abſolutionem Sacramentalem ijs, qui eam in extremo vitæ dumtaxat poſtulaſſent. Sed falluntur: nam quamuis S. Cyprianus in ea Epiſtola totus ſit in impugnanda hæreſi Nouatiani, qui nec abſolutio-

nem Sacramentalem lapſis concedendam, nec eos in Societatem, & communicationem cum reliquis fidelibus admittendos dicebat, tamen in verbis laudatis S. Cyprianus non loquitur de abſolutione Sacramentali, hæc enim lapſis illis, etſi in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantibus negari non debuit, ne iacturæ ſalutis æternæ periculo exponerentur, nam licet non appareret, eos ex toto corde dolere, non tamen apparebat, eos non ex toto corde dolere, ſed poterant ex toto corde interius dolere, quamuis id exterius non appareret; Loquitur ergò S. Cyprianus de Sacra Euchariſtia, & de communicatione, ſeù de iure communicandi cum cœteris fidelibus, quod aliàs fidelibus pœnitentibus completa pœnitentia concedebatur; Vndè ait, illos prohibendos cenſuiſſe à ſpe communicationis, & pacis; Certum eſt autem nomine communicationis, & pacis ſignificari non poſſe abſolutionem Sacramentalem; hæc enim non dicitur communicatio, nec pax, Vndè per hoc præcluditur Aduerſarijs omnis via ad dicendum, quod ibi ſermo ſit de abſolutione Sacramentali, nam S. Cyprianus non vtitur voce Communionis, quæ iuxtà opinionem illorum Authorum exprimere poteſt abſolutionem Sacramentalem, quod tamen ſupra excluſimus; Sed vtitur voce Communicationis, per quam ſignificari nequit abſolutio. Igitur S. Cyprianus hoc pacto puniendos cenſuit, illos qui in extremo dumtaxat vitæ ad Eccleſiam recurrebant, vt videlicet eis non concederetur ante mortem ius ad communicandum cum cæteris fidelibus, quod eis ſolatium fuiſſet, nec pariter concederetur Euchariſtia. Nam quod S. Cyprianus cenſeat, adhuc in morte dumtaxat pœnitentibus veniam concedendam eſſe, certum eſt, & habemus de hoc egregium eius teſtimonium in ſermone de Cœna Domini; nam ibi ſic ait. *In eodem articulo temporis, cum iam anima feſtinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerſerit, pænitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur. Nec ſerò eſt quod verum, nec irremiſſibile quod voluntarium: Et quæcumque neceſſitas cogat ad pænitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (Si vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à venia, ſed in amplitudine ſinus ſui materna charitas prodigos ſuſcipit reuertentes, & velit, nolit Nouatianus Hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pænitentes. Ipſe Dominus noſter derelictorum perſonam gerens in cruce, ſe queritur derelictum, & ne deſperarent etiam in vltimis conſtituti, feſtinans in adiutorium illicò adeſt, & re in arcto poſita non differt beneficium, ſed repente indulgentiæ celers documentum eiſdem ſtatuit, & exemplum latroni inquiens; Hodiè mecum eris in Paradiſo. Latrocinium damnationem meruerat, & ſupplicium, ſed cor contritum pænam mutauit in martyrium, & ſanguinem in Baptiſmum. In momento impietas religionem, crudelitas induit pietatem, & ſtat in conſummatus, Ciuis Sanctorum, & Domeſticus Dei, premiſſus eſt in regnum: reconciliationis humanæ priuile-*

uilegium ſecum ferens ad ſuperos, quod Deo Patri tantæ legationis fungens honore in ſe ipſo ſcripturæ huius experimentum continens, libero, & ſecuro aditu penetrans præſentauit.

Dicimus autem, Communicationis, & pacis nomine intelligi non poſſe abſolutionem Sacramentalem, nam admittimus, vt diximus ſupra, pacis nomine intelligi poſſe abſolutionem Eccleſiaſticam, & pro foro externo; Sed hoc tantùm probat, Sanctum Cyprianum in verbis illis denegandam velle lapſis in extremo dumtaxat vitæ veniam flagitantibus abſolutionem Eccleſiaſticam, & pro foro externo, non verò probat, eiſdem negandam velle abſolutionem Sacramentalem. Et quamuis, vt ſupra diximus, Cum S. Cyprianus, vt ſaluti Lapſorum in exitu conſuleretur, vult eis concedendam eſſe abſolutionem Eccleſiaſticam, multò magis cenſendum eſt, eum velle, vt eis concedatur abſolutio Sacramentalis, nam ſine illa eorum ſalus periclitaretur, non enim ad ſalutem ſufficeret abſolutio illa Eccleſiaſtica, & pro foro externo, non tamen dici poteſt, quod cum Cyprianus vult lapſis in extremo dumtaxat vitæ veniam flagitantibus, abſolutionem Eccleſiaſticam negandam eſſe, velit etiam negandam eſſe abſolutionem Sacramentalem; Eccleſiaſtica enim abſolutio denegari potuit, ſine periculo ſalutis illorum, ad coercendos alios à lapſu. Abſolutio verò Sacramentalis, abſque periculo iacturæ ſalutis æternæ negari non potuit.

Obiectio ex Concilio Illiberitano, & eius ſolutio.

Confutati à nobis Authores, vt probent, Innocentium I. cum in Epiſtola ad Exuperium ait, priorem Eccleſiæ conſuetudinem tenuiſſe, vt lapſis in extremo dumtaxat vitæ veniam petentibus, concederetur pœnitentia, & negaretur Communio, negatæ Communionis nomine Pœnitentiæ Sacramentum, ſeù abſolutionem Sacramentalem intellexiſſe, inquiunt, Innocentium in laudatis verbis, ad tempus Illiberitani Concilij alluſiſſe. Quod in eo Concilio per plures Canones habeatur, aliquorum grauiorum criminum reis, nec in fine concedendam eſſe Communionem. Nam *Can.* 1. de his, qui poſt Baptiſmum Idolis ſacrificabant, dicitur. *Placuit, vt quicumque poſt fidem Baptiſmi ſalutaris, adulta ætate ad templum Idoli idolatraturus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen capitale, nec in finem eum ad Communionem ſuſcipere.* Et *Can.* 2. *de Sacerdotibus gentium*, qui poſt Baptiſmum immolauerant, dicitur. *Flamines, qui poſt fidem lauacri, & regenerationis ſacrificauerint, eo quod geminauerint ſcelera, accedente homicidio, vel triplicauerint facinus cohærente mæchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.*

Idem *Can.* 3. ſtatuitur de ijſdem, ſi Idolis ſacrum munus dederint. Idem *Can.* 6. de eo, qui per malitiam hominem interfecerit. Idem in alijs criminibus decernitur *Can.* 8. 12. 13. 17. 18. 63. 64. 65. 70. 71. 73. & 75. Certum eſt autem, aiunt Authores præfati, in his Canonibus, Commu-

nionis in fine denegatæ nomine, Pœnitentiæ Sacramentum, ſeù Sacramentalem abſolutionem intelligi, ac proindè Innocentium quoque dicentem, priorem conſuetudinem tenuiſſe, vt lapſis, ſeù grauiorum criminum reis in extremo vitæ veniam flagitantibus communio negaretur, cum ad Illiberitani Concilij tempus alludat, Communionis denegatæ nomine Sacramentum Pœnitentiæ, ſeù Sacramentalem abſolutionem intellexiſſe.

Difficultas hæc ſoluenda non eſt uxta opinionem, quam de Concilio Illiberitano tenuit aliquando Cardinalis Baronius, quam expreſſit *Tom.* 1. Annalium Eccleſiaſticorum ad annum Chriſti Domini 57. vbi ait *Concilium Illiberitanum in multis eſſe irritum, pleraque in eo eſſe, quæ ſinceris Eccleſiæ dogmatibus aduerſari videantur, inter quæ,* ſubdit, *eſt illud, quod eis, qui capitalia quædam crimina perpetraſſent, nec in fine Communio concederetur. Id enim ſapere videtur hæreſim Nouatianorum. Quare propter hæc, & aliud de Sacris Imaginibus in parietibus Eccleſiæ non pingendis ab eodē Concilio ſtatutum* concludit, quod in his Concilium Illiberitanum, nullam obtinuerit firmitatem. Additque Pacianum, & ipſum Hiſpanum patria Barchinonenſem, qui eo vixit ſæculo, & aduerſus Nouatianos, ſuis Commentarijs eruditiſſimis de his plura diſſerit, nullam prorſus Illiberitani Concilij mentionem habuiſſe. Quin, & Canonum antiquiſſimos Collectores Ferdinandum Diaconum, Dionyſium cognomento exiguum, & Creſconium, qui egregiam nauauit operam, vt omnes tàm Græcos, quàm Latinos Canones colligeret, Concilij Illiberitani Canonum, nec nomine tenus, meminiſſe. Idem affirmat Cardinalis Bellarminus in *controu. de Imaginibus libr. 2. cap. 9.* in quiens, quod Concilium Illiberitanum XIX. Epiſcoporum, Prouinciale fuerit, & minimè confirmatum, vltra errorem, in decreto de Imaginibus in Eccleſijs non pingendis, in alijs etiam decretis videtur erraſſe, præſertim cum in pluribus caſibus, nec in articulo quidem mortis velit abſolui pœnitentem.

Iuxtà opinionem hanc, ſoluenda non eſt, vt dicebamus, præſens difficultas; nam opinionem iſtam de Illiberitano Concilio falſam omninò eſſe, & Illiberitanum Concilium verè Illiberis habitum fuiſſe, & in ſuis decretis rectè proceſſiſſe certum eſt, vt ex Authoribus infrà laudandis conſtabit. Sed & Baronius ipſe *tom.* 2. *Annalium*, ad Annum 305. retractauit, quæ *tom.* 1. de Illiberitano Concilio priùs dixerat, fateturque, ſe de Concilio iſto paulò liberius loquutum fuiſſe. Idemque Concilium quoad decretum de Communione lapſis in extremo vitæ deneganda, ex Innocentij Pontificis ad Exuperium epiſtola, eam fuiſſe priorem Eccleſiæ conſuetudinem teſtantis, ab errore vindicari ait; ita vt nemò Illiberitanum Concilium accuſare præſumat. Quia tamen Baronius, & Bellarminus Communionis lapſis in extremo vitæ denegatæ nomine, intelligendam eſſe ſupponunt abſolutionem Sacramentalem, tàm apud Concilium Illiberitanum, quàm apud Innocentium in epiſtola ad Exuperium; vt veritas eluceſcat,

& in-

& intelligentia hæc vti ſpuria, & omninò abſurda excludatur, obiectio propoſita ſoluenda erit ex his, quæ tres Authores eximij in eadem re afferunt. Hi ſunt Baſilius Poncius Theologus celebris Auguſtinianus Parte prima variarum Reſolutionum Quæſtione ſecunda, Ferdinandus de Mendoza in vindicijs Concilij Illiberitani *lib. 2. cap.6.* Ioannes Fileſacus in Commentario de Sacra Epiſcoporum authoritate, ſeù ad *tit. de offic. Iudic. Ord. cap. 11. §. 3.*

Libet autem horum Authorum præſertim verò Baſilij verba hic afferre, nam veritatem apprimè attingunt, ac difficultatem egregiè ſoluunt.

Igitur Baſilius *loco cit.* ſic ait (*In eo ergo Concilio* (*Illiberitano*) *quod nonnulli Viri Catholici, minus, quàm par erat, conſideratè loquentes, vt Hæreticum reiecerunt, cum tamen eius authoritatem ſuſcipere deberent: nonnulla præcipiuntur illis Eccleſiæ temporibus iuſtiſſimè ſtatuta, quæ nunc rebus aliud exigentibus, à Chriſtianæ Reipublicæ moribus eliminata ſunt. Multis Canonibus ſtatuit, etiam in fine Communionem eſſe denegandam. Can. 1. Placuit, qui poſt fidem Baptiſmi ſalutaris, adulta ætate templum idolatraturus acceſſerit, & fecerit quod eſt crimen principale, quia eſt ſummum ſcelus, placuit nec in fine eum accipere communionem. Eam repetit pænam Can. 2. 3. 6. 7. 8. 10. 12. 13. & alijs multis, quos referre non vacat; Scio exiſtimaſſe quoſdam* (*hoc eſt enim contra Concilium iſtud vnum accuſationum caput*) *Canones iſtos fauere Nouatianorum errori pænitentiam nonnullis propter priora ſcelera deneganti: Audio ſanè accuſationem, ſed quas vires habeat; non agnoſco. Fateor, velle Concilium, vt nec in fine detur Communio: Vt verò non abſoluantur pænitentes, etiam in extremæ neceſſitatis articulo velle Concilium, non video, neque olfacio quidem. Nam cum Communionis nomine, & pænitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta poſſint intelligi, immò hoc intelligatur frequentius, & in eo ſenſu ſana ſit huius Concilij mens, atque ſententia: cur in peiorem ſenſum interpretabimur? præſertim cum nullibi in iſto Concilio pænitentia denegetur: Nam Can. 22. Catholicis in hæreſim tranſeuntibus, ſi reuertantur pænitentiam ſtatuit non eſſe denegandam, contra antiquum errorem Nouatiani, qui vel impietate, vel crudelitate ſingulari, ſemel lapſis, & ad Eccleſiam iterum lacbrymis, fletu, eiulatu, gemitu, & ingenti dolore pulſantibus, Diuinæ bonitatis, & pietatis paternæ, atque ſubſidia volebat intercludi, Quid? Idem Concilium ſuam nobis mentem explicauit; ne vocis multiplici ſignificatione fallamur. Nam Can. 47. appellat Communionem pacis, ſiuè panis; Et Can. 76. Communionem Dominicam, vt iam de Euchariſtia Concilium loqui nullus Catholicus deinceps poſſit dubitare. At Baronius. Iniuſtum eſt, inquit, perpetua Communione priuare pænitentes, ſed hoc telum facilè vitabimus, cum ipſe Baronius tom. 2. Annalium Eccleſiaſticorum priorem de hac re ſententiam Auguſtini exemplo retractauerit, & huius pænæ ſeueritatem priſcis Eccleſiæ moribus conſentaneam agnouerit: Id enim ab Vniuerſali Eccleſia perſecutionum tempore diù obſeruatum fuiſſe docet* Innocentius I. *Epiſt. 3. decret. cap. 2.*

(*Ne*

(*Ne inquit, facilitas reconciliationis, & Communionis homines à lapſu non deterreret* (*Vndè Damaſus in quodam decrito falſos Clericorum accuſatores etiam in fine à communione remouit* . *Eademque ratione Siricius Papa in Epiſt. ad Hincmarum Tarraconenſem Epiſcopum cap.* 3. *Apoſtatis à fide in extrema neceſſitate negat communionem* , *& ſolum peracta pænitentia abſolutionem, & reconciliationem concedit* . *Et Concilium Colonienſe ſub Carolo III. Can.* 6. *renouauit Canonem huius Concilij* 13. *in quo negatur Communio in extremis* . *Adrianus in ſuis decretis Can.* 60. *in ſui defenſionem aduocat Canonem* 75. *huius Concilij, in quo falſis accuſatoribus etiam in extrema neceſſitate conſtitutis Communio prorſus denegatur* . *In Concilio quoque Sardicenſi, quod generale fuit, cuique præfuit Oſius Cordubenſis, qui huic Illiberitano interfuerat Can.* 2. *p cla a ſententia in Epiſcopos, qui ſimulatis litteris, quibus in aliam Eccleſiam vocarentur, Sedem mutarent, vt tandem in exitu laica Communione priuarentur, adiecit* (*Si Vobis omnibus placet, Statuite; Et Synodus reſpondit, Placet*) *Eamdem pænam, vel medicina potius ſanxit Concilium Moguntinum ſub Amulpho, & aliud Moguntinum ſub Rabano Mauro, & ipſe Rabanus Maurus Archiepiſcopus in ſuo pænitentium libro cap.* 4. *Eamdem Apoſtatis pænam impoſuit Concilium Arelatenſe I. Canone* 23. *& Sueſſionenſe apud Sanctum Medardum tempore Regis Caroli, renouans Canonem* 75. *huius Concilij*. *In Hiſpania autem perpetuam hanc Sacræ Communionis priuationem multò poſt adhuc ob leuiora delicta in vſu fuiſſe conſtat ex Concilio Ilerdenſi, ad cuius finem refert Laurentius Surius ex quinque vetuſtis Codicibus* (*Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi relicta, ſi moriturum acceperint, in fine non communicet*) *Concilium Toletanum* 11. *Can.* 11. (*Iam verò, ait quicumque de fidelium, ſiuè infidelium numero Corpus Domini abſque ineuitabili infirmitate proiecerit, ſi fidelis eſt, perpetua Communione priuetur*) *Imponitur quoque eadem pæna in Concilio Toletano* 16. *Can.* 3. *Et eamdem pænam impoſuit antea Concilium Cæſarauguſtanum* 1. *Can.* 3. *&* 4. *Itaque perpetua Sacræ Communionis priuatio ab hoc primùm Concilio profecta, repetita paulò poſt Sardicenſi, Colonienſi, Vvormacienſi, Moguntino, Sueſſionenſi, Cæſarauguſtano, Illerdenſi, Toletanis, ac tandem à Pontificibus Adriano, Innocentio, atque Siricio, & Damaſo confirmata eſt; Quod genus ſeueritatis antiquæ, etas hæc noſtra non retinuit ſolùm, ſed addito multo maiore rigore auxit. Nam Indos ad fidem recens conuerſos, etiam nullo crimine admiſſo, & viuos, & morientes à pacis communione repellit. Idque adeò receptum eſſe teſtatur Ioſephus Acoſta libro ſexto de procuranda Indorum ſalute, vt ſi contra fieri contingeret, non leue ſcandalum omnes iudicarent. Quod quamuis Concilio Limenſi conſtitut.* 58. *reuocatum ſit, attamen multorum anteà annorum decurſu inueteratus Eccleſiarum Indicarum mos, qua diximus ſeueritate retinuit. Conueniens itaque fuit priſcis illis Eccleſiæ temporibus huius pœna ſeueræ nimis conſtitutio. Eius tamen rigorem procedente paulatim tempore, Vires accipiente Eccleſia, Fide propagata, in Chriſticolarum armis firmiſſimos*

mos iaciente radices Catholicorum moribus eam vitæ ſeueritatem, & conſtrictionem non ferentibus, & vſus, & indulgentiſsimi Patres curarunt emollire, ſyncere namque pœnitentibus non eſſe denegandum viæ Viaticum, etiam non peracta pœnitentia ſi mortis periculum ſuperuenerit, ſtatuit Ancyritana Synodus Canone ſexto, Nicæna prima Canone duodecimo, Aurelianenſis ſecunda Canone duodecimo in hæc verba. (De his, qui in pœnitentia poſiti vita exceſſerunt, placuit nullum Communione vacuum debere dimitti.) Hactenus Baſilius.

Ferdinandus de Mendoza *loc. cit.* ſic loquitur. *Præſtat manuſcriptorum lectio ſine præpoſitione. Nec in fine eum Communionem ſuſcipere; Hoc vno inter alia ſeueritatis exemplo permotus aliquando Cæſar Baronius de authoritate huius Concilij nonnihil voluit detrahere exiſtimans hæreſim Nouatiani ſapere in extremo conſtitutis Euchariſtiæ Sacramentum denegare, cum Chriſtus promiſerit peccatori, quacumque hora ingemuerit exaudiendum. Hoc ipſum Concilio impoſuerunt alij, &c. Eccleſia igitur Hiſpanica, S. Romanæ auctoritate ſuffulta, & Diuini Numinis gratia (vt veriſimile eſt) illuſtrata, nunquam deſpexit lapſorum ſalutem, non deſperauit medicinam morientium, nec reſipiſcentibus adhuc in vita aditum interclusit ad veniam: cum lapſos viuentes Communione ſacra, & Eccleſiaſtica poſt tempus morientes æterna fælicitate, & frui, & lætari, pietate materna, materna benignitate, & auita teneritudine ſemper, & voluerit, & optauit, & latis multis ſanctionibus oſtenderit, ſed cum his mollire quorumdam impiorum duritiem nequiſset, grauiſsima, & Cenſoris, & Iudicis aſſumpta ſeueritate, inuiſa quodammodo ea, vel perfringere aliquando curauit: & efficere tandem, vt quos inſtituta Maiorum per Sanctorum Patrum exempla, quos ſpontanea fidei profeſsio, quos dulce Chriſti iugum intra Eccleſiam continere non potuit contineant tandem grauiſsimæ Petri Claues, & amplius Pauli gladius, acriores in terra, cæleſtis, & Diuinæ Iuſtitiæ vindices; quorum vel ſola auditione à tam nefario ſcelere, vel impiiſsimi poſſent deterreri. Proponat enim non temporalem, aut certis annorum terminis circumſcriptam, ſed perpetuam Sacræ Communionis interdictionem Apoſtatis à Fide. Quod ſanè ſupplicium in primitiuæ Eccleſiæ incunabulis non vtiliſsimum modo, ſed prope neceſſarium ad cohibendam peccatorum licentiam eſt habitum, cum vt ipſi de manſuetudine Eccleſiæ confiſi, à recto Religionis tramite longiùs aberrare extimeſcerent, tum vt aliorum audacia, qui ab Orthodoxa Fide vellent diſcedere, horum exemplo, & ſupplicij grauitate reprimerentur.* Ad hæc autem affert Innocentium in Epiſtola ad Exuperium, Adrianum, & alia Concilia à Baſilio allata, & mox ſubdit. *In Hiſpania* autem perpetuam hanc Sacræ Communionis priuationem multò poſt in Eccleſiæ vſu fuiſſe ob leuiora adhuc delicta ex Concilio Illerdenſi conſtat. *Epiſcopi* (ait) *Presbyteri, Diaconi relicta, ſi moriturum acceperit, in fine non communicet*; & ad idem affert Concilium Toletanum, Cæſarauguſtanum, Sardicenſe, Colonienſe, Moguntinum, Vvormatienſe, Sueſsionenſe, Cæſarauguſtanum, Illerdenſe, & Toletanum; & eadem etiam affert, quæ

de negata Indis Euchariſtia affert Meloza, & addit. *Hodie autem antiquæ huius ſeueritatis veſtigium retinet grauiſsimus, & ſanctus tuendæ aduerſus hæreſes religionis noſter Senatus: relapſis in hæreſim, etſi pœnitentibus, in exitu denegat Communionem; abſolutionem verò Sacramentalem, nec his, nec reliquis ob grauiſsima crimina negarunt vnquam Hiſpani Epiſcopi: Euchariſtia enim tantùm Communionem ad retinendos homines in religione, & officio denegant, Communionis nomine Euchariſtiam intelligentes, &c.*

Fileſacus verò hæc habet. *Vetus Eccleſia ſeuerior multò, vt quæ nonnullis, etiam in extremo illo vitæ actu indulgentiam quidem concederet, at Sacrum Viaticum, ſeu Corpus Chriſti, omnis indulgentiæ, & miſericordiæ pignus, denegaret. Concilium Eliberitanum c. 1. 2. 3. 6. & alijs, vetat Communionem Sacram dari Chriſtianis quibuſdam ob enormia quædam delicta. Concilium Sardicenſe cap. 2. Epiſcopo qui ſedem per ambitionem mutauerit, Communio etiam in fine negatur. Non multis poſt annis de ſeueritate illa plurimùm remiſit Eccleſia, ac de rigida illa obſeruatione antiquæ Eccleſiæ ſic diſſerit Innocentius I. P. P. Epiſtola 3. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum cap. 2. vbi quod de vno profert, locum etiam in ſimilibus habere certum eſt. Cum, inquit, illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne Communionis conceſſa facilitas, homines de reconciliatione ſecuros non reuocaret à lapſu negata meritò Communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſsionem faceret temporis ratio, ſed poſtquam Dominus Noſter pacem Eccleſijs ſuis reddidit, iam depulſo terrore, Communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi Viaticum profecturis, ne Nouatiani hæretici negantis veniam, aſperitatem, & duritiem ſubſequi videamur.* Hactenus Fileſacus.

Ex his ergo habetur, Concilium Illiberitanum, Communionis dictorum criminum reis in fine denegatæ nomine, non intellexiſſe abſolutionem Sacramentalem, vt præfati recentiores Authores comminiſcuntur, ſed eo nomine intellexiſſe ipſam Euchariſtiam, eiuſque perceptionem, perſpicuum relinquitur.

Id autem ex eo etiam conuinci addimus, quod pœna illa non concedendi ægrotis in fine vitæ Communionem in eiſdem Canonibus decernitur pro reis etiam non adeo grauium culparum. Nam Can. 75. de Delatoribus dicitur (*Delator ſi quis extiterit fidelis, & per delationem eius aliquis fuerit proſcriptus, vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere Communionem*) Et Can. 11. idem ſtatuitur de mulieribus quæ lenocinium fecerunt. Idem ſtatuitur Can. 14. de falſis teſtibus. Hæc enim crimina, & ſi grauia ſint non tamen ſunt grauiſſima. Putandum autem non eſt, quod in reos minorum criminum, vt pro lenocinio, aut delatione, propter quam aliquis tantum proſcriptus fuiſſet, aut pro falſitate, pœna grauiſſima, qualis fuiſſet priuatio Sacramentalis abſolutionis in fine vitæ Concilium ſtatuere voluerit. Igitur Communionis in fine vitæ denegatæ nomine intelligi non poteſt abſolutio Sacramentalis.

Idem argumentum pro vera ſententia fieri poteſt ex his, quæ habentur

tür in aliquibus alijs Concilijs, vt etiam Baſilius Pontius, obſeruauit. Nam Canone primo Concilij Sardicenſis celebrati ſub Iulio Primo Papa de Epiſcopis, qui Ciuitatem mutauerint. Statuitur quod *ſi Epiſcopi de maiori Ciuitate ad minorem tranſierint, cum appareat auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſeruire, & vt dominationem agant, huiuſmodi pernicies ſæuius, & auſterius vindicetur*, & ideò ſtatuitur, *vt nec laicam Communionem habeat, qui talis eſt*. Et in Canone ſecundo de eiſdem Epiſcopis additur. *Etiamſi talis aliquisextiterit temerarius, vt fortaſſis talem excuſationem afferens aſſereret, quod à populis literas acceperit, cum manifeſtum ſit potuiſſe plures præmio, & mercede corrumpi eos, qui ſinceram fidem non habent, vt clamarent in Eccleſia, & ipſum petere viderentur Epiſcopum: omnino has fraudes damnandas eſſe: ita vt nec laicam in fine Communionem talis accipiat*. Non poteſt autem putari, quod Concilium ob ſolum illum reatum, quod Epiſcopi Ciuitatem mutaſſent, etiamſi ex auaritia, aut ex ambitione, id egiſſent, Sacramento Pœnitentiæ, & abſolutione Sacramentali, eos in fine vitæ priuare voluerit, nam neque id crimen eſt de grauioribus. Iuxta opinionem autem recentiorum illorum Authorum, in quos ſcribimus hac pœna mulctati fuiſſent prędicti Epiſcopi, ſi Communionis in fine denegatæ nomine, intelligenda eſſet abſolutio Sacramentalis.

Animaduertendum eſt autem, quod in vtroque laudato Canone Concilij Sardicenſis decernitur, vt Epiſcopi, qui Ciuitatem mutaſſent, nec laicam Communionem in fine acciperent, vbi particula illa negatiua, *Nec*, implicatiua eſt cuiuſcumq; alterius Communionis, ita vt ſenſus ſit, Epiſcopos illos nullam Communionem debere accipere nec etiam minimam, quæ erat laica.

Condiſtinguebatur autem Communio laica à Communione clericali ſeu Eccleſiaſtica, ſed harum nullam importaſſe abſolutionem Sacramentalem affirmant Authores, qui de hac re ſcripſerunt, Summorum Pontificum, & Conciliorum perpenſis authoritatibus. Nam Baronius, Pamelius, & Durantius, Communionem laicam fuiſſe dicunt, quæ more laicorum, extra Cancellos, & ſepta Altaris accipiebatur: aut quod Laici ſub altera tantùm ſpecie communicarent. Hæc autem poſterior opinio probatur etiam Bellarmino de Sacramento Euchariſtiæ *lib*. 4. *cap*. 4. vbi ait. Communionem laicam fuiſſe, quæ ſub ſola ſpecie panis Laicis concedebatur, & eadem dicebatur etiam peregrina in Concilio Agathenſi Can. 2. & 5. ex eo fortaſſe, quod olim mitteretur Peregrinis aduentantibus in ſignum Communionis, & pacis. Vnde Communio Clericalis dicebatur, quæ ſub vtraque ſpecie concedebatur, & hæc ſolis Clericis, & Eccleſiaſticis competebat. Communio autem laica, in pœnam grauis alicuius delicti olim dabatur Clericis, inquit Bellarminus, ablata ab eis Communione Clericali: Vnde Fœlix Papa III. in Epiſt. 1 c. 11. iubet ob delicta quædam Clericis non dari niſi in morte Communionem laicam, & Concilium Sardicenſe Can. 2. ne in morte quidem laicam Communio-

rem Epiſcopis, ob præfata delicta, dari vult.

Aduerſus hanc expoſitionem plura obijcit Gabriel Albaſpineus Epiſcopus Aurelianenſis in ſuis obſeruationibus Eccleſiaſticis lib. 1. obſeruat. 4. quæ tamen facile ſoluuntur ex his, quæ Bellarminus affert loc. cit. Ipſe autem Albaſpineus in fine eiuſdem obſeruationis, ſtatuit Communionem laicam, nil aliud eſſe, quam ius communicandi cum cæteris fidelibus more laicorum, & laicum participem eſſe Societatis Chriſtianorum, non vt Clericum. Subdit tamen, ſe non diffiteri, eum qui communicabat laicè, accepiſse Euchariſtiam more laicorum aut extra ſepta Altaris, aut ſub vna aut ſub vtraq; ſpecie, prout vſus Eccleſiæ obtinebat, cum enim Communio Euchariſtiæ præcipua eſſet pars Societatis Chriſtianorum, oportuit, eum, qui eſſet inter laicos, eam ſumpſiſſe more Laicorum, quando eſſet laicus; Quoniam verò Communio præter Euchariſtiam multa alia complectebatur, aſserit eum, qui in Societate Eccleſiæ communicabat vt laicus, multis etiam alijs rebus præterquam Euchariſtiæ communicaſſe.

Quidquid autem horum dicatur aduerſatur aſſerentibus abſolutionem Sacramentalem grauiorum criminum reis in extremo vitæ pœnitentibus denegatam olim fuiſſe; nam in eo Authores præfati conueniunt, quod Communionis denegatæ nomine in Concilijs non intelligatur abſolutio Sacramentalis, fuit ergo fundamentum aſſerentium, abſolutionem Sacramentalem reis illis denegatam fuiſſe, eo quod Innocentius I. dicat Communionem denegatam fuiſſe; cum enim Innocentius, vt ipſi etiam Aduerſarij volunt alludat ad tempus Cõcilij Illiberitani, in quo aliquorum criminum reis in extremo vitæ dicitur denegata Communio, & apud Concilium Illiberitanum Communionis denegatæ nomine non intelligatur abſolutio Sacramentalis, nec Innocentium, cum dicit reis illis denegatam fuiſſe Communionem in extremo vitæ, Communionis nomine abſolutionem Sacramentalem intellexiſſe, euidens eſt.

Sed peremptorium de hac re iudicium profertur à Concilio Tridentino antiquitatis arbitro, Veritatis Magiſtro, Traditionum certo Iudice, & iuſto omnium Præceptore. En Concilij Tridentini pro hac re iudicium, & ſententia, ſeſſione quartadecima de Pœnitentia cap. 7. *Verumtamen piè admodùm, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pænitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſint*, Igitur Concilium Tridentinum ſemper in Eccleſia Dei cuſtoditum fuiſſe dicit, vt nulli criminum, aut cenſurarum caſus reſeruarentur in articulo mortis, ne peccator reſeruatæ abſolutionis occaſione pereat; ſed quilibet Sacerdos (dummodò non ſit ab Eccleſia præciſus, vt diximus quæſtione præcedenti) poteſt quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere; Igitur nec primis ſæculis crimen aliquod fuit, à quo illius reus non abſolueretur, ac proinde nullo vnquam tempore Eccleſia

veniam

veniam, & abſolutionem vlli pœnitenti denegauit, & conſequenter nec eam denegauit pœnitentibus in articulo mortis, ſupponitur enim peccatores illos, qui veniam in extremo vitæ poſtulaſſent, ſigna veri doloris, ac ſufficientis diſpoſitionis oſtendiſſe; nam ſi hæc non oſtendiſſent, eos fuiſſe indiſpoſitos certum eſt, ac proinde non debuiſſe abſolui, ſicut nec modò abſoluendi ſunt, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ non diſpoſitos ſe oſtendunt.

De hac re videri poteſt etiam Ioannes Bagotius Societatis IESV, Theologus in opere *De Pœnitentia, lib. 2. diſſert. 2.* vbi per plura capita oſtendit, nunquam ab Eccleſia in extremo vitæ pœnitentibus abſolutionem Sacramentalem denegatam fuiſſe.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum abſolutio Sacramentalis Confitentibus ante, vel poſt peractam pœnitentiam Sacramentalem impendi debeat; Quiduè hac in re primis duodecim ſæculis in Eccleſia Dei ſeruatum fuerit.

Errores, & ſententiæ.

NON peracta pœnitentia Confitentes abſolui non debere, dixit Petrus de Oſma, vt habetur in Conſtitutione Sixti IV. *Licet ea*; Marcus Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis in Opere, quod inſcripſit, de Republica Eccleſiaſtica *par. 2. lib. 1. cap. 17.* nullum Pœnitentiæ Sacramentum in Eccleſia admittit, ſed ſolùm in ea dari dicit, pœnitentiæ publicæ iam impoſitæ relaxationem, quam ait ad Eccleſiæ claues pertinere. Et *nu. 46.* de pœnitentia, ſeù ſatisfactione, ait, *eam pœnitentiam fieri pro culpa potiſſimũ, & non pro ſola pœna; Satisfactionem autem eſſe ipſammet externam Eccleſiaſticam pœnitentiam, ad quam reducitur peccator per Eccleſiam, dum per claues ligatur, & pœnitentiali excommunicationi ſubijcitur, vt ſatisfactio,* inquit, *ſemper neceſſariò præcedat abſolutionem, & fiat in gratiam abſolutionis obtinendæ, ſicut ligamen Eccleſiaſticum præcedit Eccleſiaſticam ſolutionem.* Et ad hoc aliquos Sanctos Patres trahere conatur.

Et *num.* 57. vbi plures blaſphemias in Eccleſiam, eiuſque Sacramenta euomit, ait, *Eccleſiaſticam pœnitentiam apud Papatum, eiuſque Miniſtros transformatam eſſe, ac deformatam. Eamque deformationem in his conſiſtere. Primùm, quod pœnitentiam faciamus Sacramentum. Secundum, quod pœnitentiam externam, præſertim, quoad confeſſionem auricularem omninò neceſſariam eſſe velimus, vel ſaltem in voto. Tertium, quod ſatisfactionem præpoſterè abſolutioni poſtponamus. Quartum, quòd abſolutioni verbali nimiam tribuamus poteſtatem. Quintum demum, quòd tollamus penitus, & aboleamus veram pœnitentiam, & conſequenter remiſſionem peccatorum per claues iam ampliùs non habeamus*. Et *num.* 80. ait, *quòd ſatisfactio pœnitentialis in Eccleſiaſtica pœnitentia externa præcedere debeat ſemper abſolutionem, ſeù reconciliationem, exceptis moribundis.*

At verò Catholici aliqui recentiores, etſi non negent, ad valorem Sacramenti minimè requiri, vt abſolutio Sacramentalis Confitenti poſt peractam ſatisfactionem impendatur, aſſerunt tamen, ſummoperè expedire, vt abſolutio Sacramentalis non impendatur pœnitenti, niſi poſt peractam ſatisfactionem, vt nimirùm per hoc pœnitens magis probetur, eiuſque vera conuerſio deprehendatur, ſimulque ad verum, & ſincerum de peccatis dolorem eliciat, & ſic ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ per Sacramentalem abſolutionem obtinendam ritè diſponatur, & indè ad Sacram Communionem, velut ad peccatorum remiſſionis conſummationem, & cumulum.

Ita planè Antonius Arnaldus in libro de frequenti Communione *par.* 2. *cap.* 8. nam plurimis Pontificum, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum auctoritatibus ad hoc allatis, certò conſtare affirmat, quod in Eccleſia per duodecim ſæcula pœnitentiæ ille decurſus fuerit. Primùm videlicet, Confeſſio peccatorum, pœnitentiæque poſtulatio: Deindè impoſitio pœnitentiæ. Poſteà impoſitæ pœnitentiæ expletio: Ad extremum abſolutio, adiunctaque illi Communio.

Concinit Aegydius Gabrielis in Opuſculo, cui titulum dedit, Specimina moralia, nam ibi *par.* 2. Moralis tutioris §. 35. ſic ait, *Sicuti rectè colligitur modus nutritionis ſpiritualis per comparationem, ad modum nutritionis corporalis, ita rectè colligitur menſura ſanationis ſpiritualis, ex praxi ſanationis corporalis. In hac autem ſanatione, Prima aduocatur Medicus, Secundò vulnus, aut morbus ei aperitur. Tertiò remedium ab ipſo ordinatum aſſumitur. Quartò non proditur in publicum, nec priſtinæ functiones exercentur, niſi ſanitate in integrum reſtituta, & habito deſuper iudicio Medici; Similiter Sancti Patres ordinem in ſanatione ſpirituali peccatorum præſertim grauiorum, aut inueteratorum regulariter obſeruarunt, & per certos Canones dictos pœnitentiales obſeruari curarunt, ſuis reſpectiuè in locis, ſucceſſiuè per duodecim ſæcula, vt primò peccator accederet ad Sacerdotem, eique vulnera ſua, ſeù morbum peccati detegeret, vt remedium pœnitentiæ, ab ipſo peteret: Secundò vt Sacerdos peccatori pœnitentiam imponeret: Tertiò, vt peccator pœnitens illam impleret: Quartò, vt Sacerdos pœni-*

ten-

tentem impleta pœnitentia abſque relapſu abſolueret, eique Corpus Chriſti præberet.

Alij etiam recentiores eamdem praxim in antiqua Eccleſia fuiſſe volunt quoad peccata grauiora, vt nimirùm abſolutio à peccatis grauioribus poſt peractam pœnitentiam ferè ſemper data fuerit, vt refert Ioannes Morinus in laudato Commentario hiſtorico *lib.9.cap.1.*

Ipſe verò Morinus ibidem *cap. 3.* ait, *ab incunabulis Eccleſiæ ad annum ſalutis circiter ſeptingenteſimum, Reis grauiſſimorum criminum publicè pœnitentibus abſolutionem lege ordinaria conceſſam tantùm fuiſſe poſt completam pœnitentiam ſecundùm Canones impoſitam.*

Subdit, *quod ſi ſit tam ardens peccatoris conuerſio, vt ſtatim, & ſine mora omnia peccata deleat, quam cum Eccleſia cognoſcit, pœnitentiæ tempus pro ardoris vehementia contrahendum eſt.*

Addit, *quod cum primū cæpit in Eccleſia tempore ſeparari abſolutio à communione Eccleſiaſtica, abſolutio longo tempore, nonnunquam pluribus annis publicè data eſt ante finem, & ſtadium pœnitentiæ decurſum.*

Rurſus ait, quod *cum vrgebat periculum mortis, aut reformidabatur ſalutis animæ pernicies, veluti cum periculum erat, ne capitalium peccatorum Rei ad Hæreticos, aut etiam Gentiles transfugerent, abſolutio ſtatim poſt confeſſionem peccati, & veræ reſipiſcentiæ demonſtrationem, aut breui exacta pœnitentia concedebatur.*

Quartò ait: *Baptizatos in Eccleſia, & poſtmodùm ab ea deficientes, cum ab apoſtaſia reſipiſcebant in Eccleſiam admiſſos fuiſſe per manus impoſitionem in pœnitentiam.*

Chriſtianus Lupus *par. 3. differt. 2. de Simoniæ crimine cap.8.* 152. ait, quod *olim omnes grauiorum peccatorum Rei impoſitam ſibi à Presbyteris ſatisfactionem adimplere cogebantur ante reconciliationem, quæ omnibus ſimul per Parochos adductis impendebatur ab Epiſcopo in Quinta feria Dominicæ Cœnæ paucis ſæculis*, inquit, *deſijt iſta conſuetudo.*

Et *par. 5. in Can. 56. Quinti Concilij Romani pag.* 241. ait, *quod publicis criminibus abſolutionem nonniſi poſt peractam pœnitentiam dabat antiquitus Eccleſia.*

Demùm Natalis Alexander *par. 1. ſæculi tertij diſsert. 9. concluſ.* 1. ait, *quòd grauiorum peccatorum Reis abſolutio Sacramentalis poſt peractam dumtaxat pœnitentiam, & impletam ſatisfactionem primis Eccleſiæ ſæculis ordinaria lege concedebatur*, excipit tamen primò caſum, quo vrgebat mortis periculum, aut in diſcrimine verſabatur pœnitentis ſalus, veluti cum periculum erat, ne capitalium criminum Rei ad Hæreticos, aut Gentiles tranſfugerent. Nam tunc, inquit, *abſolutio ante impletam omninò ſatisfactionem concedebatur*. Secundò excipit caſum, quo immineret perſecutio, nam & in eo caſu, abſolutionem lapſis conceſſam fuiſſe dicit, vt ſubeundo martyrio idonei redderentur. Tertiò excipit lapſos, qui Martyrum libellis commendati fuerant, nam his, ait, *concedebatur interdum abſolutio, nullis pœnitentiæ toleratis laboribus*. Quartò excipit lapſos, qui poſt ſcelus commiſſum, arduum aliquid, & eximium edebant, aut patiebantur pro Chriſti gloria, *nam & his conceſſam fuiſ-*

fuiſſe abſolutionem dicit, poſtquam ſatisfactionem impleuiſſent. Quinto excipit caſum, quo abſque periculo Schiſmatis differri diù non poterat abſolutio, *tunc enim lapſis*, inquit, *contedebatur ante impletam ſatisfactionem, & pœnitentialis diſciplinæ ſeueritas ergà ipſos relaxabatur*. Sextò tandem excipit caſum, quo ex reditu lapſorum ingens aliquod bonum in Eccleſia redundabat, vt Schiſmatis extinctio, vel imminutio, aut multorum ad Eccleſiam reductio, *tunc enim*, ait, *abſolutionis ſtatum illis conceſſum fuiſſe, & pœnitentiæ luctuoſæ labores condonatos*.

In eo igitur Morinus, Lupus, & Alexander conueniunt, vt aſſerta ab eis conſuetudo non abſoluendi Sacramentaliter pœnitentes, niſi poſt peractam pœnitentiam Sacramentalem ſeruata non fuerit generaliter, & indiſcriminatim cum omnibus peccatoribus, ſed ſolùm cum peccatoribus, qui Rei fuiſſent grauiorum criminum.

Arnaldus verò ſentire videtur, quod aſſerta illa praxis indifferenter, & generaliter, cum omnibus peccatoribus ſeruata fuerit, nullum enim peccatorem excipit, nec vllam diſtinctionem, aut limitationem apponit.

Idem etiam ſentire videtur Aegydius Gabrielis §. 35. nam ordinem illum ſeruatum regulariter fuiſſe dicit in ſanatione ſpirituali peccatorum præſertim grauiorum, aut inueteratorum, etſi §. 39. abſolutè dicat, praxim illam ſeruatam fuiſſe cum peccatoribus grauioribus, & inueteratis.

Pro veritatis reſolutione, ſit

ASSERTIO PRIMA.

Hæreticum eſt aſſerere, non peracta pœnitentia, Confitentes abſolui non debere.

ITa Sixtus IV. in laudata Conſtit.; In ea enim *propoſitiones illas falſas, ſanctæ Catholicæ Fidei contrarias, erroneas, & ſcãdaloſas, ac à fidei veritate alienas, ac Sanctorum Patrum decretis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus contrarias, & manifeſtam hæreſim continere* decernit, *quas Petrus de Oſma, & eius ſequaces pertinaciter affirmabant*, videlicet, *confeſſionem peccatorum in ſpecie, ex vniuerſalis Eccleſiæ realiter ſtatuto non Diuino iure compertum fore. Et peccata mortalia, quoad culpam, & pœnam alterius ſeculi, abſque confeſſione, ſola cordis contritione, prauas verò cogitationes, ſola diſplicentia deleri; & quod confeſſio ſecreta ſit, neceſſariò non exigi. Et non peracta pœnitentia Confitentes abſolui non debere. Et Romanum Pontificem Purgatorij pœnam non remittere, & ſuper his, quæ vniuerſalis Eccleſia ſtatuit, diſpenſare non poſſe. Sacramentum quoque Pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ, naturæ, non autem inſtitutionis noui, aut veteris teſtamenti exiſtere*. Ergò aſſerere non peracta pœnitentia Confitentes abſolui non debere, falſum eſt, & erroneum, immò Sanctæ Catholicæ Fidei contrarium, & manifeſtam hæreſim continens; has enim cenſuras in eas omnes propoſitiones Sixtus intorquet.

AS-

ASSERTIO SECVNDA,

Confitentibus etiam grauiorum criminum reis ritè diſpoſitis, abſolutio Sacramentalis ante peractam pœnitentiam, ſeù ſatisfactionẽ Sacramentalem impendi debet. Et pœnitentia Sacramentalis nonniſi poſt receptam Sacramentalem abſolutionem à Confitentibus eſt peragenda.

ASſertio hæc eſt contra relatos Authores etiam Catholicos. Nam cum ipſi negent, abſolutionem Sacramentalem Confitentibus etiam grauiorum criminum reis eſſe ante expletam Sacramentalem ſatisfactionem impendendam, id intelligunt de Confitentibus, etiam grauiorum criminum reis, qui ſint ritè diſpoſiti, qui videlicet verum, & ſufficientem dolorem habeant de peccatis admiſſis, verumque propoſitum ab eis abſtinendi, quique non maneant in occaſione proxima peccandi, nec adeò recidiui ſint, vt nulla ſit ſpes de illorum emendatione. Nam ſi Sermo ſit de Confitentibus indiſpoſitis, de quibus videlicet conſtet, eos verum dolorem, verumque propoſitum non habere, vel in occaſione proxima peccandi manere, aut ita recidiui ſunt, vt de illorum emendatione nulla ſit ſpes, locum non habet quæſtio præſens, eiuſmodi enim pœnitentibus, non eſt imponenda ſatisfactio Sacramentalis, nec abſolutio Sacramentalis etiam poſt expletam pœnitentiam, imponenda, ſed abſolutè neganda eſt abſolutio Sacramentalis, aut ſaltem differenda, quo vſque ritè diſpoſiti ſint, ita vt contrarium non appareat; Quæſtio igitur eſt in præſenti de Confitentibus etiam grauiorum criminum reis, qui aliàs ritè ſint diſpoſiti; quique in occaſione peccandi non maneant, de his enim, vt dictum eſt, præfati Authores loquuntur, & de his præfatos Authores loqui etiam ex eo patet, quod pœnitentiam Sacramentalem ab illis ante abſolutionem Sacramentalem, explendam dicunt, non vt neceſſarium ad valorem Sacramenti, ſed id eſſe expediens affirmant; cenſent ergò, abſolutionem Sacramentalem eiuſmodi pœnitentibus collatam, ante peractam pœnitentiam Sacramentalem fore validam, ſed eam ſic impendere non eſſe expediens; non poteſt autem abſolutio eſſe valida, ſi pœnitens, non ſit ritè diſpoſitus; Loquuntur ergò de pœnitente aliàs ritè diſpoſito, ſed grauioris criminis reo.

Hoc poſito. Probatur primò aſſertio noſtra. Cum duo in re aliqua à parte rei, ponenda, eum inter ſe ordinem habent, vt vnum, conſtitutiui eſſentialis, aliud verò partis merè integralis rationem habeant, eo pacto ponenda ſunt, vt priùs ponatur id, quod conſtitutiui eſſentialis, rationem habet, deindè verò ponatur, quod rationem habet partis merè integralis; Atqui abſolutio Sacramentalis rationem habet conſtitutiui eſſentialis.

Pœ-

Pœnitentia verò partis merè integralis, ergò cum à parte rei ponitur, ſeù confertur Sacramentum Pœnitentiæ, priùs ponenda eſt abſolutio Sacramentalis, poſtmodùm verò ponenda eſt pœnitentia Sacramentalis; Conſequentia eſt optima; Maior patet, nam eſſentia rei præintelligitur, & præponitur his, quæ illam non ingrediuntur, nec conſtituunt, & hæc rei non adueniunt, niſi poſt conſtitutam eius eſſentiam. Minor etiam conſtat; Nam abſolutio Sacramentalis eſt forma Sacramenti Pœnitentiæ, ipſumque proindè in ſua eſſentia conſtituit; Pœnitentia verò, ſeù ſatisfactio Sacramentalis non conſtituit Sacramentum, ſed eſt illi extrinſeca, eique additur, vt integrans totaliter Sacramentum, ſicut manus additur homini iam in ſua eſſentia conſtituto.

Confirmatur, & explicatur. Nam Chriſtus Dominus ea ratione inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, vt eius eſſentiale conſtitutiuum, & formam eſſentialem voluerit eſſe ipſam abſolutionem, quæ nil aliud ſupponat, niſi materiam, ſuprà quam impendi debeat, cuiuſmodi ſunt peccata à pœnitente, Confeſſario expoſita, vndè priùs exponenda ſunt peccata, quæ habent rationem materiæ, deindè imponenda ſatisfactio, & mox acceptata à pœnitente, ſatisfactione, conferenda eſt ei abſolutio, & tandem ſatisfactio exequutioni mandanda; Ergò, qui pœnitentiam in Sacramento Pœnitentiæ impoſitam ante impenſam Sacramentalem abſolutionem exequutioni mandari vult, non ponit Sacramentum Pœnitentiæ ea ratione, qua à Chriſto eſt inſtitutum, ſed ordine planè inuerſo.

Confirmatur ſecundò. Nam ſatiſfactio, ſeù pœnitentia ante abſolutionem Sacramentalem poſita, non habet rationem pœnitentiæ Sacramentalis, nam pœnitentia Sacramentalis habet rationem partis integralis Sacramenti Pœnitentiæ, quæ proindè ſupponat Sacramentum in ſua eſſentia conſtitutum: Et ideò ſicut implicat contradictionem, quod aliquid ſit pars integralis, & non ſupponat conſtitutam eſſentiam rei, cuius eſt pars integralis, ita implicat contradictionem, quod ſatisfactio aliqua ſit Sacramentalis, quæ non ſupponat Sacramentum in ſua eſſentia conſtitutum, talis autem eſt ſatisfactio, ſeù pœnitentia ante abſolutionem Sacramentalem peracta, vndè reuerà pœnitentia, ante Sacramentalem abſolutionem peracta, non eſt Sacramentalis, ſed merè medicinalis, vt mox dicemus.

Nec dicatur, admiſſi criminis grauitatem exigere, vt pœnitentia Sacramentalis ante Sacramentalem abſolutionem expleatur, idque etiam ad pœnitentis animum in bono propoſito confirmandum expedire.

Nam pro nullo caſu, & pro nullo motiuo poteſtatem habet Sacerdos peruertendi ordinem, quem ex propria ratione, & ex inſtitutione Chriſti exigunt partes Sacramenti Pœnitentiæ, vt videlicet pars, quæ eſt merè integralis præponatur ipſi Sacramento, ac proindè amittat rationem partis integralis, nec talis facultas eſt à Chri-

à Chriſto Domino Sacerdotibus conceſſa.

Nec ob prædicta motiua huiuſmodi facultas conceſſa præſumi poteſt, cum abſque hoc, quod partes Sacramenti peruertantur, & pœnitentia Sacramentalis anteuertat abſolutionem Sacramentalem, ſufficienter vindicetur grauitas admiſſi criminis per grauitatem pœnitentiæ, etiam poſt abſolutionem explendæ; nam grauitas criminis præcisè non expoſcit niſi grauitatem pœnitentiæ, quæ videlicet reſpondeat qualitati criminis admiſſi, eique ſit proportionata; id autem habet pœnitentia, etiamſi poſt abſolutionem Sacramentalem expleatur; Quare ad punitionem criminis, nil prorſus facit, quod pœnitentia Sacramentalis iniuncta impleatur ante, vel poſt abſolutionem Sacramentalem, benè tamen ad id facit, quod pœnitentia impleatur; cum æquè iuſtè grauitas criminis vindicetur per pœnitentiam etiam poſt abſolutionem peractam.

Diximus autem, grauitatem criminis præcisè non exigere, vt pœnitentia Sacramentalis ante Sacramentalem abſolutionem impleatur, nec ob id præſumi poſſe conceſſam fuiſſe Sacerdotibus facultatem iniungendi pœnitentiam Sacramentalem explendam ante abſolutionem Sacramentalem; nàm ſi aliàs, qui peccata confitetur, non ſit ritè diſpoſitus, vel quia non appareat, ipſum ſufficienter dolere, aut firmum propoſitum habere, non ideò ei iniungenda eſt pœnitentia Sacramentalis ante abſolutionem implenda, ſed ei abſolutè abſque pœnitentiæ Sacramentalis iniunctione, neganda eſt abſolutio, vel certè differenda, vt diximus ſuprà; & huic malo ſatis etiam conſulitur per iniunctionem pœnitentiæ merè medicinalis, non verò Sacramentalis, ante omnem abſolutionem explendæ; vt ſi Confeſſarius ad verum dolorem, verumque propoſitum in peccatorem inducendum neget ei abſolutionem Sacramentalem, eidemque præcipiat, vt priùs ieiunet per aliquot dies, & poſteà redeat; poſt quod tempus, ſi eum ritè diſpoſitum inueniat, abſoluere poterit, & ei Sacramentalem pœnitentiam iniungere: hoc modo, inquam, ſufficienter conſulitur malo illi, quod erat carentia doloris, & propoſiti requiſiti: nec eſt neceſsè ad occurrendum illi malo iniungere pœnitentiam Sacramentalem explendam à pœnitente ante abſolutionem; & per eamdem pœnitentiam merè medicinalem vindicari etiam poteſt grauitas criminis admiſſi, vt de ſe patet; Igitur nec ob grauitatem admiſſi criminis, nec ad inducendum, aut confirmandum propoſitum pœnitentis iniungenda eſt ei pœnitentia ante Sacramentalem abſolutionem explenda.

Hinc Suarez *tom. 4. in 3. par. ſect. 7. num. 7.* Reginaldus *lib. 7. q. 3.* Bonacina *de Sacramento Pœnitentiæ diſp. 5. q. 5. ſect. 3. puncto 3. nu. 20.* & alij, docent, quod ſi ſermo ſit de ſatisfactione, vt eſt peccati vindicta, Sacerdos non poteſt obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam priùs quam illum abſoluat, quia nullum ius ad id habet, nec iuſtam cauſam, dato, quod pœnitens ſit ritè diſpoſitus, & ſatisfactionem impoſi-

tam acceptet, At vero ſi propter curationem, & medicinam iudicent Confeſſarij expedire, vt aliquam pœnitentiam ante abſolutionem præmittat, poterit id facere, & pœnitens tenebitur obedire, quia tunc potius agitur de condigna diſpoſitione ad remiſſionem peccatorum, quam de ſatisfactione pro temporali pœna; vndè illud præceptum à Confeſſario impoſitum non tàm eſt noua impoſitio, quam declaratio alicuius obligationis, quam pœnitens de ſe habet, vt poſſit de illius diſpoſitione, & propoſito vitandi peccata moraliter conſtare. Hoc tamen poſterius eſt extrà caſum de quo agimus, nam hic ſolùm eſt quæſtio, Vtrum Confeſſarius pœnitentibus etiam grauiorum criminum reis, ritè tamen diſpoſitis poſſit pœnitentiam Sacramentalem ante Sacramentalem abſolutionem explendam imponere, & vtrum id expediat, Bonacina *loc. cit.* eam etiam rationem affert, ad probandum, quod Confeſſarius non poſſit obligare pœnitentem ad pœnitentiam adimplendam ante abſolutionem, quia nimirùm ſi pœnitentia conſideretur, vt eſt compenſatio pro pœna temporali, huiuſmodi compenſatio exhibetur poſt remiſſionem peccatorum, cum ſatisfactio præſtetur, vt tollatur reatus pœnæ temporalis; hic autem non tollitur, nondum deleta culpa, culpa verò tollitur per abſolutionem, Quibus, & illud addi poteſt, quod cum ſatisfactio Sacramentalis ſit compenſatio quædam, ſaltem quoad aliquam partem pro pœna temporali à pœnitente in Purgatorio luenda, compenſatio hæc cum ſit temporalis ſupponit pœnam æternam iam remiſſam, & in pœnam temporalem iam commutatam; id autem fit per abſolutionem Sacramentalem; ergò ſatiſfactio Sacramentalis cum impletur, debet neceſſariò ſupponere abſolutionem; non ergò poteſt ſatisfactio Sacramentalis impleri ante abſolutionem Sacramentalem, nec vt ante abſolutionem Sacramentalem implenda pœnitentibus imponi. Cum igitur imponi non poſſit pœnitentia, ſeù ſatisfactio Sacramentalis ante abſolutionem Sacramentalem implenda, inanis eſt recentiorum quæſtio illa, Vtrum expediat pœnitentiam Sacramentalem ante abſolutionem Sacramentalem impenſam, explendam imponere, non enim dici poteſt expediens, quod fieri non poteſt, & ad quod faciendum, non datur facultas.

Vlterius cum fieri nequeat, vt pœnitentia Sacramentalis impleatur ante abſolutionem Sacramentalem, quia per hoc peruerteretur ordo partium Sacramenti à Chriſto Domino inſtitutus, implicetque contradictionem, quod pœnitentia aliqua impleatur ante abſolutionem, & ſit pœnitentia Sacramentalis, ſeù pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, vt iam dictum eſt, conſequens eſt, vt nedum Sacerdos pœnitenti præcipere non poſſit, vt pœnitentiam Sacramentalem impleat ante abſolutionem, ſed quod nec poſſit ei id conſulere, nec pœnitens poſſit id executioni mandare, ſi ei conſulatur, nam nec Sacerdos poteſt præcipere, nec pœnitens poteſt exequi, quod deſtruit diſpoſitionem partium Sacramenti Pœnitentiæ à

Chri-

Chriſto Domino inſtitutam, neque id cadere poteſt ſub conſilio.

Præterea. Implicat contradictionem, vt dictum eſt, quod pœnitentia, ſeù ſatisfactio aliqua, ante abſolutionem Sacramentalem peragatur, & ſit pœnitentia, ſeù ſatisfactio Sacramentalis, cum de ratione pœnitentiæ Sacramentalis ſit, quod impleatur poſt abſolutionem ex ratione allata, quia pœnitentia Sacramentalis, eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, ac proindè ſupponit Sacramentum iam quoad eſſentiam conſtitutum; Ergò poſito, quod pœnitentia, ſeù ſatisfactio ante abſolutionem impleatur, Sacramentum Pœnitentiæ non eſſet omninò integrum, nam careret ſua parte integrali à Chriſto Domino inſtituta, & volita, cum nulla alia pœnitentia poſt abſolutionem imponeretur, vt ſupponitur; hoc autem eſt maximum abſurdum.

At conueniamus iterum Authores, cum quibus agimus, Authores illi dicere nequeunt, quod Confeſſarius obligare poſſit pœnitentem ritè diſpoſitum, etiam reum grauiorum criminum, vt pœnitentiam impleat ante abſolutionem, eique id præcipere; nam Confeſſarius non poteſt præcipere, niſi id, quod eſt neceſſarium ad valorem Sacramenti, ſeù quod eſt neceſſarium ad rectam Sacramenti diſpoſitionem ex parte ipſius recipientis Sacramentum; horum autem nullum interuenit in caſu præſenti; nam quæſtio eſt de pœnitente ritè diſpoſito, vtrum videlicet pœnitenti ritè diſpoſito neceſſaria ſit impletio pœnitentiæ ante abſolutionem, hanc autem certum eſt neceſſariam non eſſe ex parte ipſius Sacramenti, vt de ſe conſtat; ſed nec neceſſaria eſt ex parte ipſius pœnitentis; quia pœnitens ſupponitur ritè diſpoſitus; nam vt aliàs diximus, ſi pœnitens non ſit ritè diſpoſitus, vt ritè diſponatur, non eſt neceſſarium, quod pœnitentiam Sacramentalem impleat ante abſolutionem, ſed benè diſponi poteſt per aliam pœnitentiam non Sacramentalem, ergò ex nullo capite neceſſaria eſt impletio pœnitentiæ ante abſolutionem Sacramentalem; hæcque Authores cum quibus agimus, neceſsè eſt fateri, ni velint in errorem Petri de Oſma, & Marci Antonij Spalatenſis incidere. Relinquitur ergò, quod Authores illi velint expediens eſſe, quod pœnitentia Sacramentalis ante Sacramentalem abſolutionem impleatur; ſed neque id admitti poteſt, tum quia dici nequit expediens, quod eſt contra rationem Pœnitentiæ Sacramentalis, vt dictum eſt, tum quia ideò Authores illi dicunt, expediens eſſe, vt pœnitentia Sacramentalis impleatur ante abſolutionem Sacramentalem, quia hac ratione pœnitens melius diſponitur, magiſque probatur; at hæc melior diſpoſitio, maiorque pœnitentis probatio, æquè benè fieri poteſt per expletionem pœnitentiæ non Sacramentalis, & merè medicinalis ante abſolutionem peractæ; Ergò propter hoc non cogimur dicere, expediens eſſe, quod pœnitentia Sacramentalis præmittatur abſolutioni Sacramentali, & multò minus cogimur dicere hoc eſſe neceſſarium.

Ideò Franciſcus Suarez *tom. 4. in 3. p.* S. Thomæ poſt relatum errorem Petri de Oſma dicentis abſolutionem non eſse dandam, niſi poſt ſatisfactionem impletam, ſic ſubdit; *Sed dicere hoc eſſe neceſſarium, eſt error contra conſuetudinem Eccleſiæ Latinæ; Vndè etiam falſum eſt dicere, eſſe commodius, vel vtilius: nam rectus ordo poſtulat, vt priùs remittatur culpa, deindè fiat ſatisfactio pro temporali pœna, tum quia hæc pœna non eſt propriè debita, donec ſit remiſſa culpa: Tum etiam quia ſatisfactio facta in ſtatu peccati mortalis non valet ad remiſſionem pœnæ.*

Eadem habet etiam Ferdinandus de Caſtropalao, & ipſe Theologus Societatis Ieſu de Sacramento Pœnitentiæ *tract.* 23. §. 4. *num.* 15. ſic enim ait. *Sed quid ſi Confeſſarius velit, vt pœnitentia executioni mandetur ante abſolutionem conceſſam, obligatuſne erit pœnitens obtemperare? Reſpondeo, ex poteſtate, quam habet Sacerdos imponendi pœnitentiam, nequaquam obligari poſſe: quia nequit Sacerdos vindicare delictum, antequam illius ſententiam pronunciet, neque pars integralis Sacramenti eſſe poteſt, antequam Sacramentum in ſuo eſſe eſſentiali ſit conſtitutum, priùs enim in eſſentia conſtitui Sacramentum debet, vt integritas illi adueniat. Verùm ſi opus iniunctum non per modum pœnitentiæ præcipiatur, ſed quia aliàs pœnitens ad illius executionem obligatur, vti eſt occaſionem peccandi dimittere, reſtitutionem ablatorum præſtare, & ſimilia poteſtatem habet Sacerdos ea imperandi pœnitenti ante abſolutionem, maximè ſi timorem habet, conceſſa abſolutione, non fore exequenda. Quin immò ſi de contritione pœnitentis ſatis Confeſſario non conſtet, & ad hoc iudicium concipiendum reputet neceſſarium, vel conueniens, vt pœnitens aliquod opus pœnale ante abſolutionem exerceat; poterit ſine dubio illud præcipere, & pœnitens, ſi vult abſolui, tenetur obedire: quia non præcipitur in pœnitentiam, & ſatisfactionem peccati; ſed in teſtimonium doloris interni, qui neceſſario debet à Confeſſario cognoſci.* Hæc Palaus, cum Suario, Reginaldo, Bonacina, & Fagundez, quos ibi allegat, & nos ſupra allegauimus.

Ex diſcrimine, quod verſatur inter pœnitentiam peractam ante abſolutionem ſacramentalem, & pœnitentiam peractam poſt abſolutionem ſacramentalem, oſtenditur, pœnitentiam ſacramentalem, poſt abſolutionem ſacramentalem peragendam eſſe.

SVpponimus, vt ſupra diximus, quæſtionem eſſe de pœnitente ritè diſpoſito, quique in ſe nullum habeat impedimentum ad recipiendam abſolutionem Sacramentalem. Hoc poſito. Obſeruandum eſt diſcrimen, quod verſatur inter pœnitentiam peractam ante abſolutionem Sacramentalem, & pœnitentiam peractam poſt abſolutionem Sacramentalem; Et eſt illud, quod pœniten-

nitentia ante abſolutionem Sacramentalem peracta, non ſit Deo ſatisfactoria, nec etiam per eam conferatur effectus aliquis ex his, ad quos conferendos pœnitentia Sacramentalis á Chriſto Domino eſt inſtituta, cuiuſmodi eſt remiſſio ſaltem in partem pœnæ temporalis in Purgatorio luendæ, & augmentum gratiæ, poſita ſententia, quæ docet, per ſatisfactionem augmentum gratiæ cauſari, & auxilia ad præcauenda in poſterum peccata conferri. Id autem probatur, quia pœnitentia peracta ante abſolutionem Sacramentalem, eſt peracta à peccatore conſtituto extra ſtatum gratiæ, & amicitiæ Diuinæ, & abſolutè manente in ſtatu peccati, & nondum recepto ad amicitiam Dei. Quamuis enim peccator ille diſpoſitus ſit, & verum dolorem de admiſſis peccatis habeat, verumque propoſitum ab eis abſtinendi, immò & aliquali amore erga Deum feratur, & pœnitentia in eo ſtatu ab eo peracta non ſit omninò mortua, vt contendebat Baius, qui, vt habetur in propoſitione ſexageſima inter damnatas, commentitiam, & ſcripturis minimè congruentem dicebat eſſe diſtinctionem duplicis viuificationis, alterius, qua viuificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ nouæ propoſitum, & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur. Alterius, qua viuificatur, qui verè iuſtificatur, & palmes in vite Chriſti efficitur. Attamen opus illud non procedit ab homine in ſtatu amici Dei conſtituto, & in gratiam recepto, & vt ait S. Thomas 3. *par. q.* 89. *art.*6. opus illud eſt mortuum priuatiuè, quia caret vita ſpirituali, quæ eſt ex charitate, per quam anima Deo coniungitur, ex quo viuit, ſicut corpus per animam, quo modo etiam fides, quæ eſt ſine charitate, dicitur mortua, ſecundum illud Iacob. 21. *Fides ſine operibus mortua eſt.* & in eodem ſenſu, omnia opera, quæ ſunt bona ex genere ſuo, ſi ſine charitate fiant, dicuntur mortua, quatenus non procedunt à principio vitæ. Opera autem, quæ procedunt ab homine extra ſtatum gratiæ conſtituto, & nondum charitatem habente, non ſunt ſatisfactoria Deo, quia non ſunt Deo accepta, ea acceptatione, quæ requiritur ad rationem operis ſatisfactorij; ad hoc enim requiritur, quod ſit opus procedens ab amico, & in ſtatu gratiæ conſtituto, id autem non habetur, niſi per gratiam, & charitatem.

Huius autem ratio eſt illa, quam affert S. Thomas *in* 4. *ſentent. diſt.* 15. *quæſt.* 1. *art.* 2. quod ſcilicet homo Deo pro commiſſo peccato ſatisfacit, non quia Deo reddat æquiualens ſecundum quantitatem ei, quod per peccatum Deo abſtulit; nam non poſſumus Deo reddere, quantùm fuit iniuria ipſi per peccatum illata; cum peccato offendamus bonitatem infinitam, ac proinde peccatum habeat infinitatem ex Diuinæ Maieſtatis offenſæ magnitudine; ſed dicitur homo Deo ſatisfacere, quatenus homo Deo reddit quod poteſt, quia amicitia non exigit æquiualens, ſed quod poſſibile eſt. Et hoc etiam eſt æquale aliqualiter, ſcilicet ſecundum proportionabilitatem, quia ſicut ſe habet hoc, quod eſt Deo debitum ad ipſum

Deum,

Deum, ita hoc, quod ipſe poteſt reddere, ad ipſum Deum.

Hanc tamen ſatisfactionem Deo præſtare non poteſt homo ſine gratia, & ſine charitate; nam à gratia opus illud habet, quod ſit Deo ſatisfactorium, & acceptum. vt enim ait idem S.Thomas in eodem articulo ad ſecundum; ſicut offenſa habuit quamdam infinitatem Diuinæ Maieſtatis offenſæ, ita etiam ſatisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate Diuinæ Miſericordiæ, prout eſt gratia informata, per quam acceptum redditur, quod homo reddere poteſt; vt ergo homo Deo ſatisfaciat, requiritur gratia, & charitas, quæ opus ipſius Deo reddant acceptum: Cum ergo peccator ante abſolutionem Sacramentalem gratia careat, & charitate, non poteſt Deo ſatisfacere pro culpa.

Sed nec poteſt in eo ſtatu Deo ſatisfacere pro pœna temporali peccato debita. Nam opera pœnalia huius vitæ non ſunt comparabilia cum pœnis Purgatorij: Nam pœnæ Purgatorij incomparabiliter excedunt pœnas huius vitæ, adeo vt nec dolores Paſſionis Chriſti comparari poſſint, cum doloribus animæ ſeparatæ, vt ait S. Thomas 3. *par. quæſt.46.art.7.* Eatenus ergo poteſt homo per opera pœnalia huius vitæ ſatisfacere pro pœna temporali ob peccata in Purgatorio debita, quatenus Deo offert, quod poteſt, & Deo acceptum eſt; vt autem opus pœnale Deo pro peccato oblatum, ipſi Deo ſit acceptum, requiritur, quod ſit opus exhibitum ab amico; nam opus ab inimico, vel à non amico exhibitum, non eſt acceptum Deo. Quod autem hominem Deo amicum conſtituit, eſt gratia, & charitas. Igitur ad ſatisfaciendum pro pœna temporali ob peccatum in Purgatorio luenda, gratia requiritur, & charitas; cum autem his careat peccator ante abſolutionem Sacramentalem, non poteſt tunc Deo pro pœna temporali peccato debita ſatisfacere.

Hinc Silueſter in Summa, verbo (*Satisfactio*) §. *ſeptimo* ait, quod *ſi pænitenti imponatur à Sacerdote aliquid, puta ieiunium, pænitens obligatur Deo, ac etiam Sacerdoti, vel Eccleſiæ ad illud ſoluendum ſolutione Sacramentali: quod quidem ſi ſoluit, in charitate ſatisfacit Eccleſiæ, & Deo, pro pæna, vt decem, quantum ad totum, ſi æquiualens fuit impoſitum; aut quantum ad dimidium, vel aliam partem, ſi impoſitum, non eſt æquiualens: ſi verò ſoluit extra charitatem, ſatisfacit quidem Sacerdoti; qui non ligauit eum ad complendum in charitate, ſed non Deo, qui non acceptat, quod non exhibetur cum charitate, vnde remanet obligatus Deo, vt prius; quia ſcilicet, tenetur de nouo ſatisfacere, ſed non per ieiunium, ſed per illud, vel per orationem, vel patiendo pænam temporalem, vel Purgatorium. Vnde quod Sacerdos iniunxit non tenetur in ſpecie reiterare, ſed ſolùm facere æquiualens, puta eleemoſynam, vel etiam pati, puta flagella Dei hic, vel aliam pænam in Purgatorio.* Hæc Silueſter, ſubdens, hanc eſſe veritatem, & mentem pene omnium Doctorum.

Peccator igitur Deo verè non ſatiſfacit per pœnitentiam extra ſtatum gratiæ peractam, qualis eſt pœnitentia peracta ante abſolutionem Sacramen-

mentalem, & ob eamdem rationem per pœnitentiam illam nulla portio remittitur pœnæ temporalis in Purgatorio luendæ: cui etiam obſtat, quod ſupra diximus, videlicet non remitti pœnam ante remiſſionem culpæ, nec pœnam temporalem remitti ante permutationem pœnæ æternæ peccato mortali debitæ in temporalem. Quæ omnia per abſolutionem Sacramentalem præſtantur; ſed nec vllus gratiæ gradus, aut vllum gratiæ augmentum, per pœnitentiam extra ſtatum gratiæ peractam, cuiuſmodi eſt pœnitentia peracta ante abſolutionem Sacramentalem, cauſatur; ſuppoſita ſententia, quæ docet per ſatisfactionem gratiæ augmentum conferri; nam augmentum gratiæ, ſupponit ipſam gratiam, non enim augetur, niſi quod iam exiſtit, igitur pœnitentia non poteſt augere gratiam, ſeu gratiæ augmentum præſtare, niſi ſupponatur ipſa gratia collata; gratia autem confertur pœnitenti per abſolutionem, ergo pœnitentia ante abſolutionem peracta nullum gratiæ gradum, aut augmentum confert.

Hæc autem, quæ diximus de incapacitate ad ſatisfaciendum in pœnitentia ante abſolutionem Sacramentalem peracta, adeo certa ſunt, vt pœnitentia ante abſolutionem Sacramẽtalem peracta, nec ipſa adueniente abſolutione reuiuiſcat, & rationem ſatisfactionis inducat. Ratio eſt quam tradit S. Thomas, 3. *par. queſt. 89. art. 5. & 6.* Quod opera mortificata per peccatum, per pœnitentiam ſubſequentem reuiuiſcant, ſecus verò opera mortua, etiamſi ſint mortua tantùm priuatiuè; quæ ſcilicet etſi de genere ſuo bona ſint, non ſunt facta in charitate, ac proinde carent vita ſpirituali; quæ eſt ex charitate, per quam anima Deo coniungitur, ex quo viuit, ſicut corpus per animam: quia opera meritoria per peccatum mortificata, etſi non remaneant in ſe ipſis, remanent tamen in acceptatione Diuina, quia fuerunt opera bona in charitate peracta, Deoque proinde accepta, atque ab eo acceptata, & ſic remanent quantum eſt de ſe inquit S. Thomas etiam poſtquam per peccatum mortificata fuerunt; quia ſemper Deus illa opera, prout facta fuerunt acceptabit, & Sancti de eis gaudebunt ſecundum illud Apocal. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Sed quod iſti, qui ea fecit, non ſint efficacia ad ducendum eum in vitam æternam; prouenit ex impedimento peccati ſuperuenientis, per quod ipſe redditus eſt indignus vita æterna. Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata, & ideo opera prius mortificata, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea in vitam æternam, quod eſt reuiuiſcere. At verò opera, quæ extra charitatem peracta fuerunt, quia carent vita ſpirituali, quæ per charitatem habetur, mortua ſunt, etiam apud Deum. Vnde non remanent nec in ſe ipſis, nec in acceptatione Diuina, quia non fuerunt Deo accepta, & ideo non reuiuiſcunt in ratione operis meritorij, & ex eadem ratione, pœnitentia in charitate peracta ſi mortificata fuerint per peccatum, per pœnitentiam, & charita-

tem

tem ſubſequentem reuiuiſcunt, quia Deo in ratione operis ſatisfactorij acceptæ iam fuerunt, & ab eo, vt opus ſatisfactorium acceptata. At pœnitentia extra charitatem peracta, etſi aliàs bona ex genere ſuo, quia tamen mortua fuit, quia caruit vita ſpirituali, quæ per charitatem habetur, non fuit Deo accepta, nec à Deo acceptata, vt vera, & condigna ſatisfactio, & ideo non remanet in acceptatione Diuina, & cum aliàs nec remaneat in ſe ipſa, nec rurſus poſſit iterum à principio procedere (quia tranſiuit) & iterum eadem numero reſumi non poteſt, ſicut reuiuiſcere non poteſt in ratione operis meritorij, ita nec reuiuiſcere poteſt in ratione operis ſatisfactorij.

Eadem docet S. Thomas *in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2.* Ibi enim ait, quod ſatisfactio præcedens non incipit homini valere, poſtquam charitatem habuerit, quia opera extra charitatem facta, ideo non erant ſatisfactoria, quia fuerunt mortua, ſed per pœnitentiam non viuificantur, ergo nec incipiunt eſſe ſatisfactoria. Et præterea, quia charitas non informat actum, niſi qui ab ipſo aliqualiter procedit, ſed opera non poſſunt eſſe Deo accepta, ac per hoc nec ſatisfactoria, niſi ſint charitate informata. Ergo cum opera facta extra charitatem nullo modo ex charitate proceſſerint, vel de cętero procedere poſſint, nullo modo poterunt in ſatisfactionem computari; & rurſus ſicut charitas adueniens, non poteſt opera extra charitatem facta grata facere, quantùm ad meritum, ita nec quantùm ad ſatisfactionem.

Obijcies. Sicut efficacia ſatisfactionis impeditur per peccatum, ita efficacia Baptiſmi impeditur per fictionem, ſed Baptiſmus incipit valere recedente fictione, ergò & ſatisfactio recedente peccato.

Hoc argumentum obijcit ſibi ſecundo loco S. Thomas *loc. cit. ex 4. ſent.* & ad illud ſic reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quod Baptiſmus imprimit characterem in anima, non autem ſatisfactio, & ideò adueniens charitas, quæ fictionem tollit, & peccatum, facit, quod Baptiſmus effectum ſuum habeat, non autem hoc facit de ſatisfactione; & prætereà Baptiſmus ex ipſo opere operato iuſtificat, quod non eſt hominis, ſed Dei, & ideo non eodem modo mortificatur, ſicut ſatisfactio, quæ eſt opus hominis.*

Nec obſtat, quod ibidem ad 3. ait S. Thomas, nempè quod ſatisfactiones, ex quibus manet aliquis effectus in ſatisfacientibus, etiam poſtquam actus ſatisfactionis tranſijt in peccatis factæ non oportet, quod iterentur; nam ſenſus S. Doctoris non eſt, quod huiuſmodi ſatisfactiones viuificentur, & ſuum effectum adueniente gratia ſortiantur, iam enim hoc anteà efficaciter excluſerat, cum dixit, opera extra charitatem facta mortua eſſe, ac proindè per pœnitentiam, & charitatem aduenientem non viuificari, cum iam tranſierint, & non permaneant amplius; ſed ſenſus S. Doctoris eſt, quod effectus ex tali actu relictus, vti debilitas corporis ex ieiunio relicta, & ſubſtantiæ diminutio ex largitione eleemoſynæ conſequuta, Deo accepti ſint per pœnitentiam, hoc eſt, ſi per nouum actum interiorem tales effectus Deo offerantur, & ideò tales actus relinquentes effe-

ctum

ctum in ſatisfaciente non eſſe iterandos, nam licet actus illi, vtpotè in peccato facti non ſint, nec poſſint in ſe ipſis eſſe Deo accepti, nec per aduenientem charitatem viuificari, quia fuerunt actus mortui, & amplius non exiſtant, ſunt tamen Deo accepti, quantum ad effectus, quos in ſatisfaciente relinquunt; quod eſt idem, ac dicere, quod non actus illi Deo ſint accepti, ſed Deo accepti ſint effectus ex talibus actibus relicti, ſi per nouũ pœnitentiæ actum Deo offerantur. De actibus verò in peccato mortali peractis, qui nullum poſt ſe effectum relinquunt in ſatisfaciente, oportet, quod iterentur, inquit, S. Thomas, & tales ſunt orationes, & alia huiuſmodi, & actus interior, quia totaliter tranſijt, nullo modo viuificatur, ſed oportet, quod iteretur.

Hoc igitur, quod ait S. Thomas, ſatisfactiones relinquentes effectum in ſatisfacientibus non eſſe iterandas, non aliter intelligendum eſt, niſi in quantùm homo rurſus nouo voluntatis actu acceptat, Deoquè offert illum effectum, & in eo complacet; & ideò dum quis exiſtens in peccato voluit, aut iuſſit dari eleemoſynam, ſi poſteà eo redacto in gratiam ſequatur exterior actus, vel effectus, abſque noua voluntatis deliberatione, ille non denominabitur ſatisfactorius, ſicut nec meritorius, quia non informatur actu interno ſatisfactorio, & meritorio. Et è conuersò ſi quis exiſtens in gratia velit, aut iubeat dari eleemoſynam, & poſteà eo labente ſequatur actus, & effectus exterior, neque tunc denominabitur ſatisfactorius, ſicut nec meritorius ob incapacitatem talis ſtatus, in quo ponitur.

Hoc ipſum clarius expreſſit Sanctus Thomas in ſententiarijs ad Cardinalem Annibaldum in 4. *diſt.* 15. *quæſt. vnica ad* 4. Ibi enim ait, quod *ſunt quædam opera, ex quibus aliqui effectus manent, quaſi quædam opera operata, ſicut diminutio ſubſtantiæ ex releuatione pauperum, vel eleemoſynis manet, & hæc in quantum manent, poſſunt per approbationem eius, qui ad gratiam redit ſatisfactoria fieri; non ratione operis operantis præcedentis, ſed ſequentis, ideo hæc non oportet iterari. Quædam verò ſunt, in quibus non manet aliquid huiuſmodi, & ideo ſunt totaliter iteranda*. Hæc S. Thomas.

Rationes allatæ, nedum probant non poſſe pœnitentiam peractam ante abſolutionem per ſuperuenientem abſolutionem viuificari in ratione operis ſatisfactorij, nec poſſe poſt abſolutionem effectum aliquem habere ex opere operantis, ſed etiam probant pœnitentiam peractam ante abſolutionem non habere poſt abſolutionem effectum aliquem ex opere operato; ex his, quæ, vt diximus, pœnitentia habet cauſare, ſi in ſtatu gratiæ perficiatur, quales ſunt augmentum gratiæ, iuxtà ſententiam docentem, ſatisfactionem Sacramentalem augere gratiam, nouumque gradum gratiæ conferre, & remiſſio aliqua certa, quoad gradum pœnæ temporalis relictæ ex ipſo peccato condonato, præter illam, quæ fit ex opere operantis, quæ eſt maior, vel minor in entitate, & gradu iuxtà maiorem, vel minorem feruorem, & diſpoſitionem operantis, quia ſatiſfactio Sacramentalis eſt pars in-

Q te-

tegralis Sacramenti ex peculiari intentione inſtituta à Chriſto Domino ad remiſſionem pœnæ temporalis, ac proindè ex peculiari intentione Chriſti in remittenda pœna debet habere ſuum effectum ex opere operato. Idque etiam ex eo confirmatur; quia totum hoc Sacramentum, quoad partes ſuas eſſentiales, & integrales inſtitutum fuit à Chriſto Domino ad remiſſionem culpæ mortalis, & pœnæ temporalis ex remiſſione huius culpæ relictæ; hæc autem pars non ordinatur ad remiſſionem culpæ; igitur ordinatur ad remiſſionem pœnæ, ac proindè quoad remiſſionem huius pœnæ debet habere ſuum effectum ex opere operato; nam hæc pars hunc maximè effectum ſignificat; nam ſatisfactio nil aliud eſt, quam quædam portio, ſeù commutatio, aut compenſatio pœnæ temporalis alterius vitæ in ſatisfactionem, ſeù pœnitentiam impoſitam à Confeſſario; ergò ſpecialiter ſignificat remiſſionem illius pœnæ; igitur illam efficit ex opere operato, cum id efficiant Sacramenta nouæ legis, quod ſignificant.

Ad hos igitur effectus, vti dicebam, ex opere operato producendos pœnitentia extra ſtatum gratiæ peracta per aduenientem gratiam non viuificatur, idque ex ratione iam allata; quia id quod non remanet, neq; in ſe ipſo, neque in acceptatione Diuina, non viuificatur ad effectus, neque ex opere operantis, neque ad effectus ex opere operato producendos; quia quod nullo modo eſt, nullum effectum nec etiam ex opere operato poteſt producere; pœnitentia autem illa nullo modo eſt, nam non eſt neque in ſe ipſa, quia transiuit, neque eſt in acceptatione Diuina. Ergo quamuis abſolutio poſtmodum adueniat, nullum effectum, neque ex opere operantis, neque ex opere operato poteſt producere, cum ſit opus mortuum, quod in ſe viuificari nequit, ac proindè nullum vnquam effectum producere.

Obijcies. Confeſſio cum fictione, ſeù abſque contritione, aut propoſito peracta recedente fictione confert ſuū effectum, ergò etiam ſatisfactio. Antecedens eſt Sancti Thomæ *in 4. ſent. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. quæſtiunc. 1.* Conſequentia verò probatur, quia non videtur maior ratio, quod confeſſio recedente fictione habeat ſuum effectum, non verò ſatisfactio.

Reſpondetur, quod ſatisfactio, & contritio neceſſariò requirunt charitatem, & ideò ſi abſque charitate fiant ſunt opera mortua, quæ proindè nunquam reuiuiſcunt, & ideò nec recedente fictione ſuum habent effectum; At confeſſio, vt vera ſit, & valida non requirit charitatem, & ideò recedente fictione ſuum habet effectum, abſque eo, quod iteretur à Confitente, ita S. Thomas *quæſtiunc. cit. ad 2.* nam cum in ea quæſtiuncula doceat, quod non eſt de neceſſitate confeſſionis, ſecundum quod eſt pars Sacramenti, quod ſit charitate formata, quia confeſſio, vt eſt pars Sacramenti ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet claues Eccleſiæ, qui per confeſſionem conſcientiam confitentis cognoſcit, & ſecundum hoc confeſſio poteſt eſſe etiam in eo, qui non eſt contritus, quia poteſt pecca-

ta

ta ſua pandere Sacerdoti, & clauibus Eccleſiæ ſe ſubijcere: Et quamuis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet: Sicut etiam in alijs Sacramentis eſt; vndè non tenetur reiterare confeſſionem, qui fictus accedit, ſed tenetur poſtmodùm fictionem ſuam confiteri: Cum contra hæc obijciat idem S. Doctor argumentum illud, quod Confeſſio diuiditur contra contritionem, & ſatisfactionem, ſed contritio, & ſatisfactio nunquam poſſunt extra charitatem fieri, ergò nec confeſſio. Reſpondet hoc pacto. *Ad ſecundum dicendum, quod contritio, & ſatisfactio fiunt Deo, ſed confeſſio fit homini: & ideo de ratione Contritionis, & ſatisfactionis eſt, quod homo ſit Deo per charitatem vnitus, non autem de ratione confeſſionis.*

Ex his autem patet ſolutio ad obiectionem factam, nam ideò Contritio, & ſatisfactio, nec recedente fictione, ſeù peccato, effectum producunt, quia tam contritio, quàm ſatisfactio exigunt, vt fiant in charitate, nam ordinant hominem ad Deum, & ſatisfactio fit Deo; Vndè ſi extrà charitatem fiant ſunt opera mortua, etſi aliàs bona; opera verò mortua nunquam reuiuiſcunt, vt dictum eſt ſuprà, & ideò contritio, & ſatisfactio nec recedente fictione ſuum habent effectum; At verò Confeſſio, quia ſecundùm quod eſt pars Sacramenti ordinat Confitentem ad Sacerdotem, & fit homini, ideò non exigit, quod fiat in charitate; vndè erit vera confeſſio, ſi vera peccata pandat, etiamſi cum fictione fiat; & ideò, vt ſit vera confeſſio non exigit, quod fiat in charitate, ac proindè non eſt iteranda, ſed ſolùm fictio aperienda, & hac ratione dicitur, quod recedente fictione confeſſio ſuum habet effectum, non verò ſatisfactio.

Obijcies Can. *Quærat hic aliquis de Pœnitentia diſt.* 3 §. *Illud autem*, vbi ſic habetur: *Quod autem in fine obijcitur (ſi ſatisfactio illa fuit, veniam impetrauit: ſi autem non impetrauit, ſatisfactio non fuit, adhuc ſibi pœna imponenda eſt) non procedit argumentatio; ſatisfactio namque eſt, dum ipſius peccati cauſa exciditur, & eius ſuggeſtionibus aditus non indulgetur: ſed eius fructus non percipitur impeditus peccato, quod non deſeritur; percipitur autem, cum eius pœnitentia fuerit ſubſequuta; ſicut ad lauacrum fictè accedens, regenerationis Sacramentum accipit, non tamen in Chriſto renaſcitur: renaſcetur autem virtute Sacramenti, quod perceperat, cum fictio illa de corde eius receſſerit veraci pœnitentia.*

Reſpondetur allata verba eſſe Gratiani, ac proindè non cogere ad tenendum id, quod ibi dicitur; Ex dictis verò à nobis falſi conuincitur dictum Gratiani, ſicut & diſparem rationem eſſe de Baptiſmo cum fictione recepto, ac de ſatisfactione in ſtatu peccati, ſeù extra ſtatum gratiæ peracta. Gloſſa etiam huic aſſertioni Gratiani contradicit, vt ibi poteſt videri: Mirum eſt autem, Recentiores ea verba pro eorum ſententia afferre ex laudato Canone, non aduertendo, illa eſſe verba Gratiani, non Canonis.

At verò pro intelligentia mentis S. Thomæ, obſeruandum eſt, quod cum *loco cit.* ait, dari poſſe confeſſionem informem, quæ recedente fictio-

ne ſuum habeat effectum, fere omnes Authores, etiam Thomiſtæ, putant, Sanctum Doctorem ibi docere, quod dari poſſit Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe, quod recedente fictione ſuum habeat effectum. Cum tamen Sanctus Doctor ibi non velit, dari poſſe Sacramentum Pœnitentiæ informe, quod recedente fictione ſuum cauſet effectum, accipiendo Sacramentum pœnitentiæ pro omnibus illis, quæ conſtituunt Sacramentum Pœnitentiæ, prout videlicet includit etiam ipſam abſolutionem Sacramentalem, quaſi etiam ipſa Sacramentalis abſolutio pœnitenti cum fictione accedenti collata, valida ſit, licet informis; non eſt hæc, inquam, Sancti Thomæ mens; ſed eius mens illa eſt, quod loquendo de Sacramento Pœnitentiæ, prout præcisè importat partem illam, quæ eſt confeſſio, dari poteſt Sacramentum validum, quoad confeſſionem, ſed informe, quia confeſſio facta ſit cum fictione, quod tamen recedente fictione ſuum habeat effectum; vndè in ea quæſtione non quærit S. Thomas abſolutè, *Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ poſſit eſſe informe*, ſed quærit, *vtrum confeſſio poſſit eſſe informis*, & in corpore articuli, & in ſolutionibus argumentorum loquitur præcisè de confeſſione; Igitur de confeſſione loquendo, ait S. Thomas, dari poſſe confeſſionem informem, validam, quæ recedente fictione ſuum habeat effectum, vt ſi contingat, aliquem cum fictione, hoc eſt abſque contritione peccata ſua Sacerdoti confiteri, & ab eo abſolutionem recipere, vt confeſſio illa ſuum habeat effectum non requiritur, vt iteretur, ſed ſat eſt, vt confitens fictionem confiteatur, eidem videlicet Sacerdoti, cui confeſſus eſt; Loquitur enim S. Thomas de confeſſione in ordine ad eumdem Sacerdotem, cui iam facta ſit confeſſio, nam loquitur de Sacerdote, qui per confeſſionem conſcientiam confitentis cognoſcit, & vt obſeruant Paludanus, & Capreolus, *in* 4. *d.* 17. *quæſt.* 2. refert ſe S. Thomas ad ea quæ communiter, & de iure communi accidunt, quod homo confiteatur Curato ſuo; & huic Sacerdoti, inquit, non eſt neceſſarium iterum peccata confiteri, ſi confitens cum fictione confeſſus eſt, ſed ſat eſt eidem fictionem manifeſtare, nam peccata iam cognouit per confeſſionem. Nec enim dicere potuit Sanctus Thomas, vt qui cum fictione confeſſus eſt vni Sacerdoti, poſſit abſque iteratione confeſſionis præteritæ ab alio Sacerdote abſolui, per hoc præcisè, quod ſolam fictionem confiteatur, dicendo ſe alíqua peccata alij Sacerdoti confeſſum fuiſſe cum fictione, abſque contritione, non exponendo ipſa peccata; Id enim fieri nequit, vt de ſe patet; Loquitur ergò S. Thomas de vno, eodemque Sacerdote, cui facta ſit confeſſio peccatorum cum fictione, & abſolutio etiam ab eo ſit recepta. Et ſic verum eſt, quod ait Sanctus Thomas, confeſſionem eſſe poſſe informem, quæ recedente fictione ſuum habeat effectum. Nam cum confeſſio, vt ait S. Thomas fiat homini, & ordinet confitentem ad Sacerdotem, qui habet claues Eccleſiæ, qui per confeſſionem conſcientiam Confitentis cognoſcit, non exigitur

gitur, quod fiat in charitate, vt ſit vera, & valida, ſed ſat eſt, quod per eam Sacerdoti peccata confitentis innoteſcant, vt tamen ſuum habeat effectum requiritur amotio fictionis. & gratia per nouam abſolutionem collata, nam confeſſio non poteſt gratiam cauſare, niſi remoueatur obex, & confeſſio iuncta ſit cum abſolutione, nullum enim Sacramentum, nec aliqua eius pars, gratiam confert, niſi ſit perfectum, & in ſuo eſſe conſtitutum.

Hanc eſſe mentem S. Thomæ euidens eſt, tum quia S. Doctor non loquitur de Sacramento Pœnitentiæ, quoad omnes ſuas partes, ſed præciſè, vt importat confeſſionem, vndè loquitur tantùm de confeſſione, vt eſt diſtincta pars à contritione, & ſatisfactione, de quibus ſuis locis ſpeciales quæſtiones excitat. Tum quia Sanctus Thomas non poteſt intelligere Sacramentum Pœnitentiæ perfectum, completum dari poſſe informe, & validum ex defectu doloris, aut propoſiti, cum certum ſit iuxtà eumdem Sanctum Doctorem contritionem neceſſariam eſſe ad validitatem Sacramenti, & contritionem eſſe partem eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ, quod proindè conſiſtere nequeat abſque contritione. Tum quia Sanctus Thomas *in 4. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 2.* ideò concedit, quod Baptiſmus recedente fictione, & adueniente charitate ſuum habeat effectum, quia Baptiſmus remanet quoad aliquid ſui in Baptizato etiam cum fictione, ſcilicet quoad characterem, & ideò Baptiſmus recedente fictione ſuum ſortitur effectum, ac proindè Sacramentum illud, cuius nihil relinquitur poſtquam completum eſt, cuiuſmodi eſt Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt recedente fictione ſuum effectum habere. Quod autem dicunt Paludanus, & Capreolus *in 4. ſentent.* & Syluester *in ſumma verb. Confeſſio num. 26.* per confeſſionem, & Sacramentum Pœnitentiæ, etiam informe, relinqui in pœnitente ornatum, & diſpoſitionem quamdam, ratione cuius recedente fictione Sacramentum pœnitentiæ poſſit cauſare gratiam; abſque vllo fundamento aſſeritur, & eadem facilitate, qua dicitur, reijcitur.

Eſt ergò certum apud S. Thomam non dari poſſe Sacramentum Pœnitentiæ validum, ſed informe, quod recedente fictione ſuum habeat effectum, ſolumque id affirmat de confeſſione Sacramentali in ſenſu explicato, & cum *loc. cit.* ait, confitentem cum fictione peccata ſua recedente fictione percipere abſolutionis fructum, ſicut etiam in alijs Sacramentis; ſenſus eſt, quod ſicut dantur aliqua Sacramenta, quæ recedente fictione gratiam conferunt, vti Baptiſmus, & Confirmatio, ita & Sacramentum Pœnitentiæ, prout importat confeſſionem Sacramentalem, recedente fictione confert gratiam.

Obijcies iterum contra principalem aſſertionem, Confeſſio, & attritio ſunt Deo acceptæ, & tamen non eliciuntur à pœnitente in ſtatu gratiæ, quia antecedunt gratiæ collationem, ergò & ſatisfactio poteſt eſſe Deo accepta, etiamſi non fiat in ſtatu gratiæ.

Reſpondetur, negando conſequentiam

tiam, nam confeſſio neceſſariò exigit, vt præcedat abſolutionem, non enim regulariter reus abſoluitur, niſi priùs confiteatur crimen; Contritio verò eſt diſpoſitio ad gratiam, vndè & ipſa debet gratiam præcedere, cum ſit cauſa diſpoſitiua gratiæ, cauſa enim præcedit effectum, at ſatisfactio ex propria ratione debet præſtari in ſtatu gratiæ, ſatisfactio enim debet eſſe accepta Deo, cui fit ſatisfactio, non poteſt autem ſatisfactio eſſe Deo accepta, niſi ſit ab amico, & conſequenter niſi ſit ab eo, qui conſtitutus eſt in ſtatu gratiæ, vt dictum eſt ſuprà. Eſt autem animaduertendum, quod confeſſio, & contritio, dupliciter poſſunt conſiderari; Vno modo ſecundum ſe: Alio modo ſecundum quod ſimul cum forma conſtituunt vnum totum, quod eſt Sacramentum Pœnitentiæ. Iuxtà priorem conſiderationem, illi actus tantùm ſe habent diſpoſitiuè ad gratiam, & ad remiſſionem peccatorum; Iuxtà poſteriorem ad illos effectus ſe habent effectiuè, ſicut totum Sacramentum effectiuè valet ad proprium ſuum effectum. Nec obſtat, quod virtus remiſſiua peccati ſit principaliter ſita in verbis formæ, quæ Sacerdos profert, nam ſic eſt in verbis formæ ſita, vt ab illis deriuetur, & communicetur actibus pœnitentis, quatenus ex ipſis ſimul cum forma vnum Sacramentum conſtituitur, idque efficax remiſſionis, & gratiæ, quam ſignificant, Actus ergò pœnitentis, ſcilicet Contritio, Confeſſio, & ſatisfactio ſunt cauſa gratiæ, & remiſſionis peccati, confeſſio quidem, & contritio diſpoſitiuè, & effectiuè, ſatisfactio verò ſolùm effectiuè, quatenùs coniungitur formæ, à qua ſicut, & alij actus, eleuantur, & ideò effectus remiſſionis peccati non attribuuntur pœnitenti, tanquam cauſæ efficienti, ſed Sacerdoti, qui formam pronunciat, hoc eſt Sacerdoti legitimo Miniſtro. Ideò S. Thomas 3. *p. q.* 86. *art.* 6. ait, quod remiſſio culpæ eſt effectus pœnitentiæ, principaliter quidem ex virtute clauium, quas habent Miniſtri, & quorum poteſtate accipitur, id quod eſt formale in hoc Sacramento. Secundariò autem ex vi actuum pœnitentiæ pertinentium ad virtutem Pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claues Eccleſiæ.

DVBIVM INCIDENS.

Quænam Sacramenta iuxtà ſententiam S. Thomæ informia eſſe poſſint, & valida, quæ recedente fictione ſuum habeant effectum.

ASSERTIO VNICA.

Iuxtà ſententiam S. Thomæ tria tantùm Sacramenta informia eſſe poſſunt, & validæ, quæ recedente fictione ſuum habent effectum, & ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo.

PRobatur. Nam vbi Sanctus Thomas docet, Baptiſmum rece-

cedente fictione ſuum effectum habere, huius eam rationem affert, quod Baptiſmus imprimit characterem, qui cum relinquatur etiam in accedente ficte ad Baptiſmum, tanquam forma ipſius Baptiſmi, recedente fictione Baptiſmus per characterem relictum, ſuum operatur effectum. Igitur idem dicendum de Confirmatione, & Ordine, nam & hæc Sacramenta imprimunt characterem. Ratio autem eſt, quia Sacramenta hæc characterem imprimentia, licet cum fictione recipiantur, permanent in ſubiecto ratione characteris, quem indelebiliter impreſſum relinquunt, quique quodam modo eſt ipſum Sacramentum, nam character, eſt res, & Sacramentũ ſimul, & ideò cum Sacramẽta iſta quoad characterẽ per fictionẽ non ſint remota, poſſunt recedente fictione ſuum effectum habere. Alia verò Sacramenta, quæ characterẽ non imprimunt, cum per fictam receptionem totaliter eſſe deſinant, ac proindè nullatenus exiſtant, non poſſunt recedente fictione ſuum effectum habere, quod enim non eſt, non poteſt cauſare.

Sic docet S. Thomas 3. *par. quæſt.* 70. *art.* 10. nam ibi, ait, quòd cum aliquid generatur ſimul cum forma, recipit effectum formæ, niſi ſit aliquid impediens, quo remoto forma rei generatæ perficit ſuum effectum, ſicut ſimul cum corpus graue generatur, mouetur deorſum, niſi ſit aliquid prohibens, quo remoto ſtatim incipit moueri deorſum; Et ſimiliter, quando aliquis baptizatur accipit characterem, quaſi formam, & conſequitur proprium effectum, qui eſt gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Vndè oportet, quod remota ea per pœnitentiam Baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum.

Et in 4. *ſentent. diſt.* 4. *q.* 3. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. ſic ait, In Baptiſmo imprimitur character, qui eſt immediata cauſa diſpoſitionis ad gratiam, & ideò cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character, qui eſt præſens in anima, incipit habere effectum ſuum, & ita Baptiſmus recedente fictione effectum ſuum conſequitur.

Et ibidem ad 3. ait, quod in Euchariſtia non imprimitur character, cuius virtute poſſit aliquis virtutem Sacramenti percipere, fictione recedente, & ideò non eſt ſimile de Euchariſtia, in qua recedente fictione, Euchariſtiæ effectum non percipit, qui priùs fictus acceſſerat.

Ratio igitur, ob quam S. Doctor ait, quod Baptiſmus recedente fictione gratiam confert, ea eſt, quod Baptiſmus imprimit characterem, qui cum non tollatur per fictionem, hac remota Baptiſmus per characterem habet ſuum effectum; Ratio autem hæc, & ea quam 3. *par.* adducit, communis eſt Baptiſmo, Confirmationi, & Ordini, in illis enim imprimitur character, quaſi forma quædam. Omnis autem forma conſequitur effectum impedimento remoto. De reliquis verò Sacramentis, id non poſſumus aſſerere, cum nullum id aſſerendi fundamentum habeamus, neque ex ſcripturis, neque ex Patribus, aut traditionibus, nec etiam ratio ſuf-

ficiens

ficiens ſuffragetur. Quare de ſolis Sacramentis, quæ characterem imprimunt id concedendum videtur, quod eſſe poſſint informia, & valida, & quod recedente fictione gratiam conferant, hancque ſententiam ex Scholaſticis non pauci ſuſtinent, Maior. *in* 4. *ſent. diſt.* 4. *q.* 4. Paludanus *quæſt.* 5. Gabr. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. *art.* 3. Syluester, verbo *Baptiſmus* 4. *q.* 17. & non videtur diſſentire S. Bonauentura, & Richardus, dum *diſt.* 4. *ad finem* 1. *partis*, negat ille, Euchariſtiam, iſte Pœnitentiam, conſequi effectum recedente fictione, ex eo quod hæc Sacramenta non imprimant aliquam indelebilem diſpoſitionem ad gratiam, & conſequenter ſint iterabilia.

Idem docet Albertus Magnus *in* 4. *d.* 4. *art.* 4. & ad quartum ait, quod Baptiſmus manet in ficto per manſionem characteris, qui vocatur propriè Sacramentum, & ideò non habens obſtaculum operatur gratiam eo modo, quo ipſum eſt cauſa, ſcilicet diſponens, & Deus tunc efficit gratiam in iſto, vndè hæc eſt falſa, quod Baptiſmus tranſijt, quia manſit, vt eſt character. Eadem habet *diſt.* 17. *art.* 6. in ſolutione ſeptimi argumenti. Ergò ſolùm Sacramenta, quæ imprimunt characterem informia eſſe poſſunt, & valida, quæ tamen recedente fictione ſuum producant effectum medio charactere; hinc S. Thomas *diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. ait, quod quædam Sacramenta ſunt, in quibus ex adminiſtratione Sacramenti, ſemper conſequitur aliquis effectus in ſuſcipiente, nec impeditur propter indiſpoſitionem ſuſcipientis, ſicut eſt in omnibus Sacramentis, quæ imprimunt characterem.

Nec dicatur, reliqua Sacramenta relinquere ornatum, aut diſpoſitionem in voluntate, quæ etiam cum fictione remaneat, ratione cuius fictione remota poſſit habere ſuum effectum; nam id ſine vllo fundamento aſſeri, diximus ſupra, & certum eſt, Sanctum Thomam huiuſmodi ornatus, aut diſpoſitionis nullibi meminiſſe, alias non negaſſet, Euchariſtiam recedente fictione, gratiam conferre, cum tamen id neget, vt conſtat ex *loco cit.* Et ideò negat, Euchariſtiam recedente fictione gratiam conferre, quia Euchariſtia non imprimit characterem, cuius virtute poſſit aliquis virtutem Sacramenti percipere fictione recedente; Ergò nihil agnoſcit in Euchariſtia, cuius virtute poſſit aliquis virtutem Sacramenti percipere fictione recedente.

Nec etiam objiciatur, quod Sanctus Thomas *loc. ſupra cit.* aſſerat, confeſſionem remota fictione ſuum effectum habere, ſicut etiam in alijs Sacramentis. Nam cum Sanctus Doctor ait (ſicut in alijs Sacramentis) non eſt ſenſus, quod reliqua omnia Sacramenta gratiam conferre habeãt recedente fictione, cum hoc expreſsè neget de Euchariſtia, vt modò dictum eſt; ſed ſenſus eſt, quod dentur etiam alia Sacramenta, quæ recedente fictione gratiam conferant, & hæc ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, & hoc ipſum non admittit de Sacramento Pœnitentiæ, vt dicit totum ipſum Sacramentum, ſed ſolùm de Confeſſione, quæ cum permaneat

in

in memoria Confeſſoris, ſi ſemel valida ſit, vt ſupponitur, recedente fictione ſuum habet effectum: Ipſum tamen Sacramentum Pœnitentiæ, prout importat etiam abſolutionem Sacramentalem, cum nihil relinquat in pœnitente, nec ipſum recedente fictione ſuum habet effectum.

Cum igitur S. Thomas eo referat, quod Baptiſmus recedente fictione gratiam conferat, quia poſt collatum Baptiſmum relinquitur character, cum in Sacramento Pœnitentiæ nulliter collato nihil relinquatur in pœnitente, euidens eſt, iuxtà ſententiam S. Thomæ, non dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, quod recedente fictione habeat effectum; Idque Sanctum Doctorem ſentire ex eo etiam conſtat, quod ipſe perpetuò doceat, Contritionem eſſe de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, vt in *4. ſent. diſt. 17. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 1. & diſt. 23. q. 2. art. 4. quæſtiunc.* 2. Cum autem iuxtà ipſum contritio ſit pars eſſentialis Sacramenti, & aliàs certum ſit, nihil poſſe conſiſtere abſq; parte ſua eſſentiali, euidens eſt, & iuxtà S. Thomam, conſiſtere non poſſe Pœnitentiæ Sacramentum abſque contritione. Et quidem hæc videtur vera ſententia, & conformis Concilijs Florentino, & Tridentino; nam ab his aſſignatur veluti pars Sacramenti eſſentialis, Contritio, ita nimirùm, vt ſi ipſa deſit, Sacramentum non ſubſiſtat, ſi autem adſit, & aliundè non ſit defectus, ſubſiſtat.

Et rurſus eadem Concilia ita aſſignant materiam, & formam Sacramenti Pœnitentiæ, vt nulla alia, quæ à Contritione, & Satisfactione ſit diuerſa poſſit aſſignari. Satis autem conuenit, quod ſatisfactio non ſit pars eſſentialis, relinquitur ergò, vt Contritio, quæ non minus neceſſaria eſt, quàm Confeſſio, ſit cum Confeſſione pars eſſentialis; quam ob cauſam iſta Concilia ſemper aſſignant Contritionem pro materia, & quidem primo loco, neque vnquam (illa prætermiſſa) aſſignant aliquem actum pœnitentis, qui non ſit veri nominis Contritio, licet imperfecta. Hoc ipſum ex eo etiam conſtat, quod Contritio eſt neceſſaria, vt ſi Confitenti nulla adſit contritio, ipſe non ſit verè, & coram Deo abſolutus, etiamſi Confeſſarius ſuper ipſum verba abſolutionis proferret, vti declarat Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 6. Ergò dicenda eſt pars eſſentialis. Ideò Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 1. *dub.* 2. Ex tribus illis partibus materialibus, quæ ſunt, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio, ait, quod Contritio, & Confeſſio ſpectant non tantùm ad integritatem, ſed etiam ad eſſentiam ipſius Sacramenti, quod tamen de ſatisfactione, quæ tantùm eſt pars integralis eiuſdem, dici nequit. Additque ex Soto, & Valentia hanc ſententiam eſſe communem, & Gaſpar Hurtado *diſp.* 4. *de Pœnitentia diffic.* 1. *& diſp.* 6. *difficult.* 1. expreſſis verbis ait, Contritionem eſſe partem eſſentialem, & requiſitam ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ. Et eodem modo loquuntur Sanctus Antoninus *par.* 3. *tit.* 14. *cap.* 19. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *par. diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 5. *&* 8. Vaſquez *quæſt.* 92. *art.* 2. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 10. *& lib.* 5. *cap.* 3. Meratius *diſp.* 20. *de Pœnitentia ſect.* 1.

Ioannes Puteanus 3. *par. q.* 86. *art.*1. *dub.* 3. & Cardinalis de Lugo *de Sacramento Pœnitentiæ diſp.* 24. *ſect.* 1. qui pariter dicit hanc ſententiam eſſe veram, & communem Theologorum.

Cum autem S. Thomas 3. *p. q.* 90. *art.* 3. ait, quod Contritio, Confeſſio, & ſatisfactio ſint partes integrales Sacramenti Pœnitentiæ, non negat, quod Contritio, & Confeſſio ſint partes eſſentiales, nam & partes eſſentiales, dici poſſunt partes etiam integrales, quamuis non omnes partes integrales ſint eſſentiales. Vndè idem S. Thomas *art. cit.* in argumento, ſed contra, ait, partes integrales dici, ex quibus perfectio totius integratur, & quia ex tribus prædictis perfectio ipſius Pœnitentiæ integratur, ideò prædicta eſſe partes integrales Pœnitentiæ; Id autem, quod eſt integrare perfectionem alicuius, competit etiam partibus eſſentialibus. Sicut & partibus eſſentialibus competit, quod S. Doctor in corpore articuli ait, quod de ratione partis integralis exigitur, vt totum non adſit ſingulis partibus, neque ſecundum totam virtutem eius, neque ſecundum totam eius eſſentiam, ſed omnibus ſimul. Hoc enim partibus etiam eſſentialibus competit.

Alij etiam diſtinguunt partes integrales in principales, & ſecundarias, ſeù minus principales: Contritionem autem, & Confeſſionem dicunt eſſe partes principales Sacramenti Pœnitentiæ, ſatisfactionem verò minus principalem, ac propterea ſine ſatisfactione verum eſſe poſſe Sacramentum reconciliationis, ſed imperfectum; Abſque Contritione verò, & confeſſione, ſeù aliquo ſupplente locum Confeſſionis, Sacramentum non poſſe conſiſtere.

Ea etiam ratio ſuffragatur; Nam ſi pœnitens defectum ſuum aduertit, vel hunc confitetur, vel non, ſi primum, abſolui non debet quamdiù talis eſt, quia Sacerdos non poteſt abſoluere eum, quem ſcit indiſpoſitum, & ſi tentet, nihil agit: ſi poſterius Confeſſio non eſt integra, cum hoc ipſo mortaliter peccet; Si verò defectum non aduertit, talis inaduertentia non facit, eum habere materiam Sacramenti neceſſariam, & ideò cum ea deſit, Sacramentum non ſubſiſtit. Quare ſententia vera eſt, dari non poſſe Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, præſertim ex defectu Contritionis, & ita ſentiunt Adrianus 4. *de Confeſſione*, Maior. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 9. Gabr. *quæſt.* 1. Ioannes Medina *tract.* 2. *q.* 20. *de Confeſſione*, Vaſquez *tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 92. *art.* 2. *nu.* 13. Layman. *tract.* 6. *cap.* 9. *de Sacramento Pœnitentiæ*, Fagundez *de* 2. *precepto lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 2. & *cap.* 4. *num.* 13. *lib.* 2. *cap.* 7. cum multis alijs ab eo citatis, Gammacius *cap.* 21. *de Pœnit.* Gonet *tom.* 15. *diſp.* 10. *art.* 1. §. 2. *dicto* 2. & *alij.*

Efficax aliud ex dictis argumentum pro vera ſententia in Aſſertionibus principalis quæſtionis propoſita.

AD principalem quæſtionem redeundo. Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, efficax conficitur argu-

argumentum, quo conuincatur non expedire, quod Confitentibus pœnitentia iniungatur ante abſolutionem Sacramentalem explenda. Nam non expedit pœnitentiam iniungere, per quam pœnitens Deo non ſatisfaciat, & per quam nec remittatur pœna, nec augeatur gratia: Atqui huiuſmodi eſt pœnitentia ante abſolutionem Sacramentalem explenda, ergò non expedit, Confitentibus pœnitentiam iniungere explendam ante Sacramentalem abſolutionem. Conſequentia eſt optima, Maior de ſe patet, & minor conſtat ex dictis.

E contra verò expedit pœnitentiam confitentibus iniungere, per quam ipſi Deo ſatisfaciant, & per quam augeatur gratia, & eis conferantur auxilia ad præcauenda in poſterum peccata; Atqui huiuſmodi eſt pœnitentia poſt abſolutionem Sacramentalem explenda, ergò expedit pœnitentiam Confitentibus iniungere poſt Sacramentalem abſolutionem explendam, hæc etiam conſequentia eſt optima, maior de ſe patet, & minor conſtat ex dictis.

Nec apparet bonum aliquod per pœnitentiam expletam ante abſolutionem Sacramentalem pœnitentibus collatum, per quod tot bonorum iactura compenſetur. Nec aliquod rationabile motiuum affertur, quo expediens fiat, vt pœnitentia Sacramentalis ante abſolutionem Sacramentalem explenda pœnitentibus iniungatur. Nam ſi pœnitens non ſit diſpoſitus, quia verum dolorem, aut propoſitum non habeat, iam diximus non ideò Confitentibus iniungendam eſſe pœnitentiam Sacramentalem ante abſolutionem Sacramentalem, explendam; ſed iniungendam eſſe pœnitentiam non Sacramentalem, & merè medicinalem, per quam pœnitens diſponatur. Quin eo caſu differenda eſt, immò abſolutè neganda, nedum abſolutio Sacramentalis, ſed etiam Sacramentalis pœnitentia; cum hæc ſit pars Sacramenti; Confitenti enim indiſpoſito nihil de Sacramento conferendum eſt; & poſito, quod ei poſſet Sacramentalis pœnitentia ante abſolutionem Sacramentalem, iniungi, illum diſponeret, non quia pœnitentia illa Sacramentalis eſſet, ſed quia pœnitentia; Nihil ergò facit ad diſponendum pœnitentem, quod pœnitentia iniuncta ſit Sacramentalis, benè tamen facit, quod ſit pœnitentia, ſeù opus pœnale; poteſt ergò Confitens ſufficienter diſponi per pœnitentiam non Sacramentalem; immò neceſſarium eſt, quod pœnitentia illa, quæ indiſpoſito iniungitur, ſit non Sacramentalis ex ratione adducta.

ASSERTIO TERTIA.

Falſum eſt, quod primis duodecim ſæculis, ea praxis in Eccleſia Dei ſeruata fuerit, vt pœnitentibus etiam grauiorum criminum reis, nonniſi poſt peractam pœnitentiam Sacramẽtalem, abſolutio Sacramentalis impenderetur. Nec vl-

R 2 lum

lum afferri poteſt documentum, in quo aſſerta illa praxis contineatur.

PRobatur primò, ex Catechiſmo Romano *par. 2. cap. 5. num. 64.* Ibi enim ſic habetur. *Antiquiſſimo Eccleſiæ vſu receptum eſt, vt cum pœnitentes à peccatis ſoluuntur, pœna aliqua eis irrogetur, cuius pœnæ ſolutio, ſatisfactio vocari conſueuit.*

En Catechiſmus, nulla prorſus diſtinctione, aut limitatione grauiorum, aut leuiorum criminum appoſita, generaliter affirmat, ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, pœnitentiam Confitentibus irrogatā fuiſſe cum abſolutione, igitur pœnitentiæ adimpletio non præcedebat abſolutionem, ſed abſolutio ad impletionem præcedebat.

Sed & eodem *cap. 5. num. 68.* nil aliud à grauibus, & publicis peccatoribus ad abſolutionem prærequiſitum dicit, niſi quod publicam pœnitentiam ſuſciperent, hoc eſt acceptarent, ſeù reciperent. *Sapientiſſimè*, inquit, *illud ab Eccleſia ſeruatum eſt, vt cum ab aliquo publicè flagitium commiſſum eſſet, publica etiam pœnitentia ei indiceretur, vt cæteri timore territi, deinceps peccata diligentius vitarent, quod etiam in occultis criminibus, quæ grauiora eſſent, interdum fieri ſolitum erat, ſed in publicis, vt diximus, hoc perpetuum fuit, vt qui ea commiſerant, antequam publicam pœnitentiam ſuſcepiſſent, non abſoluerentur.*

Non dicit Catechiſmus, quod antequam publicam pœnitentiam implcuiſſent, aut peregiſſent, non abſoluerentur, ſed dicit, quod antequam publicam pœnitentiam ſuſcepiſſent non abſoluerentur. Suſcipere autem pœnitentiam, nil aliud eſt, quàm pœnitentiam iniunctam recipere, ſeù acceptare. Idque ex eo etiam patet, quod Catechiſmus in poſterioribus verbis refert ſe ad priora, inquiens, *in publicis, vt diximus, hoc perpetuum fuit, vt qui ea commiſerant; antequam publicam pœnitentiam ſuſcepiſſent, non abſoluerentur*, in prioribus autem verbis ſolùm dixerat, *In Eccleſia ſeruatum fuiſſe, vt cum ab aliquo flagitium commiſſum eſſet, publica etiam pœnitentia ei indiceretur*, indicere enim pœnitentiam, ſuſceptionem, ſeù acceptationem pœnitentiæ in pœnitente inuoluit, licet poſteà ſequatur etiam exequutio; Ergò cum Catechiſmus ad pœnitentiæ indictionem ſe referat, quam ante abſolutionem præmiſsam fuiſse dicit, ante abſolutionem ſolam pœnitentiæ indictionem, & ſuſceptionem, ſeù acceptationem fuiſse affirmat.

Sed & eos recentiores inſigniùs hallucinari compertum eſt, qui praxim illam antiquitùs in Eccleſia viguiſse affirmant, vt generaliter quorumcumque criminum reis, nonniſi poſt peractam pœnitentiam abſolutio Sacramentalis impenderetur; Nam huiuſmodi praxim minimè in Eccleſia ſeruatam fuiſse aſſerit ipſe Morinus, qui aliàs eam quoad grauiorum criminum reos extitiſſe contendit.

Nam *lib. 9. de adminiſtratione Pœnitentiæ cap. 14. num. 8.* ità ſcribit. *Crimina omnia, & peccata, quæ illis ſæ-*

culis

culis (ſeptem primis) non expiabantur per pœnitentiam publicam ſtatim, aut paulò poſt editam Sacerdoti confeſſionem, remittebantur, pauculis exceptis, quæ cum publica erant, Communionis Euchariſtiæ priuatione nonnunquam à Canonibus caſtigabantur.....cum autem crimina illa, & peccata frequentiſſima fuerint, ideò in confeſſionibus, multò frequentius coniungebatur abſolutio confeſſioni, quam ab ea ſeiungebatur.

Et *lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 2. ſic habet (*Peccata mortalia minus grauia, eodem planè modo antiquitus Eccleſia curabat, quo nunc vniuerſa ferè mortalia curare ſolet.... quo ab annis* 400. *ad hunc vſque diem omnia ferè mortalia peccata legimus ex Doctorum Scholaſticorum præceptis, & Eccleſiæ accurata praxi curata fuiſſe*)

Et *libr.*9. *cap.*1. *num.* 13. *Poſt diligentem*, inquit, *huius rei conſultationem, & innumerorum antiquitatis teſtimoniorum, & exemplorum varijs ſæculis editorum inter ſe collatorum..... deprehendimus, pleriſque peccatorum grauium, mortemque æternam inferentium generibus, abſolutionem, eo more, qui nunc, & ab aliquot ſæculis obſeruatur ab ipſis Eccleſiæ incunabulis conceſſam eſſe, in ijs verò, quibus abſolutio poſt actam pœnitentiam lege ordinaria differebatur, multis varijſque modis exceptam fuiſſe.*

Sed & in Orientalibus Eccleſijs abſolutionem poſt pœnitentiæ impoſitionem generaliter quorumcumque criminum reis impenſam fuiſſe idem Morinus affirmat *lib.*9. *cap.*14. *nu.*9. his verbis. *In Orientalibus Eccleſijs ab annis mille ducentis abſolutio à peccatis ſtatim poſt pœnitentiæ impoſitionem; aut etiam peccatorum confeſſionem dari conſueuit.*

Verùm & in Eccleſia Occidentali eam conſuetudinem ab initio fuiſſe, vt abſolutio Sacramentalis pœnitenti, ſua peccata ritè confitenti verèque dolenti, poſt peccatorum confeſſionem, & ante iniunctæ pœnitentiæ exequutionem impenderetur, ex mox dicendis amplius conſtabit.

Nam ex parte Authorum, cum quibus agimus, nullum aſſignatur, aut aſſignari poteſt ſolidum argumentum, quo praxim illam in Eccleſia olim fuiſſe conuincatur, vt rei criminum etiam grauiorum, nonniſi poſt peractam pœnitentiam Sacramentalem, Sacramentaliter abſoluerentur: Ex alia verò parte argumenta habemus conuincentia, eam praxim, nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe in Eccleſia, ergò de facto praxim illam in Eccleſia non fuiſſe dicendum eſt; Conſequentia eſt optima. Et antecedens probatur; nam in auctoritatibus Sacrorum Conciliorum, aut Sanctorum Patrum, quæ ab Authoribus illis afferuntur, non habetur, quod abſolutio Sacramentalis, iniunctæ pœnitentiæ executionem non præceſſerit; nec etiam in eis habetur, quod abſolutio, quæ poſt expletam pœnitentiam, criminum reis conceſſa dicitur fuerit Sacramentalis, immò plura infrà proferemus argumenta, quæ conuincunt abſolutionem illam non fuiſſe Sacramentalem, nec pro foro interno, ſed fuiſſe merè canonicam, & pro foro externo. Ergò ex parte Authorum illorum, nullum argumentum adducitur, quo conuin-

uincatur, praxim illam in Eccleſia fuiſſe, vt nonniſi poſt peractam pœnitentiam Sacramentalem criminum reis abſolutio Sacramentalis impenderetur. Ex alia verò parte, argumenta occurrunt conuincentia praxim illam nec fuiſſe, nec eſſe potuiſse in Eccleſia.

Primum argumentum eſt, quod pœnitentiæ, quæ in Canonibus pœnitentialibus habentur, ad multos annos protrahebantur, & multis annis exſoluendæ erant, nam pro peccato mortali regulariter ſeptem annorum pœnitentia iniungebatur, pro grauioribus verò criminibus,iuxta eorum grauitatem longior imponebatur pœnitentia; Vndè *Can. 9.* habetur, quod *qui contra naturam peccaſſet, ſi Clericus fuiſſet deberet deponi, vel Religioni tradi, ſi corrigibilis apparuiſſet, ad perpetuam pœnitentiam peragendam.* At quis dicat, Eccleſiam piam fidelium Matrem, Fideles ſuos pœnitentes, tot annorum ſpatio Sacramentaliter inabſolutos, Deoque irreconciliatos voluiſſe, illorumque ſalutem æternæ damnationis periculo expoſitam, cum eis mors etiam repentina obuenirę potuiſſet?

Nec dicatur, eos in ſtatu illo pœnitentiæ conteri potuiſſe. Nam cum contritionis actum perfectum difficile ſit haberi adhuc æternæ damnationis periculo expoſiti fuiſſent Fideles, ſi tot annorum decurſu abſque Pœnitentiæ Sacramento ad Contritionis perdifficilem actum remiſſi fuiſſent, & cum nullum rationabile obſtaculum intercederet, quo minus Eccleſia huiuſmodi Reis confitentibus, & pœnitentibus abſolutionem Sacramentalem ante iniunctæ pœnitentiæ executionem concederet, nam ſupponitur illos debita diſpoſitione non caruiſſe,abſolutionem illis ante iniunctæ pœnitentiæ executionem conceſſam fuiſſe, dicendum eſt.

Sed & cum Chriſtus Dominus in peccatorum reconciliationem Sacramentum Pœnitentiæ, vti facilè, ac promptum remedium ad gratiam obtinendam inſtituerit, in quo verè attritus cum propoſito amplius non peccandi, & cum ſpe veniæ gratiam obtineat, non eſt putandum, quod Eccleſia tot annis hoc medio ad ſalutem hominum à Chriſto inſtituto fideles deſtitutos voluerit.

Quàm porrò noxia fuiſſet, & periculoſa, aſſerta illa ad tot annos abſolutionis Sacramentalis dilatio, & ad actum Contritionis remiſſio, apparet ex his,quæ habentur in Romano Catechiſmo *par. 2. cap. 5.* In eo enim ſic habetur: *Vt concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeò vehementem, acrem, incenſam eſſe oportere, vt doloris acerbitas, cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſſit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum perueniunt, fiebat etiam, vt à pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet. Quarè neceſſe fuit,vt clementiſſimus Dominus faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleret; quod quidem admirabili conſilio effecit, cum claues Regni Cœleſtis Eccleſiæ tradidit: Etenim ex fidei Catholicæ doctrina, omnibus credendum, & conſtanter affirmandum eſt, ſi quis ita animo affectus ſit, vt peccata admiſſa doleat, ſimulque in poſterum non peccare conſtituat, & ſi eiuſmodi dolore non officiatur, qui* ad

ad impetrandam veniam ſatis eſſe poſſit: Ei tamen, cum peccata Sacerdoti ritè confeſſus fuerit, vi clauium ſcelera omnia remitti, ac condonari: Vt meritò à Sanctiſſimis Viris, Patribus noſtris celebratum ſit, Eccleſiæ clauibus aditum in Cœlum aperiri, de quo nemini dubitare fas eſt, cum à Florentino Concilio decretum legamus Pœnitentiæ effectum eſſe abſolutionem à peccatis.

Igitur dicendum, pœnitentibus ſua crimina in Sacramentali Confeſſione exponentibus, poſt iniunctam eis pœnitentiam, illaque ab eiſdem ſuſcepta, ſeù acceptata, abſolutionem Sacramentalem eis ante iniunctæ pœnitentiæ adimpletionem impenſam fuiſſe, & mox longas illas pœnitentias executioni mandatas fuiſſe. Idemque dicendum de alijs pœnitentijs publicis, vel ſolemnibus, quæ diſtinguebantur in gradus, ſeù ſtationes, ſcilicet fletus, auditiones, ſubſtrationes, & conſiſtentias. Nam in harum ſingulis ad plures annos pœnitentes permanebant, ita vt nonniſi poſt plures annos, ad vltimam ſtationem, quæ conſiſtentia dicebatur tranſirent, in qua, & alijs annis conſiſtebant, vt Morinus obſeruat. Idem, in quam, & de his pœnitentijs dicendum, pœnitentes videlicet poſt criminum confeſſionem, abſolutionem Sacramentalem recepiſſe, & indè iniunctis pœnitentijs executionem dediſſe.

Ad hoc etiam facit, quod S. Thomas docet *par.* 2. *quæſt.* 109. *art.* 8. nempè, hominem in ſtatu naturæ corruptæ poſſe abſque gratia iuſtificante vitare ſingula peccata mortalia, & ſecundum aliquod tempus, quia non eſt neceſſe, quod continuò peccet in actu, ſed quod diù maneat abſque peccato mortali, eſſe non poteſt, nam ad hoc neceſſe eſt, quod habeat cor ſuum firmatum in Deo, ita vt pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando ab eo ſeparari velit, & hanc firmitatem præſtat gratia, & Charitas, quibus caret peccator, vt ergo peccatores illi cor ſuum firmatum in Deo haberent, conſulendum eis fuit per Sacramentum Pœnitentiæ, in quo eis gratia, & charitas conferretur, quæ firmitatem illam præſtant; alias enim contritionem perfectam, perfectamque charitatem habere difficilè illis fuiſſet, vt diximus ſupra.

Sed & in proſequutione pœnitentiarum, Pœnitentiæ Sacramento fideles illos leuatos fuiſſe, credendum eſt; cum enim pœnitenti illæ longo tempore, & pluribus annis explendæ forent, vt fideles à peccatis facilius arcerentur, ſalubre Pœnitentiæ Sacramentum eis conferendum fuit.

Ex Concilio etiam Toletano Tertio *Can.* 11. colligi videtur, quod pœnitentes in ſtatu pœnitentiæ manentes, Pœnitentiæ Sacramentum frequenter ſuſciperent. Nam ſtatuitur, quod his, qui pœnitentiam non ſecundum Canones, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis agentes, quoties peccauerant, toties à Presbyteris ſe reconciliari poſtulabant *detur pænitentia ſecundum formam antiquorum Canonum, hoc eſt, vt prius eum, quem ſui pænitet facti, à Communione ſuſpenſum faciat inter reliquos pænitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicut*

Sacer-

Sacerdotalis contemplatio probauerit, eum communioni reſtituat. Vbi Communionis negatæ, & poſtmodum reſtitutæ nomine, nonniſi Euchariſtia, & cum ea Eccleſiaſtica, ſeù Canonica abſolutio intelligenda videtur, nomine verò impoſitionis manus, ad quam frequenter pœnitentes illos faciant recurrere ipſum Pœnitentiæ Sacramentum, intelligendum videtur. Quamuis enim etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ imponerentur fidelibus manus, & in actionibus pœnitentiarum, & in earum expletione, nil tamen obſtat, quominus in Canone illo 11. nomine impoſitionis manus, ad quam iubentur fideles crebro recurrere intelligatur ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, nam & Sacramentum Pœnitentiæ præſertim per manus impoſitionem conferebatur. Et conſtat ex Canone S. Bonifacij Germanorum Apoſtoli à Zacharia Pontifice confirmato Anno 742. quem refert Beatus Iſaac *tit. 1. cap. 11.* & ſic habet.

Non eſt mirandum ſi abſolutio peccatorum per manus impoſitionem precibus fit Sacerdotum, cum Dominus in veteri lege ſuper caput Hoſtiæ manum Sacerdotis præceperit imponi. Etenim ſicut tunc per illam Hoſtiam, ita nunc inuocatione Sancti Spiritus, qui eſt remiſſio peccatorum, per manus Epiſcoporum, vel eorum auctoritate reliquorum Sacerdotum, impoſitionem, vel ſupplicationibus eorum remittantur peccata. Nam quando Dominus Lazarum ſuſcitauit, ait ſuis diſcipulis: tollite lapidem: ſubauditur, vt mortuus reſurgat, dans exemplum, vt ſicut ipſi manibus tollunt lapidem, vt mortuus ſurgat, ita & ipſi, & Succeſſores eorum manus pœnitentibus imponant, et per impoſitionem manuum, ſuis precibus mortuum de ſepulchro, id eſt peccatorem de vitijs ſurgere, & releuare faciant. Et ſicut illi Lazarum inſtitis, id eſt, funibus colligatum, iubente Domino, ſoluunt, qui ait: Soluite eum, & ſinite abire: ita iſti eorum ſupplicationibus, auxiliante Domino, & comitante Spiritu Sancto, qui in his ſemper operatur, per manus impoſitionem, peccatorum ſoluant vincula, eoſque tempore à Sanctis Patribus conſtituto Sacra Euchariſtia communicent, & abſolutos ire permittant.

Habetur ergo ex hoc S. Bonifacij teſtimonio, quod abſolutio Sacramentalis fiebat per manus impoſitionem; Certum eſt enim S. Bonifacium loqui de abſolutione Sacramentali, nam ait per manus impoſitionem remitti peccata, & rurſus cum dicat poſt manus impoſitionem, peccatores Sacra Euchariſtia communicandos eſſe, euidentius fit per manus impoſitionem Sacramentum Pœnitentiæ, ipſamque Sacramentalem abſolutionem intellexiſſe; nam ſine abſolutione Sacramentali Euchariſtia pœnitentes illos non fuiſſe communicandos certum eſt. Sed & S. Auguſtinus Pœnitentiæ Sacramentum, & Sacramentalem abſolutionem, manus impoſitionem appellat *lib. 5.* contra Donatiſtas, *cap. 20.* inquiens (*Quomodo Deus exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur.*)

Et S. Leo *Epiſt. 92. c. 17.* ſic ait: (*Qui conuiuio ſolo Gentilium, & eſcis immolatitijs vſi ſunt, poſſunt ieiunijs,*

& manus impoſitione purgari.)

Et quamuis praxis hæc imponendi ſuper pœnitentes manus ab anno 1250. ſemper decreuerit, multi tamen poſterioribus temporibus antiquitatis memores eam commendauerunt, atque pro auctoritate ſua, vt obſeruaretur iuſſerunt, vt pluribus oſtendit Morinus in laudato Commentario hiſtorico *lib.* 8. *cap.* 11. Ita etiam Concilium Coloniēſe *c.* 39. docens, Parochum, quid facta confeſſione agere debeat (*Iniungat*, inquit, *etiam illi fructum dignum pœnitentiæ facere, ac tum denique imponat manus, ac abſoluat pœnitentem.*)

Cum ergo nomine impoſitionis manus, ex dicto S. Bonifacij Canones Pœnitentiæ Sacramentum, & Sacramentalis abſolutio intelligenda ſit, cum in Concilio Toletano dicitur (quod Pœnitentes illi debeant crebro ad manuum impoſitionem recurrere, pendente pœnitentia) ſenſus eſt, quod pœnitentes pendente pœnitentia, crebrò debeant ad Pœnitentiæ Sacramentum recurrere.

Hoc idem ex eo conuincitur, quod antiquiſſimi Canones afferri poſſunt, in quibus habetur, quod pœnitentibus pendente publica pœnitentia Euchariſtiæ Sacramentum ſemel, vt minimum in anno datum fuerit, idque multis ſæculis; Id autem manifeſtè oſtendit, non fuiſſe dilatam abſolunem Sacramentalem vſque ad pœnitentiæ expletionem; nec enim dici poteſt conceſſam fuiſſe vnquam Euchariſtiam peccatoribus nondum per abſolutionem Sacramentalem Deo reconciliatis: Ex multis autem pauci ſufficiant 1. Canon Soteris Papæ, qui Eccleſiæ præfuit Anno 175. & refertur à Gratiano de Conſecratione *diſt.* 2. *cap.* 17. his verbis: *In Cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis ijs, quibus pro grauibus criminibus inhibitum eſt) percipienda ſit, Eccleſiaſticus vſus demonſtrat, cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda Corporis, & Sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur.*

Item Can. 44. Theodulphi Aurelianenſis in epiſtola ad Clerum, quam refert Baronius ad Annum Chriſti 875. hæc habet: (*Sicut periculoſum eſt, impurum quemque ad tantum Sacramentum accedere, ita periculoſum eſt, prolixo tempore abſtinere, ſalua ratione eorum, qui excommunicati, non quando eis libet, ſed certis temporibus communicant.*)

Et Can. 4. hæc habentur (*Singulis diebus Dominicis in Quadrageſima præter hos, qui excommunicati ſunt, Sacramenta Corporis, & Sanguinis Chriſti ſumenda ſunt, & in Cœna Domini, & in Paraſceue, & in die Reſurrectionis Domini, penitus ab omnibus communicandum.*

Syluerius Pontifex, qui præfuit Eccleſiæ Anno 536. hoc ſanciuit decretum, quod refert Iuo ſecunda parte Decreti *cap.* 29. & Burchardus *lib.* 5. *cap.* 19. vti & S. Carolus Borromæus non ſemel in Concilijs Prouincialibus, & in Appendicibus, quos ſub finem vitæ ſcripſit. Decretum autem eſt hoc: (*Singulis diebus Dominicis in Quadrageſima, præter hos, qui excommunicati ſunt, & præter illos, qui in publica pœnitentia ſunt, Sacramenta Cor-*

poris, & Sanguinis Chriſti ſumenda ſunt; & in Cœna Domini, & in Pentecoſte, & in Natali Domini, penitus ab omnibus communicandum eſt) ergo etiam ab excommunicatis, etiam à publicè pœnitentibus, qui ad hunc effectum reconciliabantur abſolutione cum reincidentia. Nullatenus autem putandum eſt, conceſſum illis fuiſſe Sacramentum Euchariſtiæ, & negatam abſolutionem Sacramentalem.

Ad idem facit, quod habetur *cap. Presbyter d.* 82. vbi cum Presbytero fornicario præſcribatur pœnitentia decem annorum; conceditur tamen, vt poſt ſeſqui annum Corporis, & Sanguinis Domini particeps fiat: Idem habetur ex Nicolai Papæ *cap. de Viro* 12. *quæſt.* 2. & ex Concilij Ancyrani *Can.* 5. 6. & 8. vbi cum de illis, qui admittebantur ad Communionem tertio, quinto, ſexto anno, definitur, vt anno demum ſequenti perfectionem ſuam recipiant. Quamuis enim non impenderetur pœnitentibus, de quibus ibi ſermo ſit, plena, & publica abſolutio, qua publicè reciperentur ad Cõmunionem, oblationem, & conuerſationem Fidelium, dabatur tamen Sacramentalis abſolutio, vt poſſent communicare.

Secundum argumentum pro aſſertione noſtra ſit, quod nullum rationabile motiuum aſſignari poteſt quo Eccleſia olim moueri potuerit, aut etiam ad præſens moueri poſſit, ad non impendendam Sacramentalem abſolutionem, niſi poſt peractam pœnitentiã Sacramentalem. Duo enim tantùm aſſignari poſſunt motiua: Vnum eſt grauitas criminis commiſſi: Alterum eſt, Indiſpoſitio Confitentis. At horum nullum rationabiliter mouere poteſt ad iniungendam pœnitentiam Sacramentalem explendam ante abſolutionem Sacramentalem. Nam, vt dictum eſt ſupra, grauitas criminis præcisè non expoſcit niſi grauitatem pœnitentiæ iniunctæ, quæ videlicet reſpondeat qualitati criminis commiſſi, quod per pœnam proportionatam puniri debeat, & expiari; id autem habetur etiamſi pœnitentia iniuncta expleatur poſt impenſam Sacramentalem abſolutionem; Ergo grauitas criminis non eſt ſufficiens motiuum ad iniungendam pœnitentiam Sacramentalem explendam ante abſolutionem.

Sed nec indiſpoſitio Confitentis, motiuum eſſe potuit, vt Eccleſia pœnitentiam Sacramentalem Confitenti indiſpoſito explendam ante abſolutionem Sacramentalem iniungeret: Nam ad remouendã indiſpoſitionem Confitentis iniungi potuit pœnitentia merè medicinalis ante abſolutionem Sacramentalem explenda, vt dictum eſt ſupra, neque ad eam indiſpoſitionem tollendam opus fuit imponere pœnitentiam Sacramentalem; nam pœnitentia iniuncta, vt Sacramentalis, non reddit Confitentem magis diſpoſitum, quàm pœnitentia non Sacramentalis.

Pro tertio argumento ad probandum, quòd aſſerta praxis, iniungendi Confitentibus etiam grauiorum criminum reis pœnitentiam Sacramentalem explendam ante abſolutionem Sacramentalem nullo vnquam tempore fuerit in Eccleſia, Sit

ASSER-

ASSERTIO QVARTA.

Abſolutio, quæ grauiorum criminum reis, poſt expletam pœnitentiam antiquitus impendebatur, non erat Sacramentalis, & pro foro interno, ſed tantùm Eccleſiaſtica, & pro foro externo.

ASſertio hæc ex dictis conuincitur. Primò, quia oppoſitum videtur eſſe contra pietatem Eccleſiæ, nam cum Eccleſia ſit pia Fidelium Mater, non eſt putandum, quod Sacramentalem abſolutionem filijs ſuis ritè, ac rectè diſpoſitis ad longum tempus diſtulerit. Secundò, quia pœnitentia illa non potuit eſſe pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, nam pars integralis ſupponit Sacramentum quoad eſſentiam conſtitutum: Ergo debuit ſubſequi abſolutionem Sacramentalem, non verò illam præcedere, ergo abſolutio ſubſequens non fuit Sacramentalis. Tertiò, quia nullũ rationabile motiuum aſſignari poteſt, quo Eccleſia moueri potuerit ad peruertendum ordinem partium Sacramenti Pœnitentiæ, vt conſtat ex dictis.

His addi poſſunt argumenta ſequentia, quæ pariter probant abſolutionem, quæ grauiorum criminum reis, poſt expletas publicas pænitentias impendebatur, non fuiſſe Sacramentalem.

Primùm. Quia abſolutio, quæ non habet remittere culpam, ſed ſupponit culpam remiſſam, non eſt Sacramentalis; certum eſt enim, quod culpam remittere pertinet ad abſolutionem Sacramentalem, eſtque abſolutionis Sacramentalis proprius effectus; Vndè ſi aliqua abſolutio non habeat remittere culpam, ſed illam remiſſam ſupponat non eſt abſolutio Sacramentalis. Atqui abſolutio, quæ poſt expletas publicas pœnitentias impendebatur, non habebat remittere culpam, ſed illam remiſſam ſupponebat: Ergo abſolutio illa non erat Sacramentalis. Minor probatur. Primò, quia abſolutio illa ſupponebat pœnitentiam peractam, pœnitentia verò, ſeù ſatisfactio ſupponit culpam remiſſam, vt conſtat ex dictis. Secundò probatur ex Sanctis Patribus, qui dicunt, quod nonniſi poſt publicam pœnitentiam peractam tribuebatur cum Eccleſia reconciliatio, quam antecedere debeat alia eiuſdem Pœnitentis cum Deo reconciliatio, iuſtificatio, & peccati remiſſio, etiam clauium Eccleſiæ miniſterio conceſſa, & conſequenter per abſolutionem Sacramentalem, nam in hac præcipuè ſita eſt clauium virtus, & poteſtas.

Ita igitur S. Leo *in Epiſtol. 92. ad Theodorum*, vbi ſic ſcribit (*Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolum per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per Pœnitentiæ medicinam, ſpes vitæ reparetur æternæ: vt qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent, ſic Diuinæ bonitatis præſidijs ordinantis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri: Mediator enim Dei, & hominum homo Chriſtus*

Ieſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & Confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent) Euidens eſt, in his verbis, reconciliationis nomine intelligi non poſſe, abſolutionem Sacramentalem, & in foro interno, qua homo cum Deo reconciliatur, nam abſolutio Sacramentalis non poteſt ſubſequi pœnitentiam Sacramentalem, vt conſtat ex dictis, ergo nomine reconciliationis intelligit S. Leo reconciliationem pœnitentium cum Eccleſia, quæ poſt peractam pœnitentiam fiebat; ac proindè ſupponebat aliam reconciliationem cum Deo, quæ fit per abſolutionem Sacramentalem.

Duas autem abſolutiones, & reconciliationes, priorem cum Deo, & poſteriorem cum Eccleſia, & hinc abſolutionem pœnitentibus in fine pœnitentiæ dari ſolitam docet S. Eligius Nouiomenſis homil. 4. in Cœna Domini, vbi cum dixiſſet eum indignè accipere Euchariſtiam, qui accipit eo tempore, quo debet agere pœnitentiam, quia cum iſte excommunicatus, ab Euchariſtia Eccleſiæ prohibitione arceatur, ſi Euchariſtiam ſumat, is Eccleſiæ præcepti violati Reum ſe facit, poſtea pœnitentes vltima illa abſolutione reconciliandos, ſic alloquitur (*Vndè mihi ad vos, ò fratres, nunc habendus eſt ſermo, quos Mater Sancta præſens Eccleſia noſtro officio hodie reconciliat Deo. Ad Vos igitur noſtra .... iſta ſit exhortatio, vt agnoſcat vnuſquiſque veſtrum ex ſemetipſo, ſi reconcilietur, vel non reconcilietur Deo, quamuis reconciliari eius Eccleſiæ noſtro videtur miniſterio*) En S. Eligius duplicem reconciliationem, alteram cum Deo, cum Eccleſia alteram agnouit; Quæ autem peccatoris cum Deo reconciliatio ſit, exponit, cum ait, *tunc eum cum Deo, per Chriſtum, & per eos, quibus dedit reconciliationis miniſterium reconciliari, cum ſit noua Creatura: Nemo autem, ſe ab Epiſcopo cum Eccleſia, ſcilicet validè, & legitimè reconciliari, ſed ad Communionem admitti credat, niſi per Confeſſionem, ac pœnitentiam condignam ſatisfactionem egerit*, id eſt, vt addit, *condignam Deo pœnitentiam de præteritis obtulerit, noua Creatura factus, cum Deo reconciliatus fuerit*. Illa igitur, quam petebant pœnitentes, reconciliatio, non eos cum Deo, ſed cum Eccleſia reconciliatura erat, eaque alteram, in qua cum Deo etiam per Sacerdotum miniſterium in gratiam redierant, priorem ſupponebat. Quod vt idem S. Eligius probet, S. Leonem ſuperius allatum laudat, & homil. 7. publicè pœnitentes *iam per pœnitentiam mundatos intra ſinum Eccleſiæ per reconciliationis Sacramentum* reuocari ait, atque ita ſignificat, eos antequam ita per Communionis gratiam, & Euchariſtiam (quam reconciliationis Sacramentum appellat) reconciliati intra ſinum Eccleſiæ, à quo per excommunicationem eiecti fuerant reuocentur, iam prius per pœnitentiam mundatos fuiſſe.

Idem S. Eligius hom. 11. etiam duplicem illam reconciliationem peccatoris diſtinguit, cum Deo ſcilicet, & cum Eccleſia, eamque duplicem reconciliationem in ſuſcitatione Lazari adum-

adumbrari dicit; ibi enim prius peccatores non publicos alloquitur, eoſque monet, vt per Confeſſionem Deo reconcilientur, ſeu per Sacramentum Confeſſionis, eo ritu, qui nunc in Eccleſia obſeruatur. *Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris, ex eo enim vnuſquiſque iuſtus eſſe incipit, ex quo ſui accuſator extiterit; Confeſſio enim pœnitentiam monſtrat, pœnitentia ſatisfactionem oſtentat, ſatisfactio veniam ſibi Diuina pietate conciliat; nec enim poterit indulgentia tribui, niſi ira Dei poſſit pœnitentia placari.* Id eſt, peccator, vt indulgentiam, & abſolutionem per Sacramentum Pœnitentiæ (id enim abſque dubio S. Eligius intelligit, qui Confeſsionem requirit) obtineat, nil aliud præſtare debet, quam Confeſſionem Sacramentalem, quia hæc pœnitentiam internam, & contritionem monſtrat, Sacerdotique notam facit, & pœnitentia ſatisfactionem oſtentat, quique ſe peccati verè pœnitere ſignificat, is ſe ſatisfactionem à Sacerdote iniunctam agendam eiuſq; præceptum ſeruandum paratum eſſe profitetur. Et quia Pœnitens confeſſus peccata, partes omnes ſuas Sacramenti explens à Sacerdote ſtatim abſolui poteſt, ideo ab Eligio Confeſsionis Sacramentum, Confeſſionis remedium appellatur, & Confeſſio affert ſalutem, vt ibidem ait.

Deinde peccatores publicos alloquitur, inquiens. *Ad vos præterea nunc ſpiritualis noſter ſermo transfertur, quos ſub pœnitudinis habitu conſtitutos facie ſquallida, & crine dimiſſo, peccamina veſtra planxiſſe, & vitia carnis in vobis mortificaſſe, quantùm homini videre poſſibile eſt, conſideramus. Ante omnia autem vobis ſcire neceſſe eſt, quia licet impoſitione manuum noſtrarum* (reconciliationem nimirum, de qua eſt quæſtio) *accipere cupiatis, tamen abſolutionem peccatorum veſtrorum conſequi non poteſtis, antequam per compunctionis gratiam Diuina pietas vos abſoluere dignabitur, tunc enim, vt Beatus dicit Gregorius vera eſt abſolutio Præſidentis, cum interni arbitrium ſequitur Iudicis.* Et poſtea ſubdit. *Quod bene quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, quæ videlicet demonſtrat, quia prius mortuum vocauit Dominus, & viuificauit dicens, Lazare veni foras, & poſtmodum is; qui viuens egreſſus fuerat à Diſcipulis eſt ſolutus .... Ecce illum iam viuentem Diſcipuli ſoluunt, quem Magiſter ſuſcitauerat mortuum; ſic enim Diſcipuli Lazarum mortuum ſoluerent, fœtorem magis oſtenderent, quam virtutem. Ex qua conſideratione intuendum eſt, quod Nos per Paſtoralem authoritatem eos ſoluere, quos agnoſcimus Authorem noſtrum per ſuſcitantem gratiam viuificaſſe, quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis in ipſa iam agnoſcitur confeſſione peccati.* Hæc Eligius, in quibus obſeruandum eſt, ipſum diſtinguere hæc duo, ſcilicet viuificationem peccatoris, & operationem rectitudinis. Viuificationem dicit in ipſa iam cognoſci confeſſione peccati, ac proinde in abſolutione, & hanc dicit eſſe ante operationem rectitudinis, hoc eſt ante pœnitentiam, igitur pœnitentiam iuxta Eligium præcedit abſolutio Sacramentalis, illa nimirum, qua peccator viuificari dicitur, ac proinde abſolutio, quæ pœnitentiam ſubſequebatur non erat Sacramentalis, ſed Eccleſiaſtica.

Sub-

Subdit autem Eligius. *Vnde & homini ipſi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, reuiuiſce, ſed veni foras. Omnis quippe peccator intra conſcientiam abſcondit ſe, introrſus latet, in ſuis penetralibus occultatur, ſed mortuus venit foras, dum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, Veni foras, ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur. Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras iam per Confeſsionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaque iam foras mortuus, ideſt culpam confiteatur peccator; venientem verò foras ſoluant Diſcipuli, vt Paſtores Eccleſiæ, pœnam amoueant, quam meretur, quia non erubuit confiteri, quod fecit.* En poſt Confeſſionem, & viuificationem peccatoris, ac proinde poſt abſolutionem Sacramentalem viuificantem ponit abſolutionem à pœna, quæ eſt abſolutio illa Eccleſiaſtica, quam Eccleſiæ Paſtores pœnitentibus iam ſacramentaliter abſolutis impendebãt.

Hanc ipſam peccatoris duplicem abſolutionem, à culpa ſcilicet, & à pœna in Lazaro adumbratam fuiſſe, ita vt hæc poſterior ſupponat priorem, qua per Sacerdotem culpa remittitur, alij etiam Sancti Patres ſenſerunt. Nam id manifeſtè affirmat *in lib.* 5. Capitularis Caroli Magni *verſic.* 62. Iſaac Lingonen. Canon. 12. *Innocatione Sancti Spiritus, qui eſt remiſsio peccatorum, per manus Epiſcoporum vel eorum authoritate reliquorum Sacerdotum impoſitionem, vel ſupplicationibus eorum peccata remitti.* Sic probat. *Nam quando Dominus Lazarum ſuſcitauit, ait ſuis Diſcipulis Tollite lapidem, ſubauditur, vt mortuus reſurgat, dans exemplum, vt ſicut ipſi manibus tollunt lapidem, vt mortuus ſurgat: ita & ipſi, & Succeſſores eorum manus pœnitentibus imponant, vt per impoſitionem manuũ ſuis precibus mortuum de ſepulchro, ideſt peccatorem de vitijs ſurgere, & releuare faciant. Et ſicut illi Lazarum inſlitis, ideſt funibus colligatum iubente Domino ſoluunt, qui ait, ſoluite eum, & ſinite abire, ita iſti eorum ſupplicationibus, auxiliante Domino, & cooperante Spiritu ſancto, qui in his ſemper operatur per manus impoſitionem, peccatorum ſoluunt vincula eoſque tempore à Sanctis Patribus conſtituto Sacra Euchariſtia communicent, & abſolutos ire permittant:* Sicut igitur Diſcipuli Lazarum dupliciter adiuuerunt. Primùm, cum lapidem tulerunt, & ita ad vitã reuocanti Chriſto miniſtrarunt, deinde cum eumdem iam excitatum à vinculis, quibus eum mortuũ alij ligauerant, non quæ ipſe induerat, ſibique moriẽdo iniecerat, ita peccatorem publicũ fœtentem Eccleſia per Miniſtros ſuos duplici abſolutione ſoluit priore ſacramentali, qua illũ de vitijs, deque morte peccati *ſurgere, & releuare facit*; poſteriore Canonica, ſeu Eccleſiaſtica, qua iam per illam reſuſcitatũ à vinculis, quibus ab Eccleſię Patribus ligatus tenebatur, & ne cõmunicaret, impediebatur ſolutum eadẽ Eccleſia dimittit. Nec obſtat, quod Sacerdotes poſteriore abſolutione peccatorum vincula ſoluere dicantur. Nam vinculum peccatorum, eſt excommunicatio, cum per eam peccator ligetur, ne Sacramenta participet, neue cum alijs communicet.

Et rurſus pœna vinculum eſt peccatoris, qua ipſe poſt remiſſam culpam tenetur, à quibus vinculis ſoluitur,

uitur, cum communioni Eccleſiæ reſtitutus Euchariſtiæ, Sacrificij Miſſæ, & Eccleſię ſuffragiorum particeps fit.

Hanc eamdem duplicem Lazari ſolutionem, duplici pœnitentis reconciliationi, cum Deo, & cum Eccleſia explicandæ accomodatam, obſeruant Sanctus Ambroſius, *lib. 2. de Pœnit. cap. 7.* & S. Auguſtinus *Homil. 27. cap. 3.* Ille enim cum Lazaro ſepulto publicum Pœnitentem comparat, & quod Chriſtus de illo dixit, (*vbi poſuiſtis eum*, hoc eſt, *in quo reorum ſtatu eſt, in quo pœnitentium ordine? Videam, quem fletis, ſi lachrymis ſuis ipſe ſe moueat. Videam ſi iam peccato, ei, cuius venia poſcitur, defunctus eſt? Dicet plebs, Veni, & vide..... Veniet itaque, & leuari lapidem iubebit, quem ceruicibus peccatoris lapſus impoſuit culpæ videlicet reatū, & gratiæ obicem, quem tolli, & illum remitti iubet Chriſtus, idque vt faciant ſuis Miniſtris Sacerdotibus imperat.* (*Potuit remouere lapidem imperio ſermonis, iubenti enim Chriſto etiam inſenſibilis ſolet natura obedire, poterat tacita, vi operationis occultæ transferre ſaxum ſepulchri.......ſed hominibus iuſsit, vt remouerent lapidem, in veritate quidem, vt increduli crederent, quod videbant, & aſpicerent reſurgentem mortuum in typo autem, quo nobis donaret, vt leuaremus delictorum onera, moles quaſdam reorum. Noſtrum eſt onera remouere, illius educere de ſepulchris exutos vinculis.*) Igitur Sanctus Ambroſius ante ſuſcitati ſolutionem, ab Eccleſiæ Miniſtris factam, agnouit priorem eorumdem operationem in leuandis delictorum oneribus, & reatu tollendo, quod non aliud, quam remiſſio peccatorum abſolutione Sacramentali facta eſſe, nec obligatio peccatoris per pœnitentiam impoſitam, aut vinculi alterius, quam ipſius peccati intelligi poteſt. *Leuatur enim lapis*, quem non Eccleſiæ Miniſter ceruicibus peccatoris, ſed lapſus ipſe impoſuit.

Quod autem hæc oneris leuatio, & reatus remiſſio, in pœnitentia tunc fiat, cum peccator delicta confitetur, docet ibidem Ambroſius. (*Compatitur*, inquit, *Chriſtus dilectæ ſuæ, & dicit defuncto. Veni foras, hoc eſt, quid iaces in tenebris conſcientiæ, & delictorum tuorum ſordibus, quodam reorum carcere? Exi foras, delictum proprium prode, vt iuſtificer s; ore confeſſio fit ad ſalutem, ſi confeſſus fuerit à Chriſto vocatus clauſtra rumpentur, & omnia ſoluentur vincula, etiamſi corruptelæ corporeæ fœtor grauis ſit.*) Quapropter Sanctus Ambroſius peccatorem ſtatim, ac confeſſus fuerit peccata etiam publica, & quorum fœtore graui offenſa Eccleſia viuificatum agnouit, & mox antequam Communioni reſtituat à diuturna pœnitentia purgatum docet abſolui, clauſtra eius rumpi, & omnia peccati vincula ſolui. Quantuslibet ergo mortui fœtor ſit, aboletur omnis, vbi ſacrum redoleuerit vnguentum, & reſurgit defunctus, & ſolui iubentur eius vincula, qui adhuc in peccato eſt, tollitur velamen de facie eius, quod veritatem gratiæ, quam acceperat obumbrat, ſed qui venia donatus eſt reuelare faciem, aperire vultum iubetur. Non habet enim, quod erubeſcat, cui peccatum remiſſum eſt, & hæc eſt ſecunda abſolutio non viuificans, nec à morte peccati excitans peccatorem, cui niſi iam ſuſcitato

ſcitato concedenda eſt, non vt illi gratiam conferat, ſed vt tollat velamen de facie eius, quod gratiæ iam per priorem abſolutionem acceptæ veritatem obumbrat. Idque pœnitentem ob ſatisfactionem exhibitam communioni reſtituit. Idque fit cum idem ille cum Eccleſia reconciliatus ab excommunicationis vinculo abſoluitur. Cum autem dicit S. Ambroſius, tunc ſolui eius vincula, qui adhuc in peccato eſt, non eſt ſenſus, eum adhuc culpæ mortalis reatu obſtrictum teneri, is enim confeſſus peccatum, iam iuſtificatus eſt, qui mortuus erat, *reſurrexit, venia donatus eſt, & gratiam*, licet occultam, & obumbratam accepit, ſed in peccato eſſe dicitur, qui nondum liber eſt, vt Euchariſtiam percipiat, & aliqua peccati ſorde infectus eſt, qui nondum ſublato ſcandali opprobrio, & excommunicationis Eccleſiaſticæ velamine inter pœnitentes, & peccatores recenſetur.

Sanctus verò Auguſtinus *Homilia* 27. *cap.* 3. de ijs, qui pœnitentes in Eccleſia propriè vocantur, & de eorum abſolutione, qua poſt peractam pœnitentiam liberi dimittuntur, ſic loquitur. *Poſt ſuggeſtionem facti, & delectationem, & conſenſionem, & perpetrationem, quaſi quatriduanus mortuus putet; quamuis enim grauis res, graue vulnus, lethale, & mortiferum*, vt ibidem loquitur, *quamuis aliquod adulterium, homicidium, ſacrilegium eſſet, niſi tamen præter internum conſenſum crimen perpetratum publicum, & Eccleſiæ ſcandalo eſſet, is inter pœnitentes non iaceret, nec Lazaro quatriduano ſimilis foret; ſed nec ipſum Dominus deſeruit, ſed clamauit Lazare prodi foras. Ceſſit voci Miſericordiæ moles ſepulturæ, ceſſit mors vitæ, ceſſit Infernus ſuperno. Eleuatus eſt Lazarus, proceſſit de tumulo, & ligatus erat, ſicut ſunt homines in confeſſione peccati agentes pœnitentiam. Iam proceſſerunt à morte, nam non confiterentur, niſi procederent; ipſum confiteri, ab occulto, & à tenebroſo procedere eſt. Sed quid Dominus Eccleſiæ ſuæ? Quæ ſolueritis, inquit, in terra, ſoluta erunt, & in cælo; Proindè Lazaro procedente, quia impleuit Dominus miſericordiæ ſuæ bonum, perducere ad confeſſionem mortuum latentem, iam cætera implet Eccleſia miniſteria. Soluite eum, & ſinite abire.* Cum autem S. Auguſtinus dicat, Confitentem à morte procedere rediuiuum, & iam à peccati morte excitatum, iam confitenti ſtatim abſolutionem Sacramentalem datam ſupponit, & cum addat S. Auguſtinus, quod poſt hæc, peccator cætera Eccleſiæ miniſteria implere poſſit, & ideò ſoluite, & ſinite abire, iam apertè ſecundam abſolutionem indicat, qua peccator in foro externo cum Eccleſia reconciliatur, & communioni reſtituitur.

Hic autem animaduertendum eſt, excommunicationem, à qua in reconciliatione Eccleſiaſtica pœnitentes poſt expletam pœnitentiam abſolui diximus, non fuiſſe excommunicationem, ſeù cenſuram, qua pœnitentes priuarentur participatione omnium Sacramentorum, ſed fuiſſe prohibitionem quamdam, qua pœnitentes cum alijs fidelibus communicare prohibebantur, ſicut & ab Eccle-

cleſiæ ingreſſu arcebantur, & à Sacræ Euchariſtiæ receptione; non tamen per eam Sacramentum Pœnitentiæ prohibebantur, id enim nullibi habetur, nec vllum documentum ad hoc affertur ab Authoribus, qui de hac re pertractant.

Tertiò probatur aſſertio noſtra. Nam abſolutio, ſine qua Euchariſtiam peccator ſumere poteſt, Sacramentalis non eſt; Atqui abſolutio illa pœnitentium publicorum, quæque illis nonniſi poſt pœnitentiam, quæ à Sacerdotibus iniuncta fuerat, expletam, per manus impoſitionem dabatur, quæque eos prorſus liberos, & ab omni vinculo, quo in pœnitentia obligati tenebantur, ſolutos faciebat, eiuſmodi erat, vt ſine illa peccator Euchariſtiam ſumere potuiſſet, ac de facto ſumpſerit. Ergò Abſolutio illa, quæ poſt peractam pœnitentiam grauiorum criminum reis impendebatur, Sacramentalis non fuit. Conſequentia eſt optima, & maior eſt certa, nam ſi abſolutio illa eſſet Sacramentalis, eſſet abſolutio, per quam deleretur culpa, & ſupponeret culpam, & quidem mortalem, nam iuxtà opinionem Authorum, cum quibus agimus, ſupponitur pœnitentes illos per eam abſolutionem abſolui à culpis mortalibus, vtpotè reos grauiorum criminum, ac proindè neceſſaria eſſet ante ſumptionem Euchariſtiæ, adeò, & taliter, vt ſine illa Euchariſtia percipi non poſſet. Nam Concilium Tridentinum ſtatuit, Chriſtianum quemlibet peccati mortalis conſcium, antequam Euchariſtiam ſumat, ad peccatum ſuum Sacramento Pœnitentiæ, ac proindè abſolutione Sacramentali expiandum teneri. Minor verò, quod videlicet peccator, Euchariſtiam ſumere potuiſſet, ac de facto ſumpſerit, probatur primò ex Canone 78. Concilij Carthaginenſis 4. in quo ſic habetur (*Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperunt, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint*) Can. proximè ſuperiore Concilium decretauerat, *Vt pœnitentes, qui in infirmitate ſunt, viaticum accipiant*. Igitur iuxtà hunc Canonem pœnitentes in infirmitate conſtituti Euchariſtiā accipiebant ſine abſolutione, qua pœnitentes aliàs abſoluebantur, poſt peractam pœnitentiam, quæ etiam abſolutio fiebat per manus impoſitionem, ergò abſolutio illa non erat Sacramentalis. Et Can. 3. Concilij Arauxicani 1. dicitur (*Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione communicari, quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones Patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſarijs pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.*) Idem habetur in Concilio Arelatenſi 11. Can. 28. his verbis (*de his, qui in extremis periclitantur, pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione, eis communicari. Quod ſi accepto viatico ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſarijs pœnitentiæ fructibus legitimè reconciliatoriam manus impoſitionem accipiant*) Ca-

nones iſti, adeò manifeſtè rem oſtendunt, vt nulla tergiuerſatio Authores aduerſos iuuare poſſit. Supponitur enim ægrotos illos, cum ex hac vita decederent non potuiſſe pœnitentiam, hoc eſt pœnas illas, quæ ab Eccleſia reis grauiorum criminum imponebantur, ex repentina infirmitate explere, immò adhuc eam pœnitentiam eis impoſitam non fuiſſe, & ideò dicitur, quod qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, hoc eſt impoſita, & acceptata ſine reconciliatoria manus impoſitione, hoc eſt, ſine abſolutione illa Eccleſiaſtica, quę multas, & longas cerimonias exigebat communicare poſſunt, ſed & hæc eadem communio non legitima, hoc eſt non conformis legibus, & ritibus, qui aliàs ſeruari debebant, dicitur, vndè ſubditur, quod ſi pœnitens ille ſuperuixerit, ſtet in ordine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſarijs pœnitentiæ fructibus legitimã communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiat. Igitur ſine abſolutione illa, quæ pœnitentibus poſt expletas pœnitentias impendebatur, pœnitentes Euchariſtiam ſumebant, cum infirmitate correpti fuiſſent, immo, & ſine abſolutione illa decedebant.

Sed in Can. 13. Concilij Nicæni, vt eum legit Balſamon, habetur, viaticum ſine abſolutione illa Eccleſiaſtica vltima dari potuiſſe, ſic enim in eo dicitur (*De ijs, qui excedunt antiqua, & Canonica lex nunc quidem ſeruabitur, vt ſi quis vita excedit, vltimo, & maximè neceſſario viatico non priuetur. Si quis autem deploratus, & communionis particeps iterum ſit in viuis, ſit cum ijs, qui ſolam orationis communionem conſequuntur. Generaliter autem cuilibet è vita excedenti, & petenti participationem Euchariſtiæ, Epiſcopus cum examinatione oblationem dabit*. In hoc Canone præſcribitur modus, qui ſeruari debeat cum his, qui decedunt, & dicitur quod eis viaticum, ſeù Euchariſtia concedatur, & additur, quod ſi quis deploratus, & communionis particeps, iterum ſit in viuis, ſit cum ijs, qui ſolam orationis communionem conſequuntur; hoc eſt cum ijs, qui adhuc non ſunt abſoluti, vndè ſupponitur, quod abſolutio illa ei conceſſa non fuerit, & quod ſine abſolutione illa, accepto tantùm viatico mori potuiſſent.

Idem habetur in Can. 36. Concilij Epaunenſis, & in Can. 82. Concilij Bracarenſis 1.

Tandem id ipſum apud Hincmarum Archiepiſcopum Rhemenſem apertiſſimè habetur in Capitulorum *ſect. 3. cap. 1.* Ibi enim poſtquam peccatoribus publicis ad pœnitentiam hortandis Presbyteros monuit, ſic concludit (*Hoc tamen omnimodis ab omnibus caueatur, vt nemò pœnitens, & cum deuotione petens, vltima pœnitentia, vel vltimo viatico defraudetur, ea conniuentia, vt ſi conualuerit, ſecundum Eccleſiaſticas regulas pœnitentiam agat, & reconciliationem, quantum Deus ſibi conceſſerit, in ordine pœnitentium expetat, & expectet.*

Quartò probatur abſolutionem illam non fuiſſe Sacramentalem. Nam abſolutio, cuius Miniſter aliquando non eſt Sacerdos non eſt Sacramentalis. Atqui abſolutionis illius Miniſter

ſter non ſemper fuit Sacerdos, ergò abſolutio illa non fuit Sacramentalis. Maior certa eſt apud Catholicos, & conſtat ex Concilijs Florentino, & Tridentino. In Florentino enim dicitur (*Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos habens authoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris*) Nec addit, quemquam alium Diaconum, vel Clericum in aliquo caſu poſſe illo munere fungi, ſicut de Baptiſmi, & Confirmationis Miniſtro dixerat. Tridentinum verò Concilium *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. (Declarat falſas eſſe, & à veritate Euangelij penitùs alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſuis homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes clauium miniſterium perniciosè extendunt) & poſteà docet, Sacerdotes per virtutem Spiritus ſancti in ordinatione collatam tanquam Chriſti Miniſtros functionẽ remittendi peccata exercere. Et Can. 10. Damnat eum, qui dixerit, non ſolos Sacerdotes eſſe *Miniſtros abſolutionis*. Igitur ſi illius abſolutionis, de qua eſt quæſtio, Miniſter aliquis non Sacerdos eſſe poſſit, ac de facto fuit, omninò negandum eſt, formam qua vſus eſt fuiſſe formam Sacramenti Pœnitentiæ, aut quæ per eam peccati remiſſio in foro interno, & coram Deo pœnitenti tribueretur, ac proindè negandum eſt, abſolutionem illam Sacramentalem fuiſſe; Quod autem abſolutionis illius Miniſter aliquando fuerit non Sacerdos, ſed Diaconus ex imperio Epiſcopi probatur ex S. Cypriano in *Epiſt.* 13. vbi ſic dicitur (*Qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogatiua eorum apud Deum adiuuari poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint non expectata præſentia noſtra apud Presbyterum, quemcumque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſunt, vt manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſiderauerunt*) Teſtimonium hoc S. Cypriani palmare planè eſt, planequè aſſertionem noſtram euincens. Nam quod abſolutio, de qua in eo ſermo eſt, ſit abſolutio vltima, & Eccleſiaſtica, quæ pœnitentibus impendebatur in foro externo, & coram fidelibus, ac ipſa Eccleſia, patet ex eo, quod nonniſi facta exomologeſi, quæ poſtrema pœnitentiæ actio erat, dari debuit. Quod verò nec illa abſolutio, quam Diaconus dare potuit, nec exomologeſis fuerit Sacramentalis, aliæ quoque eius decreti circumſtantiæ conuincunt. Ea enim abſolutio erat, quam Martyres dari poſtulauerunt, eos ſua apud Deum prærogatiua iuuantes. At vt pœnitens aliquis verè contritus Sacramentaliter abſoluatur, nullo Martyrum ſubſidio eget, nec hac in re vllam Martyr prærogatiuam ſpecialem habet; Quarè quoad pœnæ temporalis remiſſionem, & indulgentiam, pro qua Martyres apud Deum prærogatiuam quamdam habuiſſe vſus indulgentiarum docet, abſolutio illa, non verò quoad peccati culpam intelligenda eſt. Prætereà Sanctus Cyprianus vult, eam pœnitentibus, quos Martyres libellis commendauerant in articulo mortis

abſolutionem dari, quam reliquis ea Martyrum commendatione carentibus negat, ergò abſolutio illa Sacramentalis non fuit, quam omnibus pœnitentiam poſcentibus cum viatico dari antiqua, & Canonica lege decretum ait Nicæna Synodus Can. 13. ſupra laudato.

Vlteriùs, in ea vltima abſolutione non ſolùm Diaconum, ſed etiam Clerum, Martireſque laicos cum Epiſcopis partem aliquam habuiſſe, conſtat ex Cypriano *epiſt.* 10. In ea enim habetur. *In minoribus, etiam quam ſit idololatria, cuiuſmodi ſunt adulteriū, & alia, ob quæ fiebat publica pænitententia, peccatis, peccatores agant pænitentiam iuſto tempore, & ſecundum Diſciplinæ Ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri ius communicationis accipiant*. Vndè idem Sanctus Cyprianus conqueritur, quod idololatriæ rei ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur. Quis neget abſolutionem hanc fuiſſe vltimam illam, qua nonniſi poſt pœnitentiam iuſto tempore actam, poſt exomologeſim ſecundum diſciplinæ ordinem datam ius perfectæ Communionis Euchariſtiæ, & oblationis abſoluto acquirebatur? At in ea Clerum cum Epiſcopo manum impoſuiſſe, & ità in Reconciliatione partem aliquam habuiſſe non ſemel, ſed iterum in eadem Epiſtola S. Cyprianus teſtatur.

Sed & Clerus Romanus in *epiſt.* 30. ad eumdem S. Cyprianum de lapſorum in idololatriam reconciliatione reſcribens, monet, *Eccleſiæ pacem ſuſtinendam, deindè ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus pariter ac aſtantibus laicis facta, lapſorum tractare rationem: per quam enim nobis, & inuidioſum, & oneroſum videtur, nam per multos examinare, quod per multos commiſſum videatur fuiſſe, & vnum ſententiam dicere, cum tam grande crimen per multos diffuſum notetur exiſſe, quoniam nec firmum decretum eſſe poteſt, quod non plurimorum videbatur habuiſſe conſenſum*. Certè dici nequit Pœnitentiæ Sacramenti Tribunalis fuiſſe ſententiam, & abſolutionem illorum, in quibus Confeſſores, & reliqui ſtantes laici, ſeù non pœnitentes publicè conſilium ineunt, lapſorum rationem tractant, cauſam examinant, ſententiam dicunt, & ſine quorum conſenſu decretum firmum eſſe nequit.

Legi etiam poteſt idem S. Cyprianus *epiſt.* 54. & 55. in quibus habetur, quod ſine confeſſione publica, & cognitione cauſarum, ob quas pœnitentes in ius illud vocati erant, à plebe legitimæ abſolutionis ſuffragia obtinere non poterant.

Hæc omnia adnotat etiam Pamelius ad verba illa Cypriani in *lib. de Pænitentia cap.* 9. (*Exomologeſis eſt actus pænitentiæ, quo pænitentia adminiſtrabatur, & miniſterium Pænitentiæ*) nam ſuper hæc verba Pamelius ait (*Id, quod rectè intellectum multùm confert ad capiendam mentem veterum Eccleſiæ Scriptorum*. Hinc illud Cypriani eſt ad Antonianum, *Apud Infe-*

Inferos dum confeſſio non eſt, nec exomologeſis illic fieri poteſt. Diſcimus autem ex eiuſdem Sanctiſſimi Martyris ſcriptis, hunc olim in Eccleſia ſeruatum Ordinem, vt primùm fieret confeſſio criminis apud Sacerdotes Dei; hanc ſequebatur pœnitentia, quæ & præceſſerat. Pœnitentiam excipiebat exomologeſis, quam ſequebatur impoſitio manus Epiſcopi, aut Cleri. Hac facta dabatur Euchariſtia ſic reconciliato. Atque hoc eſt, quod Cyprianus epiſt. 14. tertij libri (iuxtà nouam editionem n. 10.) nondum pœnitentia facta, nondum exomologeſi finita. (Vbi vides apertam diſtinctionem) nondum manu eis ab Epiſcopo, aut Clero impoſita Euchariſtia illis datur. Hæc Pamelius.

Ex quibus habetur, illud ipſum, quod ex alijs Cypriani teſtimonijs obſeruauimus, nempè, abſolutionem illam, qua pœnitentes poſt peractam pœnitentiam abſoluebantur, eis impenſam fuiſſe etiam à Clero, atque adeò non fuiſſe Sacramentalem; Sed obſeruandum, quod & confeſſio illa non erat Sacramentalis, & pro foro interno; nam Sacramentalem non adeò dilatam fuiſſe, ſed præceſſiſſe cum abſolutione Sacramentali dicendum eſt, vt conſtat ex dictis; fuit ergò confeſſio illa publica, & pro externo, cui reſpondebat, & abſolutio Eccleſiaſtica, & pro foro externo; Vndè & exomologeſis accipitur pro ipſa pœnitentia, ſeù confeſſione publica, vt conſtat ex verbis allatis Cypriani (*nondum exomologeſi finita*) quamuis, & pro pœnitentia, ſeù Confeſſione ſecreta aliquando ſumatur, *loco cit.* ait Pamelius.

Verùm eſt, & Presbyteros abſolutionem illam aliquando impendiſſe; Sed quia eam abſolutionem Presbyteri non impendebant, niſi Epiſcopus conſuleretur, hiſque impendi poſſe reſponderet, hoc ipſum aliud argumentum eſt, quo probatur, abſolutionem illam non fuiſſe Sacramentalem. Nam abſolutio illa Sacramentalis non eſt, quam nullus Presbyter pœnitenti etiam in mortis articulo dare poterat, quantumuis de ſalute ſua periclitaretur, inconſulto Epiſcopo.

Quod autem abſolutio illa à Presbyteris, nonniſi Epiſcopo conſulto impendi potuiſſet, probari primùm poteſt ex Concilio Carthaginenſi ſecundò, tempore S. Auguſtini celebrato, in Can. 4. vbi clariſſimè de hac re decernitur (*Si quiſquam in periculo conſtitutus, & ſe reconciliari Diuinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet vtiq; Presbyter conſulere Epiſcopũ, & ſic pœnitentem eius conſilio reconciliare*) Non poterat ergò Presbyter incõſulto Epiſcopo pœnitentem adhuc in periculo conſtitutum reconciliare. Ergò reconciliatio, ſeù abſolutio illa non erat Sacramentalis, nam abſolutionem Sacramentalem quilibet Sacerdos ex ſe, & inconſulto Epiſcopo, pœnitenti in articulo mortis conſtituto ex perpetuo Eccleſiæ vſu, & indubitata praxi impendere poteſt. Dicitur autem in laudato Canone; in periculo conſtitutum reconciliandum eſſe ſacris altaribus de conſilio Epiſcopi, nam etiam per hoc conſtat reconciliationem illam non fuiſſe Sacramentalem, ſed Eccleſiaſticam, quia erat reconciliatio facienda ſacris altaribus, ſeù erat communio

munio cum oblatione facienda.

Hoc idem habetur *Can. 69. lib. 5.* Capitularis Caroli Magni. Ibi enim de publico pœnitente hoc ex Nicæno, vt ibidem in fine dicitur decretum eſt (*Quod ſi, vtpotè mortalis intra metas præſcripti temporis (ſcilicet pœnitentia) cæperit vitæ finis vrgere, ſubueniendum eſt implorantibus, ſeù ab Epiſcopo, qui pœnitentiam dedit, ſeù ab alio, qui tamen datam eſſe probauerit, aut ſimiliter à Presbytero, iuſſu tamen, aut permiſſu proprij Epiſcopi, per manus impoſitionem, abſolutione precum Sacerdotalium, Viaticum abeuntibus de ſæculo non negetur*) Igitur Preſbyter pœnitenti illi eam abſolutionem abſque Epiſcopo, qui pœnitentiam impoſuit dare non potuit, ac proindè pœnitentia illa Sacramentalis non fuit.

Præterea credi non poteſt, nullum Presbyterum, Parochianorum ſuorum alicuius peccati mortalis extra mortis articulum confeſſionem audire, eis congruas pœnitentias iniungere, abſolutionem impertiri, ſeù Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare potuiſſe. Et tamen id dicere oporteret in ſententia illorum, qui non aliam, quam Sacramentalem publicè pœnitentiū reconciliationem peracta pœnitentia conceſſam eſſe volunt. Nam certum eſt nulli Presbytero publicè pœnitentes reconciliare licitum fuiſſe, idque adeò ſæpè in Concilijs vetatur, vt nihil frequentius occurrat. Agathenſe Can. 44. *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut Pœnitentem in Eccleſia benedicere Presbytero non licebit.* Quod de pœnitente publico intelligendum eſſe conſtat, ex pluribus Canonibus, quibus cum Abbatibus, vt abſque Epiſcoporum iuſſu, quemquam pœnitentem abſoluant, aut eius confeſſionem audiant, vetitum eſt, ijſdem, & alijs pleriſque omninò ſignificatur, id licitum regulariter fuiſſe Presbyteris cum Epiſcopi iuſſu, ijs, videlicet omnibus, qui ab Epiſcopo Parochijs vrbanis, aut ruralibus præficiebantur. Sed & Canones extant, qui cum negent, Presbyterum pœnitentem publicè abſoluere poſſe, ijdem eum peccatorem confeſſionem audire, pœnitentias iniungere, pœnitentes ſibi confeſſos ligare, ac proindè Sacramentaliter abſoluere poſſe dicunt.

Cabilonenſe in Can. 8. dicit. (*De pœnitentia peccatorum, quæ eſt medela animæ, vtilem hominibus eſſe cenſemus, & vt pœnitentibus à Sacerdotibus data confeſſione indicatur pœnitentia, Vniuerſitas Sacerdotum noſcitur conſentire.*)

In Rhemenſi 11. Anno 813. Can. 13. (ventilata eſt ratio pœnitentiæ, vt Sacerdotes certius intelligerent, quomodò Confeſſiones recipere, & pœnitentiam ſecundùm Canonicam inſtructionem pœnitentibus deberent indicere) Can. 15. (vt Epiſcopi, & Presbyteri examinent, qualiter Confitentibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentiæ conſtituant. Sed & quoad crimina occulta, ob quæ pœnitentes poſt obtentam abſolutionem Sacramentalem, pœnitentias Canonicas facere debuiſſent, & poſtmodum abſolutionem etiam Eccleſiaſticam, & in foro externo obtinebant, quoad poſteriorem hanc abſolutio-

nem,

nem, ſeù reconciliationem Presbyteri concedere poſſent, ſed cum conſenſu Epiſcopi, habetur in Capitulari Herardi Turronenſis *tom.* 22.*Concil.Reg.* ad annum Domini 858.Can. 59. (*vt Presbyteri de occultis iuſſione Epiſcopi Pœnitentes reconcilient, & ſicut præmiſimus, infirmantes abſoluant, & communicent*. Et in *Capit. Caroli Magni lib.* 7. *cap.* 49. (*Nullus Sacerdos in alterius Ciuitate, vel Diœceſi pœnitentem, vel ſub manu poſitum Sacerdotis, vel qui reconciliatum ſe dixerit ſine conſenſu, & litteris Epiſcopi, vel Presbyteri in Parochia Presbyter, aut Epiſcopus in Ciuitate ſuſcipiat.*)

Quod verò publicum pœnitentem Presbyter abſoluere non poſſit, dicitur Can. 143. (*ſtatutum eſt in Sanctis Canonibus prohibitum, vt nullus Presbyter pœnitentem publicè inconſulto Epiſcopo reconciliare præſumat, niſi morte fortè periclitantem, ſed omnes publicè pœnitentes quinta feria ante Paſcha, quæ eſt Cœna Domini, ad Ciuitatem in cinere, & cilicio in præſentia Epiſcopi proſtrato vultu conueniant, & ibi ab Epiſcopo canonicè, & ordinabiliter, ſicut in Sacramentario, & in Romanò ordine continetur, reconcilientur, atque diiudicentur, conſolenturque, & prædicetur, quid deinceps agere, quiduè vitare debeant, inſtruantur, atque inſuper diuinis precibus per manus impoſitionem ab Epiſcopo curentur. Nullo vnquam tempore Presbytero in publica Miſſa pœnitentiam reconciliare ſine licentia Epiſcopi conceſſum eſt*.

Quare cum ad Epiſcopum recurrendum eſſet, vt re examinata iudicaretur an pœnitenti etiam in articulo mortis tribuenda eſſet abſolutio illa, ex hoc arguitur abſolutionem illam non ſemper, & infallibiliter pœnitenti adhuc in articulo mortis, impertitam fuiſſe.

Ex hoc autem, & aliud argumentum apparet, quo probatur abſolutionem illam non fuiſſe Sacramentalem, & pro foro interno. Nam abſolutio, quæ moribundo, ſeù in articulo mortis conſtituto negata fuit, non potuit eſſe Sacramentalis, & pro foro interno. At abſolutio illa moribundis aliquando negata fuit. Ergò abſolutio illa non potuit eſſe Sacramentalis, & pro foro interno; Maior probatur, nam abſolutio Sacramentalis in articulo mortis conſtitutis, etſi eam in eo rantùm articulo flagitaſſent negata nunquam fuit, nec negari debuit, vt in præcedenti quæſtione oſtendimus. Vndè relinquitur quod abſolutio illa dictis moribundis negata, non fuerit Sacramentalis, aut pro foro interno, ſed Eccleſiaſtica, & pro foro externo. Minor verò conſtat ex omnibus illis authoritatibus, ſiuè Summorum Pontificum, ſiuè Conciliorum, ſiuè Sanctorum Patrum, quas Aduerſarij afferunt, vt probent grauiorum quorumdam criminum reis, pœnitentiam in extremo dumtaxat vitæ efflagitantibus, & ſi in articulo mortis conſtitutis, negatam fuiſſe abſolutionem Sacramentalem; De quibus nos, & in præcedenti quæſtione, nam authoritates illæ non de abſolutione Sacramentali, ſed de abſolutione Canonica, & Eccleſiaſtica, & pro foro dumtaxat externo intelligendæ ſunt, vt iam oſtendimus.

Ad

Ad hoc idem facit, quod Sacra Concilia, & Sancti Patres, Sacrique Canones ad exprimendam abſolutionem illam, quæ poſt peractam pœnitentiam impendebatur, vtuntur nominibus aptioribus ad ſignificandam abſolutionem Canonicam, & Eccleſiaſticam, quam ad ſignificandam abſolutionem Sacramentalem. Nam à Sancto Cypriano abſolutio illa regulariter vocatur pax, vt in *epiſt.* 52. 54. & 59. Alij vocant eam Communionem, ſeù reconciliationem, vt Patres Concilij Toletani 5. Sanctus Fulgentius *homil.* 4. & S. Leo *epiſt.* 91. Et quamuis Communionis nomine Euchariſtiam ſignificauerint, cum ea tamen etiam abſolutionem Canonicam expreſſerunt.

Illud tamen his omnibus addendum eſt, quod ſicut iam diximus, pœnitentibus Eccleſiaſticas illas pœnitentias ſuſcipientibus, ante illarum impletionem abſolutio Sacramentalis impendebatur iniuncta eis alia pœnitentia Sacramentali poſt abſolutionem Sacramentalem pariter explenda, ac in eodem ſtatu pœnitentium manentibus pluries eiſdem Sacramentaliter confeſſis, pluries abſolutio Sacramentalis impendebatur, ità & expletis pœnitentijs illis Eccleſiaſticis, non ſolum abſolutio eis Eccleſiaſtica, & pro foro externo impendebatur, ſed etiam impendebatur abſolutio Sacramentalis, & pro foro interno; Id enim negari non poteſt, etiamſi eo ſtatu pœnitentiæ durante, peccata tantum venalia pœnitentes illi commiſiſſent: Sic enim, vt ab omni culpa mundi, & noua gratiæ auctione ornati pœnitentias illas terminarent, fieri oportuit.

Ex Concilio Tridentino, & ex Rituali Romano probatur, pœnitentiam Sacramentalem, poſt receptam à Pœnitente abſolutionem Sacramentalem, peragendam eſſe.

Pœnitentiam Sacramentalem à Sacerdote pœnitentibus iniunctam, poſt impenſam eis abſolutionem Sacramentalem, peragendam eſſe, habetur ex his, quæ docet Concilium Tridentinum contra Lutherum, & Caluinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. & *Can.* 12. *& ſeq.* Ibi enim docet, ſatisfactionem Sacramentalem, quæ vna eſt ex partibus Sacramenti Pœnitentiæ, *eſſe non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto vna cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ vt ſacræ literæ docent, non tota ſemper, vt in Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, ingrati fuerunt.* Igitur Sacrum Concilium docet, ſatisfactionem ſupponere culpam remiſſam vnà cum pœna æterna, ac proindè ſupponere abſolutionem Sacramentalem, nam culpa, & pœna æterna non remittitur in Sacramento Pœnitentiæ, niſi per abſolutionem.

Rurſus in eodem capite fructus enarrat ſatisfactionis, ſupponens, eum, qui ſatisfacit, iuſtum eſſe, & in ſtatu gratiæ conſtitutum. *Hæ*, inquit, *ſatisfactionis pœnæ, cautiores, & vigilan-*

gilantiores in futurum pœnitentes, efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitioſos habitus malè viuendo comparatos, contrarijs virtutum actionibus tollunt &c. Omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Hiſque ita conſtitutis, concludit *debere Sacerdotes...... ſatisfactiones iniungere*. Certum eſt autem, quod nemò niſi iuſtus in futurum cautior fit, nec medetur reliquijs peccatorum, niſi iam à culpa mortali liberatus, nec niſi iuſtus in Chriſto viuit, meretur, & ſatisfacit, nec niſi iam viuens vita gratiæ fert fructus, qui ex Chriſto vim habeant, nec alias ob cauſas Sacerdotes Domini ſatisfactiones iniungere debent. Igitur hæ iuſtificationem pœnitentis ſequuntur, non antecedunt.

Et Can. 13. damnat aſſerentes, *pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis &c.* At ſi ſtatuatur pœnitentiam Sacramentalem ante abſolutionem Sacramentalem peragendam eſſe, eneruatur, immò tollitur omninò ipſa ratio ſatisfactionis, nam per pœnitentiam ante abſolutionem Sacramentalem peractam, non poteſt aliquis Deo ſatiſfacere, vt ſupra oſtendimus.

Rurſus in eodem c. 14. Concilium deſcribens reparationem lapſi in peccatum poſt Baptiſmum, ait, in ea contineri, non ſolùm deteſtationem, & cor contritum, & humiliatum, verùm etiam peccatorum Sacramentalem confeſſionem, Sacerdotalem abſolutionem, itemque ſatisfactionem. Hic autem ordo manifeſtè ſignificat, abſolutionem priùs impendendam eſſe, quam ſatisfactio illa peragatur.

Idem conſtat ex his, quæ habentur in Rituali Romano Pauli V. iuſſu edito anno 1617. Ibi enim ſic dicitur. *Cum igitur pœnitentem (Sacerdos) abſoluere voluerit, iniuncta ei priùs; & ab eo acceptata ſalutari pœnitentia, primò dicit; Miſereatur tui &c. Deindè dextera verſus pœnitentem eleuata, dicit, Indulgentiam, Abſolutionem &c. Dominus Noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, &c.*

Ità etiam in Sacerdotali impreſſo ſub Leone X. anno 1537. dicitur, quod Sacerdos audita confeſſione, pœnitentem abſoluat priùs ab excommunicatione, deindè iniungat ei pœnitentiam, & poſteà eum abſoluat à peccatis.

Quis negare audeat, praxim hanc ab Eccleſia præſcriptam, pœnitentem ante pœnitentiæ iniunctæ exequutionem abſoluendi, optimam eſſe, conformemq; inſtitutioni Chriſti Domini, ac doctrinæ Sanctorum Patrum; aut quis dicat, in hoc Eccleſiam ab antiquo ſtylo, ac veteri conſuetudine receſſiſſe? Certum eſt enim, Eccleſiam id ſeruare, quod ſecundùm antiquam conſuetudinem ſeruatum ſemper fuit, vt Catechiſmus Romanus ait, vt ſcilicet poſt iniunctam ſatisfactionem pœnitentem Sacerdos ſtatim abſoluat.

Expenditur authoritas Innocentij Primi, & oſtenditur, illam non obſtare veræ ſententiæ.

NVllum Eccleſiæ ſtatutum, nulluſue Canon ab Aduerſarijs afferri poteſt, quo decernatur Sacramentalem ſatisfactionem peragendam eſſe ante abſolutionem Sacramentalem. Vndè Robertus Cardinalis Pullus, qui floruit Anno Domini 1170. *par. 6. ſent. cap. 61.* ait; *Statuta Eccleſiæ id minimè decernunt, quod ſicut completam confeſſionem, ita quoque peractam ſatisfactionem abſolutio conſequatur.*

Quia tamen Authores illi nonnullas Pontificum, Patrumque authoritates pro eorum ſententia pertrahere conantur; operæ pretium erit, eas hic afferre, & oſtendemus authoritates illas, nullatenus eis fauere, ſed omnia præpoſterè ab Authoribus illis intelligi.

Obijciunt ergo primo loco Innocentium. Primum in ſua prima Epiſtola Decretali, quæ partem facit Iuris Canonici, in qua ſic loquitur de Pœnitentia. *Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt iudicare, vt attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, & tum iubere dimitti cum viderit congruam ſatisfactionem.* Oportuit igitur, infert Aegydius Gabrielis cum Authoribus, quos ſequitur, ſecundum hunc Papam, vt peccator huiuſmodi præmitteret confeſſionem, deindè adderet fletus, & lacrymas, ſeù vera ſigna doloris, & emendationis. Et finaliter, vt Sacerdos ei peccata dimitteret, cum vidiſſet congruam ſatisfactionem, quam regulariter videre non poterat, niſi differret abſolutionem.

Reſpondetur, in verbis Innocentij laudatis nullatenus haberi, quòd Sacerdos iniungat pœnitenti ſatisfactionem Sacramentalem peragendam ante Sacramentalem abſolutionem. Sed ſolùm, quod Sacerdos attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, & tùm iubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem; non ait Innocentius tum debere dimitti, cum iniunctam ab eo congruam ſatisfactionē executioni mandatam viderit, ſed ait, tum debere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem; eam ſcilicet, quam prioribus verbis dixerat, ſcilicet congruum dolorem, congruamque contritionem per fletus, & lacrymas in actuali confeſſione à pœnitente manifeſtatam; Vndè ſatisfactionem vocat, non partem illam Sacramenti Pœnitentiæ, quæ diſtincta eſt à contritione, & à confeſſione, ſed ſatiſfactionem vocat ipſam conguentem contritionem, & confeſſionem, quæ ſcilicet congruenter lacrymoſa ſit, ac doloroſa.

In contritione autem, & confeſſione ſatisfactionem aliquam Deo exhibitam contineri, certum eſt, ac proindè ſatisfactionem aliquam abſolutione priorem eſſe. Diſertè id aſſerit S. Thomas in 4. *ſent. diſt. 16. q. 1. art. 1. q. 1.* Ibi enim ſic loquitur (*Pœna, quam pœnitens patitur, tota in*

ra-

rationem ſatisfactionis cadit, non enim ſola exteriori pœna homo ſatisfacit, ſed etiam interiori, aliàs oratio mentalis non eſſet ſatisfactoria. Vndè & pœna, quæ eſt in Contritione, & quæ eſt in confeſſione in partem ſatisfactionis cadit) Et Alenſis 4. *parte quæſt.* 14. *membr.* 2. *art.* 1. §. 3. confeſſionem, quia ratione erubeſcentiæ eſt magna pars pœnitentiæ,ait eſſe cauſam remiſſionis pœnæ, ſicut ſatisfactio, quæ ſequitur eſt reliquæ pœnæ remittendæ cauſa. Et Sanctus Bonauentura *in* 4. *diſt.* 16. *in expoſit. literæ* ſic ait *(ſatisfactio dicitur dupliciter. Vno modo ſatisfactio dicitur ipſa reconciliatio, & ſic quia omnes partes pœnitentiæ ſunt ad reconciliationem ordinatæ, quælibet dici poteſt ſatisfactoria. Alio modo dicitur ſatisfactio, perſolutio pœnæ debitæ, & ſic competit propriè vni parti pœnitentiæ, quæ eſt aſſumptio, ſiuè adimpletio pœnæ iniunctæ: Nihilominus tamen alijs partibus competit per accidens, vtpotè contritioni ratione doloris, qui eſt in parte ſenſibili, ſimiliter confeſſioni ratione erubeſcentiæ.)*

Concilium etiam Senonenſe Anno 1128.celebratum in Decreto 10. lit. de Confeſſione, ait, *pœnitentem pudorem confeſſionis in ſatisfactionis partem de ſingulo quoque errato pati.*

Eſt autem hæc communis Patrum doctrina. Nam S. Ioannes Chryſoſt. *homil. de Pœnit. & refertur de pœnit. diſt.* 3. *cap. Perfecta pœnitentia*, de pœnitente ſic ait. *(In corde eius contritio eſt, in ore eius confeſſio, in opere tota humilitas, hæc eſt perfecta, & fructifera pœnitentia)* Cum autem in omnibus tribus iſtis partibus ſit humilitas,eas omnes ſatisfactorias etiam pro pœna eſſe dicendum eſt. S. Cyprianus *epiſt.* 55. ait *(Amplector prompta, & plena dilectione cum pœnitentia reuertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili, & ſimplici confitentes)* Igitur Cyprianus confitentes humiliter peccatum ſuum, amplectendos, & recipiendos, ſeù abſoluendos, ante peractam iniunctam ſatisfactionem iudicat.

Sanctus Auguſtinus *homil.* 50. *cap.* 5. *(Non ſufficit*, inquit, *mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt ſatisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem: per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis)* Hæc Auguſtinus ibi quoad contritionem *ſerm.* 66. confeſſionis virtutem ait deſcribi *(hoc Chriſti elogio, pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ)* facere autem fructus dignos pœnitentiæ, nil aliud eſt, quam Deo ſatisfacere, & apud eumdem Author, de vera, & falſa pœnitentia *cap.* 10. *de Confeſſione*, inter alia hæc habet. *(Multùm ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentia dominans, nihil eorum, quæ comimſit, Nuncio Dei denegauit....... Dignus miſericordia eſt, qui ſpirituali labore petit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubeſcentiam. Et quoniam verecundia magna pœna eſt, qui erubeſcit pro Chriſto fit dignus miſericordia.)*

S. Baccharius in epiſt. ad Ianuârium, Confeſſionem ſatisfactionem appellat. S. Eligius *hom.* 4. docet, *agi condignam ſatisfactionem per confeſſionem, & pœnitentiam.*

Et quidem negari nequit, dolorem, & pudorem in confeſſione magnam

gnam eſſe afflictionem, per quam pœnitens Deo ſatisfacit; hæc autem cum Sacerdoti confeſſionem excipienti innoteſcit, pœnitentem eo pacto pudentem abſoluere debet. Et id dixit Innocentius, cum dixit (Sacerdotis eſſe iudicare, vt attendat ad confeſſionem pœnitentis, & fletus, atque lacrymas corrigentis, & tum iubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem, eam videlicet ſatiſfactionem, quæ in confeſſione humili, cum congruo dolore ineſt, ſed non eam, quæ à Sacerdote pœnitenti poſt delictorum confeſſionem iniungitur.

Poteſt prætereà Innocentius intelligi de ſatisfactione, ſeù pœnitentia extraſacramentali ab ipſo pœnitente pro admiſſis criminibus ante ipſam confeſſionem voluntariè aſſumenda, & aſſumpta; ex ea enim Sacerdoti qualitas doloris, ac diſpoſitionis ipſius Confitentis innoteſcere poteſt; ſicut & Sacerdos ad eumdem pœnitentem probandum poteſt ei pœnitentiam aliquam non Sacramentalem iniungere, & hac à pœnitente cum dolore peracta, poterit eum per abſolutionem Sacramentalem iniuncta priùs pœnitentia Sacramentali dimittere.

Tandem dicitur, ex Innocentij laudatis verbis nil aliud haberi, niſi quod ſi Sacerdos non deprehendat in confitente congruum, ſufficientemque de peccatis dolorem, verumque ab eis abſtinendi propoſitum, ei abſolutionem Sacramentalem non conferat, ſed illam differat, vſque dum in hoc ipſo pœnitens Sacerdoti ſatisfaciat, id eſt talem ſe dolorem, ac propoſitum habere demonſtret, vt Sacerdos ipſum abſoluere, ac dimittere poſſit.

Quid hac in re ſenſerit Sanctus Leo Magnus.

PRofertur ab iiſdem Authoribus, & S. Leo *epiſt.* 91. *ad Epiſcopum Theodorum*, vbi ſic loquitur (*Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolum per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per Pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æterna; vt qui regenerationis donum violaſſent proprio ſe iudicio condemnantes ad remiſſionem criminum peruenirent, ſic Diuinæ bonitatis præſidijs ordinatis, vt indulgentia niſi ſupplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri: Mediator enim Dei, & hominum Chriſtus Ieſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad Communionem Sacramentalem per ianuam reconciliationis admitterent.*) Vbi, Authores præfati dicunt, primo loco ponitur confeſſio; ſecundò ponitur actio pœnitentiæ impoſita à Sacerdotibus: Tertiò ponitur ſalubris ſatisfactio, qua debebant purgari, antequam ad Communionem Sacramentalem admitterentur. Quartò ponitur reconciliatio per abſolutionem, quæ eſt ianua reconciliationis.

Vt mens S. Leonis in laudatis verbis, eorumque ſenſus percipiatur, animaduertendum eſt, ipſum non de quacumque pœnitentia, ſed de ea, quæ poſt Baptiſmum lapſo in peccatum neceſſaria eſt pro reparanda vitæ

tæ ęternæ ſpe, quam peccans mortaliter amiſerat, loqui. In ea verò habetur peccatoris accuſatio, & confeſſio, qua ſuo ille ſe iudicio condemnat, ſine qua indulgentia Dei nequit obtineri. Vndè pœnitentia hæc eſt Sacramentalis, in qua per Sacerdotis orationem, ſeù abſolutionem, & ſententiam peccator ſe ipſum condemnans peccati indulgentiam accipit. Id autem, vt probet S. Leo verba illa ſubdit *Mediator enim Dei, & hominũ Homo Chriſtus Ieſus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Et quod per Miniſtros Chriſti fit id ipſo interueniente inceſſabiliter per Spiritum ſanctum donatum eſſe ait. Videtur ergò Sanctus Pontifex loqui de Sacramentali abſolutione per Chriſti Miniſtros data. Quo poſito illud obſeruandum eſt; quod verba illa non eo pacto poſſint intelligi, vt ſcilicet peccator proprio ſe iudicio condemnãs per Sacerdotum ſupplicationes ad remiſſionem peccatorum peruenire dicatur, multorum annorum, aut certè menſium interpoſita dilatione, poſtquam confeſſus peccata ſe ſuo iudicio damnauit à Sacerdote abſoluatur, vt volunt Authores cum quibus congredimur; Id enim fieri non potuit ex rationibus ſuperiùs allatis; Sanctus igitur Pontifex in laudatis verbis eo pacto intelligendus eſt, vt poſtquam peccator proprio ſe iudicio damnauit proprium peccatum confitendo, ei actione pœnitentiæ data, hoc eſt Sacramentali pœnitentia impoſita, per Sacerdotum ſupplicationem, quæ abſolutionem etiam annexam habet, illico abſque mora abſolueretur, & ſic per ianuam reconciliationis, id eſt Sacramentalis abſolutionis ad communionem Sacramentorum admitteretur. Cum ergò Pontifex ait, Confitentes ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitti: Salubris ſatisfactionis nomine, non intelligit pœnitentiam Sacramentalem Confitenti impoſitam, hanc enim expreſſit nomine actionis pœnitentiæ datæ; ſed ſalubris ſatisfactionis nomine, intelligit eam ſatisfactionem, quæ, vt ſuprà diximus, ad Innocentij verba, continetur in contritione, & confeſsione pœnitentis; Contritio enim, & Confeſſio congrua, quæ debitum dolorem contineat, ſatisfactio dicitur à Leone, per quam Deo, & Sacerdoti Confitens ſatisfacit, etſi præter hanc alia ſuperſit ſatisfactio, quæ eſt pars integralis Sacramenti; hæc enim nonniſi actionis pœnitentiæ nomine tunc appellari conſueuit. Sic autem omnia benè conſonant, quæ S. Leo in laudatis verbis dicit; inquit enim, quod Mediator Dei, & hominum, Homo Chriſtus Ieſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ, id eſt Epiſcopis, & per eos Sacerdotibus tradidit poteſtatem, vt & Confitentibus actionem pœnitentiæ darent, id eſt, Sacramentalem ſatisfactionem imponerent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione, id eſt congrua Contritione, & confeſſione purgatos, ea videlicet purgatione, qua peccator cum debito dolore, congrua

grua afflictione, debitaque diſpoſitione à peccato ſe purgat, ad communionem Sacramentorum, id eſt, Euchariſtiæ, & reliquorum Sacrorum, quæ ibi nomine Sacramentorum intelliguntur, per ianuam reconciliationis, id eſt, Sacramentalis abſolutionis admittatur.

In hoc autem ſenſu verba illa accipienda eſſe, vt rectè pœnitens dicatur ſalubri ſatisfactione purgatus, quia confeſſus peccatum, ſeque ſuo iudicio condemnans, atque hac ratione ſatisfaciens, à Sacerdote abſoluitur, oſtendit Bagotius *de Pœnit. diſſert. 1. ſect. 5.* ex Hincmaro Remenſi Epiſcopo *in epiſt. 29. ad Carolum Caluum Regem* ſic dicente (*Chriſtus Ieſus ex S. Leone, vt Catholica tenet, ac docet Eccleſia, hanc præpoſitis eiuſdem Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos (quæ ſatisfactio pœnitentiæ in ipſa iam cognoſcitur confeſſione peccati) per reconciliationis gratiam reſtitueret.*

Vndè pœnitentes, vt abſolutionem reciperent, purgati eſſe debebant ſatisfactione, non ea, quæ illis impoſita ante abſolutionem facienda eſſet, vt Aduerſarij volunt, ſed ea, quæ in ipſa confeſſione peccati cognoſcitur, atque ita ſufficit Sacerdoti, vt abſolutionis ſententiam legitimam proferat.

Secundò dici etiam poteſt, Sanctum Leonem in laudatis verbis loqui de confeſſione, pœnitentia, & reconciliatione, quæ contingebant, cum poſtquam peccator Sacramentaliter, & in foro interno abſolutus fuerat, Eccleſiaſtica, & Canonica reconciliatione, de qua ſuprà diximus, reconciliabatur. Nam de hac quoque reconciliatione benè verificantur, quæ ibi habet Pontifex; nam hæc etiam reconciliatio peccatores poſt Baptiſmum lapſos Deo quoque reconciliabat, quatenùs pœnas canonicas pro grauioribus peccatis impoſitas ſoluendo, Deo, nedum immunes à culpa, (quod per abſolutionem Sacramentalem iam obtinuerant) ſed etiam à pœna, reconciliabantur; Peccatores ergò poſtquam peccata ſua confeſſi fuiſſent, eiſque actio pœnitentiæ impoſita eſſet, id eſt, pœnitentia illa Eccleſiaſtica, & canonica, vbi hanc impleuiſſent reconciliabantur Eccleſiaſtica reconciliatione, & per hanc ad Communionem Sacramentorum, tanquam per ianuam admittebantur.

Soluitur obiectio ex authoritate S. Gregorij deducta.

TErtiò affert Aegydius Gabrielis Sanctum Gregorium Hom. 26. ad verba illa Euangelica, *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis,* ſic loquentem (*Videndum eſt, quæ culpa præceſſerit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam, vt quos Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſoluat, tunc enim vera eſt abſolutio Prælatorum, cum æterni arbitrium ſequitur Iudicis.*)

Igitur iuxtà Gregorium, inquit Aegydius, vt Sacerdos pœnitentem abſoluat, requiritur, vt videat, quæ cul-

culpa præceſſerit: deindè quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam; tum vt abſoluat illum, quem videt gratia Dei compunctum: niſi enim per vera pœnitentiæ ſigna Sacerdoti conſtet de ſufficienti dolore pœnitentis, ſeù de compunctionis gratia, per quam viſitatus à Deo ſe diſponit ad gratiam reconciliationis in Sacramento obtinendam, non erit legitima abſolutio Sacerdotis præſidentis.

Reſpondetur nullatenus in allatis Gregorij verbis haberi, quod Confitenti Sacramentalis pœnitentia iniungenda ſit ante abſolutionem Sacramentalem explenda: ſed ſolùm in eis habetur, quod antequam confitens à Sacerdote abſoluatur, attendenda ſit ipſius diſpoſitio, an videlicet ſit rectè diſpoſitus, & quæ pœnitentia, ſecuta ſit poſt culpam, qui videlicet actus, quo ipſum de admiſſo peccato pœniteat, quæ compunctio, quæuè diſplicentia, quoduè propoſitum à peccato in poſterum abſtinendi; nam ſi hæc verè non adſint, Pœnitentiæ Sacramentum non eſt ei impendendum, ſed omninò negandum, & vſque dum ille ſit rectè diſpoſitus differendum; & vt ipſemet, qui hanc authoritatem obijcit, ait niſi per vera pœnitentiæ ſigna Sacerdoti conſtet de ſufficienti dolore pœnitentis, ſeù de compunctionis gratia, per quam viſitatus à Deo ſe diſponit ad gratiam reconciliationis in Sacramento obtinendam, non erit legitima abſolutio Sacerdotis præſidentis, ſed quid hoc cum quæſtione præſenti?

Expenditur locus Iuonis Carnotenſis in epiſtola 250. ab Aduerſarijs laudatus, & oſtenditur, in eo firmari noſtram ſententiam.

VT oſtendamus, Aduerſarios authoritatibus Patrum abuti, ad ſuam ſententiam fundandam, afferenda hìc ſunt omnia verba Iuonis in præfata epiſtola 250. & referendus caſus, indè autem conſtabit, Iuonem fauere, non Aduerſariorum ſententiæ, ſed noſtræ.

Ab Iuone Presbyter quidam quæſierat, cur celeriùs Chriſtus reum à peccato liberet, quàm Eccleſia, & quomodò eum prophetica ſententia conueniat Synodalis; ſiquidem illa peccatorem in quacumque hora ingemuerit, ſaluum fore ait; iſta verò criminia ſua confitentes à communione Corporis, & Sanguinis Chriſti ſuſpendit (Repugnare enim videtur, diſſentireque ſententia Capitis, & Corporis, vt quos Caput, id eſt, Chriſtus celeriter à peccato liberat, eos Corpus Chriſti, id eſt, Eccleſia ſub pœna peccati diù ligatos retineat)

Reſpondet autem Iuo (*criminali culpa delinquentem ſeparari à capite, & corpore, ordiniſque rationem exigere, vt internus Iudex tantò remittat celerius, quantò ſolus magis videt interius. Iudex verò, qui tantùm videt in facie, vſque adeò delinquentes ſub peccati pœna detineat, donec per manifeſtum pœnitentiæ fructum, qui ſit poenitentis affectus intelligat. Per internum enim ge-*

gemitum ſatisfit interno Iudici, & idcircò indilata datur ab eo peccati remiſſio, cui manifeſta eſt interna confeſſio. Eccleſia verò, quia occulta cordis ignorat, non ſoluit ligatum, licet ſuſcitatum, niſi de monumento elatum, id eſt, publica ſatisfactione purgatum. Hinc eſt, quod Eccleſia ſua crimina confitentes à Sacramentorum communione ſuſpendit, & in cinere, ac cilicio poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit, vt per hoc experiatur, ſi iam ſunt intus viuificati, cum fuerint longa poenitentiæ maceratione probati.) Hactenus Iuo, qui duplicem peccatoris, alteram cum Deo, alteram cum Eccleſia reconciliationem ita diſtinguit, vt illa ſit indilata, & detur celerius; hæc verò nonniſi poſtquam Eccleſia ſub pœna peccati peccatorem diù ligatum, retinuit. Certum eſt autem, illam, qua peccator cum Chriſto reconciliatur, abſolutionem eſſe Sacramentalem, nam Chriſtus nonniſi per Sacramentum Pœnitentiæ re, vel voto ſuſceptum peccatorem liberat, & conſequenter certum eſt, abſolutionem illam, aliam non eſſe, quàm Sacramẽtalem abſolutionem; Aliam autem abſolutionem, certum eſt eſſe Canonicam, & Eccleſiaſticam à Sacramentali condiſtinctam. Idque ex eo etiam conſtat, quod Iuo non dicit, quod *Iudex, qui videt in facie*, id eſt, Eccleſia delinquentes ſub peccato, ſeù culpa detineat, vti contingeret, ſi plurium annorum, vel menſium ſpatio, delinquentes inabſolutos Sacramentaliter detineret, ſed ait, quod *Iudex, qui videt in facie*, ſeù Eccleſia, delinquentes *ſub pœna peccati detineat*, ſub pœna, non ſub culpa, vt per hoc innuat, eos à culpa eſſe iam abſolutos, & ab Eccleſia ſolùm ſub pœna detineri: Idquè *donec per manifeſtum poenitentiæ fructum, qui ſit poenitentis affectus intelligat*, vt videlicet intelligat, an pœnitens in bono propoſito abſtinendi à peccato permaneat, quamuis enim cum delinquens abſolutionem Sacramentalem accepit, ſufficienter illum diſpoſitum fuiſſe deprehenderit; Eccleſia tamen ad eius propoſitum magis firmandum, & ad experientiam de eodem ſumendam, & ad ipſum pœnitentem vlterius probandum, & purgandum, longa pœnitentia, & ſatiſfactione ligatum detinet, licet *ſuſcitatum*, id eſt, in ſtatum gratiæ per abſolutionem Sacramentalem reſtitutum. Per illas enim publicas, & longæuas pœnitentias experiebatur Eccleſia, magiſque diſcebat, pœnitentes intus fuiſſe viuificatos.

Rurſus. Abſolutio, quam à Chriſto Iuo datam ait, peccatorem *à peccato liberat*; Altera verò non niſi *intus viuificatum, & ſuſcitatum liberat* non à culpa, ſed *à pœna*. Ideoque Iuo iterum, atque iterum repetit, Eccleſiam ſuos in cinere, & cilicio pœnitentes abſoluere, quos *ſub pœna peccati diù ligatos retinuit*, vt videlicet ſignificet, Eccleſiaſticam abſolutionem, non à culpa liberare pœnitentem, ſed à pœna, & vinculo illius excommunicationis, quo pœnitentes ab Euchariſtiæ perceptione, ab ingreſſu Eccleſiæ, aliorumque Sacrorum communione prohibebantur. Hæc autem firmant noſtram ſententiam.

De

De Authoritate S. Bernardi in epiſtola octaua ad Brunonem electum Colonienſem Epiſcopum, quam pro ſe proferunt Aduerſarij.

PRoferunt Aduerſarij etiam Authoritatem S. Bernardi in epiſtola 8. ad Brunonem electum Epiſcopum Colonienſem; Ibi enim volunt S. Bernardum loqui de conuerſione peccatoris neceſſaria ad reconciliationem, deque innocentia, ſeù peccatoris iuſtificatione, quam *ſi abſque diuturna pœnitentia efficacior Dei clementia veloxque reſtituerit, non tam exemplum, quam miraculum*, habendum ſit, vt loquitur Bernardus.

Sanctus Bernardus tamen in Epiſtola illa, de innocentia, quam Epiſcopalis Sanctitas poſtulat, ſermonem habet: Vndè ad Brunonem electum Colonienſem Epiſcopum, ſic ait, *Quæris à me conſilium Vir Illuſtris Bruno, an volentibus te promouere ad Epiſcopatum acquieſcere debeas...... Magis dubium reddit conſilium illa in litteris tuis humilis, ſed terribilis confeſſio, qua vitam tuam, & vt credo nonniſi veraciter accuſas. Nec enim negandum eſt huiuſmodi vitam eſſe indignam tam Sacri dignitate miniſterij......... Horreo conſiderans, vndè, & quo vocaris, præſertim cum nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod vtcumque periculoſiſſimus tranſitus fiat......* (Deindè ſubijcit ea, quæ ab Aduerſarijs proferuntur mutilata.) *ſed quid ſi ſuam Deus acceleret tibi gratiam, & multiplicet miſericordiam; & ſit ad reſtituendam innocentiam efficacior velox clementia, quam diuturna pœnitentia?* Hæc enim ſupprimuntur. (*Beatus ſiquidem cui non imputauit Dominus peccatum. Nam quis accuſabit aduerſus electum Dei? Si Deus iuſtificat, quis eſt qui condemnet?*) Igitur Sanctus Bernardus loquitur non de quacumque innocentia, ſed de ea, qua electum Domini præditum eſſe oportet: Meminit autem conuerſionis latronis, non vt quamcumque conuerſionem ſignificaret, ſed vt ſignificaret eam (quæ vna eademque die ſimul, & confeſſus latrocinia, & introductus eſt in gloriam......... (& de luto fœcis in Paradiſum *voluptatis*; Sicut & illa peccatrix, non tantùm à peccatis liberata eſt, *ſed abundante* gratia in breui meruit charitatis accipere *latitudinem*.) Poſteà verò ab ijſdem Aduerſarijs, ea quæ ſequuntur, omiſſa ſunt, hæc videlicet, *ſed aliud eſt celerem adipiſci veniam peccatorum, & aliud de ipſis ſceleribus ad infulas mox prouehi Dignitatum* (ac demùm allato exéplo Sauli: *qui factus eſt repentè Paulus, repentè vas electionis, repentè Doctor Gentium*) ſubijciuntur ea, quæ Aduerſarij ſuam in rem afferunt ſcilicet hæc. *Quamquam ſi tale quiſpiam, quandoq; bene, & vtiliter factũ fuiſſe agnoſcitur: de quo dico veraciter poſſit, hæc eſt mutatio dexteræ excelſi, non tam exemplum, quàm miraculum afferre debeat.* Vndè patet perperàm ab Aduerſarijs adduci S. Bernardum pro illorum ſententia.

Refelluntur alia, quæ ab ijſdem Authoribus pro eorum ſententia afferuntur.

SAnctum etiam Carolum pro eorum ſententia ſtare iactant Authores præfati; ſed immeritò, nam ſi legantur attentè, quæ ex S. Carolo ipſimet afferunt, conſtabit, nec leuiſſimam de ſatisfactione ante abſolutionem Sacramentalem implenda fieri animaduerſionem. Niſi fortè cum S. Carolus iubet, aliquando exigi à pœnitente ſatisfactionem pro damnis illatis, Authores illi, pœnitentiam Sacramentalem intelligi velint. At quis, niſi deſipiat, illam cum reſtitutione, & iniuriæ alteri illatæ reparatione confundat? Sed & ſatisfactionem pro damnis illatis, ſufficit, quod pœnitens promittat, vt poſſit abſolui; nec neceſsè eſt, eam in re præcedere abſolutionem, niſi fortè confitens pluries id pollicitus eſſet, & exequutioni nunquam mandaſſet, tunc enim poterit Confeſſarius exigere à Confitente ſatisfactionem illam, antequam eum abſoluat, ſed extra hunc caſum, ſat eſt, quòd pœnitens ſatisfactionem illam polliceatur. Idquè habetur expreſsè in Catechiſmo Romano *in cap. de ſatisfactione in fine*, ibi: *Id in primis à Sacerdotibus obſeruari debet, vt audita peccatorum confeſſione antequam pœnitentem à peccatis abſoluant, diligenter curent, vt ſi quid ille fortè de re, aut exiſtimatione Proximi detraxit, cumulata ſatisfactione compenſet, Nemo enim abſoluendus eſt, niſi priùs, quæ cuiuſcumque fuerint, reſtituere polliceatur.* Hæc Catechiſmus. Vndè ſi in caſibus reſtitutionis, ſufficit reſtitutionis promiſſio, & ante actualem reſtitutionem pœnitens poteſt abſolui, multò magis ſufficiet ſatisfactio per pœnitentiam Sacramentalem acceptata, vt quis abſolui poſſit, nec opus erit eam ante abſolutionem Sacramentalem exequutioni mandare.

Cętera, quæ affert Aegydius Gabrielis ad ſuam opinionē fundandā, ſunt omninò extrà rē; cōfundit enim pœnitentias diſpoſitiuas cum pœnitentia Sacramentali: in quo & alij Authores, cum quibus ipſe ſentit, hallucinantur; Aliud eſt enim dicere, quod peccator ad Sacerdotem acceſſurus dolere debeat de peccatis admiſſis, etſi in hæc recidiuus fuit, attendi debeat tempus, quo à peccato abſtinuit, & ipſius diſpoſitio, etſi non diſpoſitus deprehendatur, differenda ſit abſolutio; Aliud verò eſt dicere, quod peccatori non diſpoſito iniungenda ſit pœnitentia, ſeù ſatiſfactio Sacramentalis ante abſolutionem Sacramentalem explenda; Ex his enim primum admittendum eſt, non verò ſecundum. Immò peccatori indiſpoſito iniungi non poteſt ſatisfactio Sacramentalis, hæc enim eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ; peccatori enim indiſpoſito totū Sacramentum negandum eſt, aut certè differendum. Probari tamen poterit peccator per alia opera pœnalia, quæ illi iniungantur, non vt ſatisfactio Sacramentalis, ſed vt opus medicinale, & diſpoſitiuum ad contritionem, quæ neceſſaria eſt ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, ita vt eidem pec-

peccatori poſtmodùm ritè diſpoſito iniungatur pœnitentia Sacramentalis cum Sacramentali abſolutione. Quare ſi probatio pœnitentis facienda ſit, non eſt facienda per iniunctionem pœnitentiæ Sacramentalis ante abſolutionem Sacramentalem explendæ, ſed facienda eſt per dilationem abſolutionis Sacramentalis,aut per iniunctionem aliorum operum, quæ pœnitenti iniungantur, non vt ſatisfactiones Sacramentales, ſed vt opera merè diſpoſitiua, & probatiua.

Nec vllus Canon, aut Decretum Summorum Pontificum, aut Conciliorum, nec vlla Sanctorum Patrum authoritas proferri poteſt, in quibus ſtatuatur, aut conſulatur iniunctio pœnitentiæ Sacramentalis ante abſolutionem Sacramentalem explendæ, ſicut nec vllum documentum afferri poteſt (quidquid Authores aduerſi clament) quo probetur,vllo vnquam tempore eam in Eccleſia praxim viguiſſe pœnitentiam Sacramentalem ante abſolutionem Sacramentalem peragendi; Omnes enim authoritates, quas ad hæc Aduerſarij afferunt, violenter ad eorum ſenſum detorquentur, immò præpoſterè ab eis intelliguntur.

E contra verò manifeſta ſunt Summorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum Decreta, ac Sanctorum Patrum authoritates, & ſeruata ſemper Eccleſiæ praxis, de abſolutione Sacramentali ante pœnitentiæ Sacramentalis exequutionem impendenda, & impenſa; Et Concilium Tridentinum, vt ſuprà etiam obſeruauimus, *ſeſſ. 6. c. 14.* docet, Sacramentum Pœnitentiæ continere contritionem, confeſsionem, & Sacerdotalem abſolutionem, itemque ſatisfactionem; Vndè poſt abſolutionem ponit ſatisfactionem, & eumdem ordinem ſeruat in alijs Capitulis, & in Canonibus; ex quo manifeſtè redarguitur Aegydius Gabrielis, qui ordinem à Concilio probatum inuertit, additq; hodiernam praxim in nullo Concilio vniuerſali,vel particulari approbatam fuiſſe.

Verum eſt, Sanctos Patres ad certiorem de pœnitentis diſpoſitione cognitionem habendam, probare, quod aliqua pœnitentia ab ipſo pœnitente voluntariè aſſumpta præceſſerit; per hoc tamen docere non intendunt, pœnitentem eſſe non poſſe ſufficienter diſpoſitum ſine præuia Sacramentali pœnitentia.

Optima ergo, & rationabilis, ac ipſius Sacramenti inſtitutioni à Chriſto factæ conformis eſt Eccleſiæ praxis, qua peccatores, etſi grauiorum criminum reos, pœnitentes tamen, ac ritè diſpoſitos, à peccatis abſoluit iniuncta eis pœnitentia poſt abſolutionem peragenda, & praxi hac ſemper vſa eſt Eccleſia; Vndè, quòd antiquitùs Eccleſia eo pacto peccatoribus Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtraret, vt Sacramentalem pœnitentiam explendam ante abſolutionem Sacramentalem iniungeret, eſt recens inuentum, & paucorum recentiorum phantaſia. Verum, eſt, antiquitùs in Eccleſia in vſu fuiſſe pœnitentias publicas, & ſolemnes pro publicis, & grauibus criminibus, has tamen pœnitentias præcedebat abſolutio Sacramentalis, vt ſuprà oſtendimus; Exoleuerunt autem hu-

iuſmodi pœnitentiæ, ſicut aliæ in Canonibus pœnitentialibus pro peccatis taxatæ, quia propter multitudinem fidelium, qui iam per totum Orbem multiplicati ſunt, non poſſent facilè ab omnibus exequutioni mandari, & feruor fidelium deferbuit, & ideò Summi Pontifices frequentius Indulgentias concedere cœperunt, per quas fideles liberantur à pœnis etiam iniunctis per Sacros Canones, vt enim communiter ſentiunt Theologi, quando in forma conceſſionis Indulgentiarum apponitur clauſula (*de iniunctis pœnitentijs*) conceditur remiſſio pœnitentiarum tàm de facto iniunctarum, quàm earum, quæ iniungi debuiſſent, ac potuiſſent, ſeù quod remittantur pœnæ Purgatorij reſpondentes pœnitentijs tàm iniunctis, quàm de iure iniungendis, iuxtà tamen amplitudinem, & quantitatem conceſſionis. Vndè Indulgentiæ valent etiam pro non iniunctis à Confeſſario, quia ſufficit, quod ſint iniunctæ à lege poſitiua, ſeù à Deo ipſo, qui omnibus pro meritis iuſtiſſimas pœnas decernit. Nam aliàs ſi mens Pontificis eſſet, quod clauſula (*de iniunctis pœnitentijs*) intelligeretur de ſolis iniunctis à Confeſſario, id expreſſiſſet, & non diceret abſolutè, *de iniunctis*, quod in proprietate Sermonis, intelligi poteſt de iniunctis à lege. In conceſſione autem Indulgentiæ plenariæ non apponitur clauſula (*de pœnitentijs iniunctis*) quia intelligitur remitti tota pœna in Purgatorio luenda, iuxtà communem Theologorum ſententiam.

Cùm igitur frequentius Indulgentiæ per Summos Pontifices conceduntur, per quas pœnæ peccato debitæ remittuntur, defuerunt pœnitentiæ illæ canonicæ, & ſolemnes. Neq; hoc derogat perfectioni. Nam perfectum eſt non fugere pœnas, quæ promouent ad ſalutem citius acquirendam, quale eſt martyrium, & aliæ pœnæ ſponte ſuſceptæ; Vndè ad huiuſmodi pœnas libenter perferendas Nos S. Petrus adhortatur in ſua *Epiſt. c. 2.* cum ait: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius*; non tamen eſt contra perfectionem, immò eſt perfectum fugere debitum pœnæ, cum per illud impediantur, & retardentur fideles ab ingreſſu Patriæ cœleſtis, vt benè ait Cardinalis Bellarminus *in tract. de Indulgent. lib. 1. cap. 10. & lib. 2. cap. 2. ad Lutherum*, qui opponebat, quod cum indulgentiæ remittant pœnitentias iniunctas, & hæ ſint opera bona, videlicet ieiunia, eleemoſynæ, preces, & ſimilia, Indulgentiæ videntur noxiæ, non ſalutares, cum à bonis operibus fideles impediant; Reſpondet, quod Indulgentiæ remittunt pœnitentias iniunctas, non quatenus ſunt opera, ſed quatenus debitum eas implendi retardaret noſtrum ingreſſum in vitam æternam, ſi fortè ante illarum impletionem de vita nos exire contingeret: Vndè Eccleſia dum largitur Indulgentias, non prohibet ſtudium pœnitentiæ, immò ad illud nos hortatur, & excitat, ſed à reatu illo nos liberat, quo impediri poſſemus à Regno Cœlorum citiùs obtinendo; Indulgentiæ proindè vere ſalutares ſunt, & nullo modo noxiæ.

Quoad Canones verò pœnitentia-

tiales dicendum videtur, quòd tantum habuerunt locum in foro exteriori Eccleſiaſtico, non in interiori pœnitentiali: primò, quia in foro interiori pœnitentiæ nunquam fuerunt determinatæ, ſed arbitrio Confeſſarij relictæ. Secundò, quia res hæc publicarum pœnitentiarum tractabatur iudicialiter, & pendebat ex accuſatoribus, Teſtibus, indicijs, iudicijs, ſententijs, proceſſibus, ſine quibus nullus priuabatur communione, & conſequenter pœnitentiæ illæ non iniungebantur à Confeſſarijs, nam hi non iudicant per Accuſatores, & Teſtes, ſed accuſatorem, & Teſtem habent, ſolum pœnitentem: Quod autem res hæc ageretur iudicialiter per accuſationes, Teſtes, &c. conſtat ex S. Auguſtino in Homilia vltima ex quinquaginta; Ibi enim ſic ait (*Nos verò à communione prohibere quemquam non poſſumus, quamuis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſpontè confeſſum, aut in aliquo iudicio, ſiuè Eccleſiaſtico, ſiuè ſæculari nominatum, atque conuictum; Quis enim ſibi vtrumque audeat aſſumere, vt cuiquam ipſe ſit, & accuſator, & Iudex; Cuiuſmodi regulam etiam Paulus Apoſtolus in eadem ad Corinthios epiſtola breuiter inſinuaſſe intelligitur, cum quibuſdam talibus commemoratis criminibus Eccleſiaſtici iudicij formam ad omnia ſimilia ex quibuſdam daret. Ait enim: Scripſi vobis in epiſtola non commiſceri cum fornicarijs &c. Si quis frater nominatur, aut fornicator, aut Idolis ſeruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum huiuſmodi nec quidem cibum ſumere. Quid enim mihi de his, qui foris ſunt iudicare? Nonnè de his, qui intus ſunt vos iudicatis? De his autem, qui foris ſunt, Deus iudicabit. Auferte malum à vobis ipſis. Quibus verbis ſatis oſtendit, non temerè, aut quomodolibet, ſed per iudicium auferendos eſſe malos ab Eccleſiæ communione; vt ſi per iudicium auferri non poſſunt tolerentur potius, ne peruerſè malos quiſque euitando ab Eccleſia ipſe diſcedens, eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam*; & poſt pauca, ſic ait. *Non enim contrarium eſt huic loco id, quod alio loco ait Apoſtolus: Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Suo Domino ſtat, aut cadit. Noluit enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario vſurpato iudicio: ſed potius ex lege Dei ſecundùm ordinem Eccleſiæ, ſiuè vltrò confeſſum, ſiuè accuſatum, atque conuictum. Alioquin illud cur dixit (Si quis frater nominatur, aut fornicator, aut idolis ſeruiens, & cætera) niſi quia eam nominationem intelligi volunt, quæ fit in quemqam, cum ſententia, ordine iudiciario, atque integritate, profertur? nam ſi nominatio ſola ſufficit, multi damnandi ſunt innocentes: quia ſæpè falsò in quoquam crimina nominantur.* Hactenus Auguſtinus.

Vndè nedum Sancti Patres, ſed & Apoſtoli hac forma iudicandi vtebantur, puniendi ſcilicet delicta, & crimina in foro exteriori, vti conſtat egiſſe Apoſtolum Paulum iuxtà Auguſtinum, & manifeſtè id apparet ex Textu D. Pauli, nam ipſe peccatorem illum damnauit, non quia illius confeſſionem audijſſet, ſed quia murmur erat inter fideles, vti de re maximè ſcandaloſa. *Omninò*, ait, *audi-*

tur

tur inter vos fornicatio &c.

Tertiò. Conſtat, iudicium illud latum non fuiſſe à Confeſſarijs in foro conſcientiæ, nam penès Confeſſores non erat authoritas, publicas illas pœnitentias imponendi, cum ex illis plures in priuatione Eccleſiaſticarum dignitatum, ac depoſitionibus ab honoribus, etiam ſæcularibus, poſitæ eſſent, vt videre eſt apud Auguſtinum in Epiſtola ad Bonifatium.

Quartò. Quia pœnitentes abſoluebantur aliquando ante pœnitentiam expletam, etiamſi non periclitarentur de vita, vt conſtat ex *cap. Presbyter diſt.*82. Vbi cum Presbytero fornicario præſcribatur pœnitentia decem annorum, conceditur tamen, vt poſt ſeſqui annum Corporis, & Sanguinis Domini particeps fiat. Idem habetur ex Nicolai Papæ *cap. de Viro* 1 ⁊.*q.*2. *& ex Concilij Ancyrani Can.*5. 6. *&* 8. vbi cum de illis, qui admittebantur ad Communionem tertio, quarto, ſexto anno, definitur, vt anno demum ſequenti perfectionem ſuam recipiant. Certum eſt autem, quod ſi pœnitentia illa fuiſſet Sacramentalis, & à Confeſſario iniuncta, non potuiſſet pœnitens, ante illius completam abſolutionem abſolui, cum tota illa pœnitentia iam facta eſſet pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Canones igitur Pœnitentiales, & pœnitentiæ in eis contentæ tantùm habuerãt locum in foro exteriori Eccleſiaſtico non in interiori pœnitentiali, & ità plures Doctores arbitrantur, Nauarr. in *Comment. de Pœnit. diſt.*5. *in cap. falſas*. Valerus de differentijs vtriuſque fori, verbo Pœnitentia differentia quarta. Ludouicus Bail de triplici examine, Ordinandorum, Confeſſariorum, & Pœnitentium *par.*3. *pag.* 541. *& alij*: Vndé & abſolutio, quæ ab huiuſmodi pœnitentijs reis poſt illarum expletionem concedebatur, Eccleſiaſtica fuit, & Canonica, & pro foro externo, pœnitentiarum qualitati reſpondens, non verò Sacramentalis, & pro foro interno, & prætereà publica erat, proindè non Sacramentalis.

Sed quoad deſuetudinem pœnitentiarum in Canonibus pœnitentialibus contentarum, illud etiam obſeruandum cum Baronio *tom.* 11. *Annal.* ad Annum 1055. Ex Petro Damiano in Epiſtola ad V. Epiſcopum ſcripta; Quod videlicet Eccleſia Canones Pœnitentiales nominatos, ad coercendos homines, ne abſque diſciplina, atque timore ſupplicij prolaberentur ad mala, conſtituit, eoſdemque Vniuerſa Eccleſia, Romana præſertim retinere conſueuit in ſuo vigore, & obſeruantia venerandos. Sed cum temporum iniuria eorum ſeuera cenſura prætermiſſa videri poſſet, eos iterum in vſum priſtinum reuocare ſtuduit; præſertim Anno 1055., quo tandem poſt tot naufragia Eccleſiarum exul cenſura poſtliminio reuocata vigere cœpit: *Quoniam verò* (ſubdit Baronius) *contingeret ob iterata frequenter peccata mortalia, quorum cauſa plurium annorum pænitentia inferretur, deſperare homines tot annorum curriculis, & aliquando ſua ætate integra ſub eodem pænitentiæ faſce gemere, immò interdum, nec hominis ætatem ſufficere, ad expianda per pænitentiam præſcriptam à Canonibus*

nibus

nibus commiſſa peccata: aperta eſt in Eccleſia ianua pœnitentiæ redemptionis, ne quis ex hac vita Eccleſiæ debitor præuentus morte decederet, factumque eſt, vt breuiori compendio temporis ſatisfaceret, quæ plurimorum annorum termino perſoluere teneretur: quæ quidem redemptio multiplici via, qua vnicuique hominum ſtatui proſpectum eſſet, vt fieri poſſet conſultum optimè fuit: nimirum, vt qui diuitijs affluerent, erogando eas in vſum pauperum, pro quantitate perſoluti pretij tot redimeret ei annos, quot lex Eccleſiaſtica conceſſit. Hoc eſt ergò, quod Petrus Damiani ait (Non ignoras, quia cum à pœnitentibus terras, poſſeſſiones agrorum videlicet, accipimus, iuxtà menſuram muneris, eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus) Quibus plenè oſtendit, bona Eccleſiaſtica, eiuſmodi fieri ſolita redemptione, aucta veniſſe. Hactenus Baronius.

Rurſus (addit Baronius) *ne diuitibus tantùm aperta redemptionis huius ianua videretur, aliæ ab Eccleſia excogitatæ ſunt corporeæ afflictiones, quibus pauperes, & alij, qui vellent, redimere breui tempore multiplices annos poſſent. De iſtiuſmodi remedijs apud Burchardum, tractatio prolixior eſt. Scripſit enim librum Decretorum pœnitentiæ, qui in ſua Collectione ordine numeri ponitur Decimus nonus: à cuius capite duodecimo de pœnitentiæ redemptione agere ſic incipit. (Pro vno die, quem in pane, & aqua ieiunare debet, quinquaginta Pſalmos in Eccleſia, ſi fieri poteſt, decantet, ſin autem in loco conuenienti eadem faciat, & vnum pauperem paſcat, & eo, excepto vino, & carne, & ſanguine quidquid velit comedat (& de alijs ſimilibus vſque ad caput vigeſimum quintum incluſiuè.) Ea verò omnia ex Romano Pœnitentiali ea recitare profitetur.* Hæc Baronius *loco cit.* Sed & ad annum 1056. ſic ait (*eodem quoque tempore, etſi non eodem Auctore Petro Damiani, tamen certo propagatore, atque aduerſus impugnantes propugnatore, introductus eſt in Eccleſia ille laudabilis vſus, vt pœnitentiæ cauſa fideles verberibus ſe ipſos afficerent, flagellis ad hoc paratis idoneis, exemplo Beati Dominici Loricati ſibi ſubditi ſanctiſſimi Eremitæ.*) Hæc Baronius.

Ex quibus apparet, quod cum ob iterata frequenter peccata, vt Baronius ait, & propter multitudinem fidelium toto Orbe propagatorum, & propter longitudinem temporis, quo pœnitentiæ in Sacris Canonibus taxatæ exequutioni mandari non poſſent, pœnitentiæ illæ paulatim in Eccleſia deſueuerint, alijs paulatim in earum locum ſubſtitutis, ipſamet Eccleſia probante; Huiuſmodi ſunt peregrinationes ad loca ſancta, Hieruſalē, Romam, ad Compoſtellam, ad Sacram Ædem Lauretanam, & ad alia ſacra loca, ieiunia ſpecialia, Eccleſiarum viſitationes, ſtationes, eleemoſynæ, erectiones Templorum, & Hoſpitalium, profectiones ad bella contra infedeles, ingreſſus etiam, & profeſſio in Religioſis Ordinibus, & alia plura, quæ antiquis Canonum pœnitentijs ſubſtituta ſunt; quibus additis etiam Indulgentijs frequentioribus, quæ nonniſi cum pœnalium operum iniunctione conceduntur, pœnæ temporales à Sacris Canonibus iniunctæ, ac etiam illæ, quæ in Pur-

Purgatorio eſſent luendæ, redimuntur.

Quare non eſt, quod Authores præfati ſub ſpecie zeli, & pietatis Eccleſiæ ſuperſapere velint, & expediens fore aſſerant, quòd iterum in praxim venirent Canonicæ pœnitentiæ, quibus, iuſtis de cauſis, vt oſtendimus, alias pœnitentias, aliaque opera pœnalia Eccleſia Spiritu Sancto edocta, ſubſtituit. Quædam enim pro aliquo tempore congruunt, quæ non congruunt ſequentibus temporibus, & plura in primitiua Eccleſia apud primos Chriſti fideles in vſu erant, quæ ſequentibus temporibus, ſtatu rerum mutato, deponere oportuit.

Sic etiam, primis ſæculis conſuetudo erat, quod peccatores præter ſecretam, & apud Sacerdotem de peccatis factam confeſſionem, aliam publicam de iiſdem coram alijs fidelibus facerent, quam tamen conſuetudinem poſtmodum S. Leo abolendam decreuit; Ità planè habetur *Can. 89. de pænitentia*, vbi ſic habet: *Quamuis plenitudo Fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur; tamen quia non omnium huiuſmodi ſunt peccata, vt ea, qui præſentiam poſcunt non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pænitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare; pro quibus poſſunt legum conſtitutione percelli; ſufficit enim illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedat. Tunc enim demum plures poterunt prouocari, ſi Populi auribus non publicetur conſcientia Confitentis*. Hactenus Leo.

Alia plura poſſent afferri, quæ antiquitus in vſu erant apud fideles, quæ tamen Eccleſia iuſtiſſimis de cauſis, vel ſubſtulit, vel immutauit, quæ cum non pertineant ad ſubſtantiam fidei, vel Sacramentorum, Eccleſia tollere, vel immutare potuit; Hanc autem tollendi, vel immutandi, quæ accidentalia ſunt, poteſtatem, agnoſcere neceſsè eſt in Eccleſia.

Idque fide certum, cum definitum ſit in Concilio Tridentino *ſeſſ. 21. cap. 2.* his verbis: *Præterea (Sancta Synodus) declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum adminiſtratione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatuere, vel mutare, quæ ſuſcipientium vtilitati, vel Sacramentorum venerationi, pro rerum ac temporum, & locorum varietati magis expedire iudicaret, &c.* Hinc infert, Eccleſiam tollere potuiſse antiquam conſuetudinem fideles communicandi ſub vtraque ſpecie, ſubdens. (*Quare agnoſcens Sancta Mater Eccleſia, hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Chriſtianæ Religionis non infrequens, vtriuſque ſpeciei vſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis, latiſſimè iam mutata illa conſuetudine, grauibus, & iuſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbauit, & pro lege habendam decreuit, quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libitu mutare non licet*) & Can. 2. apponit anathema dicentibus, Sanctam Eccleſiam Catholicam non iuſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſse, vt laicos, atque etiam Clericos

eos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in eo errasse.

Quam poteſtatem in Eccleſia agnoſcendam definit Concilium, quoad accidentalia Sacramentorum, & quoad ritum ea adminiſtrandi, multò magis in eadem Eccleſia agnoſcendam eſſe dicendum eſt, quoad alios ritus, & conſuetudines, quod videlicet eas pro rerum, ac temporum, & locorum varietate tollere, vel immutare potuerit, prout fidelium vtilitati, vel Eccleſiæ decori expedire cognouerit, & quod, ſi aliquàm conſuetudinem ſubſtulerit, iuſtis de cauſis eam ſubſtuliſſe, dicendum ſit, ita vt oppoſitum dicere nefas ſit.

Prætereà iam oſtendimus morem illum peccatores, nonniſi poſt peractam pœnitentiam Sacramentalem abſoluendi nunquam fuiſſe in Eccleſia: Vndè abſolutionem nonniſi poſt peractam pœnitentiam Sacramentalem impendendam eſſe, aut id expediens eſſe aſſerere, eſt velle nouos in Eccleſiam ritus inducere in adminiſtratione Sacramentorum, quodque tangit etiam Pœnitentiæ Sacramentum, vel certè ordinem partium ponendarum iuxtà inſtitutionem à Chriſto Domino factam. Ad pœnitentias verò in Canonibus pœnitentialibus redeundo; eas iuſtis de cauſis ſublatas ab Eccleſia fuiſſe dicendum eſt, & vt ait S. Bernardus de Præcepto, & diſpensatione (*Nonnè iuſtiſſimum eſſe liquet, vt quæ pro Charitate iniuncta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius deputentur.*) Pro charitate autem pœnitentias Canonicas inductas fuiſſe, & pro charitate ſublatas, atque in alias commodius commutatas, conſtat ex dictis.

Rationes verò, ac motiua, quibus Eccleſia ad Canonicas illas pœnitentias tollendas, & ad eas in alias commutandas, permota fuit, ſunt quæ ſuperius adduximus, & militant multò magis in præſenti; Vndè irrationabiliter diceretur, quod innouandæ ſint, & iterum inter fideles inducendæ, immò & propter multitudinem fidelium, & propter alias rationes adductas non poſſent prædictæ pœnitentiæ in præſenti exequutioni mandari.

Verum quidem eſt, neceſsariam eſse Sacerdotibus fidelium confeſſiones excipientibus Canonum pœnitentialium notitiam, non vt pœnitentias in eiſdem pro peccatis ſtatutas imponant, ſed vt grauitatem peccati agnoſcant, eamque pœnitentibus notam faciant, indicando eis, quam grauiter in Eccleſia pro foro exteriori peccata olim puniebantur, ac etiam vt ex iiſdem pœnis in Canonibus pœnitentialibus certis peccatis indictis, diſcere poſſent Confeſſarij, non eſſe leues pœnitentias pro peccatis grauibus imponendas, cum eis in foro exteriori, adeò graues pœnitentiæ iniungerentur. Ideò & S. Carolus neceſſariam dicit eſſe Confeſſarijs notitiam antiquorum Canonum, vt ex his dignoſcere poſſint culpæ grauitatem, & pœnitentiæ iniungendæ qualitatem, eamdem tamen Confeſſarij iudicio, ac prudentia moderandam.

Pro completa rei præſentis doctri-

na, aliquid dicendum ſupereſt de pœnitentijs publicis; Vtrum videlicet peccatoribus imponendæ ſint publicæ pœnitentiæ. Et reſpondeo, quod quæſtio eſſe poteſt, vel de publicis pœnitentijs, quæ antiquitus reis grauiorum criminum imponebantur in Eccleſia; Vtrum ſcilicet, pœnitentiæ conſimiles reis grauiorum criminum ſint ad præſens imponendæ, & ad hoc dico, quod pœnitentiæ illæ publicæ antiquæ iam in Eccleſia exoleuerunt, & ex rationibus ſuperiùs adductis Eccleſia ab eis iniungendis abſtinet, illæ proindè non ſunt peccatoribus imponendæ, & idem dico de pœnitentijs ſolemnibus, quæ antiquitus in vſu erant in Eccleſia. Vel quæſtio eſſe poteſt de pœnitentijs publicis diuerſæ rationis ab his, quæ antiquitus imponebantur, ſed pœnitentiæ publicæ dicantur, quia fiunt coram alijs, & ſi nec adeò graues ſint, nec adeò longæ ſicut pœnitentiæ antiquæ, & de huiuſmodi publicis pœnitentijs dico, eas imponi poſſe, & imponendas eſſe publicorum criminum reis; Ita enim habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. ſic enim ibi dicitur (*Apoſtolus monet, publicè peccantes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, vndè alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe, non ſit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet; vt quos exemplo ſuo ad malos mores prouocauit, ſuæ emendationis teſtimonio, ad rectam reuocet vitam, Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis iudicauerit expedire*) hactenus Concilium.

Hæc ergò publica pœnitentia iniungenda eſt, vt ait Conciliũ, quando crimen commiſſum eſt publicum, & licet Concilium loquatur de foro exteriori, imponi poteſt pœnitentia publica etiam in foro interiori, quando peccatum eſt publicum, nec proptereà Sacerdos reuelat confeſſionem talem pœnitentiam iniungendo, inquit S. Thomas *in 4. ſentent. diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 5. *quæſtiunc.* 1. quia ſi ſit peccatum publicum, ipſe pœnitens exequendo pœnitentiam, confeſſionem à ſe factam manifeſtat.

Poteſt autem Confeſſor propter crimen occultum pœnitentiam publicam iniungere, pœnitentiam videlicet, quæ ſolùm dicatur publica, quia publicè fiat, ſed perſona maneat occulta, vel cauſa, quia ſit res, quæ ſpontè fieri ſoleat, vel fieri poſſit pro alio, & neque hoc pacto Sacerdos confeſſionem reuelat talem pœnitentiam iniungendo, inquit S. Thomas *loc. cit.*, quamuis ſuſpicio oriatur, illum aliquod enorme peccatum commiſiſſe, non enim culpa pro certo ſcitur ex pœna, quia quandoque aliquis pœnitentiam pro alio facit, ſicut legitur in Vitis Patrum, de quodam, qui vt ſocium ſuum ad pœnitentiam prouocaret, ipſe cum eo pœnitentiam egit.

Cæterum quæſtio eſt de pœnitentia ità publica, quæ ità fiat coram alijs, vt ex illa colligi poſſit, Confeſſarium propter graue crimen illam impoſuiſſe. Et de hac pœnitentia publica propter occultum crimen, etſi grauiſſimum, dicendum eſt eam

à Con-

à Confeſſario imponi non poſſe, & ratio eſt, quia videtur eſſe contra ſigillum, Vndè Nauarrus *in c. Sacerdos de Pœnit. d.6. num.86.* & in *ſum. c.8. num.* 10. negat, tales pœnitentias poſſe imponi, Vnde Concilium Tridentinum, & alia iura ab eo allegata loquuntur de peccato publico, & pro foro exteriori, & ſententiam Nauarri ſequuntur communiter Theologi, videlicet propter peccata occulta, etſi grauiora, non debere imponi pœnitentias publicas, tum propter rationem adductam, tum etiam quia ſint improportionatæ, & contra bonam famam pœnitentis. In peccatis verò publicis imponendas eſſe, quia ità expedit ad Eccleſiæ ſatisfactionem, & exemplum; Ità profectò S. Thomas in 4. *diſt.* 14. *loc. cit.* & *diſt.* 17. *q.3. artic.4. q.4. ad* 4. Alenſis 4. *p. q.14. membr.6. art.1. aliàs quæſt.64. membr.* 1. Paludanus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.6.* Durandus *q.4.* Sôto. *diſt.19. q.21. art.5.* S. Antoninus 3. *p. tit.14. c.17. §.6.* Medina *tract.2. q.44.* Suarez *tom. 4. in 3. p. diſput.38. ſect. 6. & alij communiter.*

Et hæc dicta ſufficiant in confutationem recentis ſententiæ de dilata olim vſque ad pœnitentiæ Sacramentalis expletionem abſolutione Sacramentali.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum liceat baptizare filios Turcarum aliorumque Infidelium, Parentibus eos pro corporali ſalute baptizari petentibus, ſi renuentibus eos baptizare, mors, aut aliud graue damnum ab Infidelibus immineat.

CAſus eſt. Quod Turcæ, alijque Infideles proprios filios à Miſſionarijs, & Miniſtris Chriſtianis baptizari petunt, ad remouendum ab eorum corporibus fœtorem quemdam ingenitum, ac etiam ad liberandum eos à comitiali morbo, à maleficiorum periculo, à Lupis, & ab alijs corporis malis comminando mortem, aut eiectionem à miſſione, vel Parochia Miſſionarijs, ſi baptizare illos renuant. Quæritur, vtrum liceat in his circumſtantijs filios Turcarum, & aliorum Infidelium baptizare.

ASSERTIO PRIMA.

Non licet Turcarum, aliorumq; infidelium filios baptizare, Parẽtibus eorum Baptiſmum pro illorum ſalute corporali petentibus, ſi adſit moralis certitudo, quod illi in adulta ætate peruertendi ſint à Parentibus, etiamſi renuentibus eos baptizare mors, aut aliud graue damnum ab Infidelibus immineat. Hæc autem moralis certitudo adeſt, ſi filij poſt Baptiſmum à Parentibus infidelibus non ſeparentur.

ITa magis communiter Doctores, vt videbimus infrà. Ratio verò fundamentalis ea eſt; Quòd baptizare Infidelium filios cum certitudine morali futuræ illorum peruerſionis, eſt de ſe, atque intrinſecè malum, ergò nec morte, aut alio graui damno ab Infidelibus imminente poteſt eſſe licitum; Conſequentia patet, nam quod eſt intrinſecè malum, in nullo caſu poteſt eſſe licitum, nullaque circumſtantia, aut intentione cohoneſtari, aut rectificari poteſt; Antecedens verò probatur. Nam baptizare filios Infidelium cum certitudine morali de futura illorum peruerſione, eſt grauiſſimum Sacrilegium committere, nam eſt exponere Baptiſmi Sacramentum manifeſtæ profanationi, & futuræ iniuriæ, quæ continget per apoſtaſiam, & receſſum à Baptiſmo, & à fide per illum recepta; Vndè ſicut grauiſſimum ſacrilegium committeret, qui Sacroſanctam Hoſtiam impiorum pedibus conculcandam exponeret, vel eam cum morali certitudine futuræ conculcationis conſecraret, ita & grauiſſimum ſacrilegium committeret, qui Baptiſmi Sacramẽtum conferret cum morali certitudine, quod à Baptizato ſit impijs dogmatibus profanandum. Et quidem grauiſſima iniuria, & profanatio Baptiſmi eſt, quod illius charactere inſignitus (ſcilicet charactere Chriſti) ſignetur poſteà charactere beſtiæ, ſeù diaboli per profeſſionem impijſſimæ ſectæ, & rurſus grauiſſima Baptiſmi iniuria eſt, vt quis religionem omninò ei contrariam profiteatur, & à fide, quam in Baptiſmo accepit, recedat, & quod qui per Baptiſmum conſecratus eſt Chriſto, eiuſque membrum effectum, fiat poſtmodum ſeruus, ac membrum Diaboli, cuiuſmodi ſunt Infideles, & Infidelium ſectam profitentes. Prætereà horrendum eſt, quod Sacramentum Baptiſmi, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, ſcilicet Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ei conferatur, qui myſterium Trinitatis abnegaturus eſt, immò & ipſam Trinitatem blaſphematurus, vti ſunt Turcæ, alijque Infideles, qui ab hoc myſterio abhorrent. Vlterius grauis iniuria irrogatur Chriſto Sacramenti Baptiſmi Inſtitutori, quod cum ipſe ſit

ve,

verus Deus, veruſque Dei Filius, Baptiſmus eis conferatur, qui eius diuinitatem ſunt negaturi, vti eam negant Turcæ, alijque Infideles. Specialiter autem irrogaretur iniuria Sacramento Baptiſmi, ſi conferretur Turcarum filijs, qui ad ætatem adultam peruenientes Mahometanam ſectam profitentur, cum enim Mahometani circumcidantur, ſic maneret Baptiſmus, eiuſque character cum circumciſione, quod eſt contra Chriſti inſtitutionem, qui Baptiſmum inſtituit ad excludendam circumciſionem. Quod autem conferre Baptiſmum Filijs Turcarum, & Infidelium, qui ſuos filios pro ſalute corporali baptizari efflagitant, ſit Baptiſmum eis conferre cum periculo peruerſionis illorum futuræ, certum eſt, ſi eorum filij, apud Parentes infideles, vt ſupponitur, educentur, immò tunc eſt certitudo moralis futuræ illorum peruerſionis, ac proindè certitudo moralis de iniuria inferenda Sacramento Baptiſmi; conferre autem Sacramentum Baptiſmi cum notitia moraliter certa de iniuria ei inferenda, eſt intrinſecè malum, quod autem eſt intrinſecè malum in nullo caſu eſt licitum; Nec vlla circumſtantia, vel intentione rectificari poteſt, aut cohoneſtari, ac proindè, cum Baptiſmum Infidelium filijs conferre, qui infidelium ſectam profeſſuri ſunt, ſit de ſe, & intrinſecè malum, nec etiam imminente ab Infidelibus morte, licitum eſt. Et ſicut eſt intrinſecè malum, ac proindè in omni caſu illicitum hoſtiam conſecrare, cum notitia moraliter certa, quod ſit ab Infidelibus conculcanda, ita eſt intrinſecè malum, ac proindè in omni caſu illicitum Baptiſmi Sacramentum conferre cum notitia moraliter certa, vel etiam probabili, aut dubia, quod ei ſit inferenda iniuria, vti certum eſt ei inferendam fore, ſi filius Infidelium poſt receptum Baptiſmum, apud eoſdem Infideles ſit educandus.

Eſt autem argumentum hoc adeo efficax, vt cogat omnes Theologos ad aſſerendum, in nullo caſu licitum eſſe, Baptiſmum infidelium filijs conferre, qui apud eoſdem infideles educandi ſunt. Omnes enim fateri coguntur, quod exponere Sacramentum iniuriæ inferendæ, ſit intrinſecè malum, ac proinde in nullo caſu licitum, & rurſus fateri coguntur, quod conferre Baptiſmum filijs infidelium apud eoſdem infideles educandis, ſit exponere Sacramentū Baptiſmi iniuriæ inferendæ, vt conſtat ex dictis; Igitur argumentum eſt cogens, vtpote ex præmiſſis certis, & inconcuſſis procedens.

Sed & hac potiſſimùm ratione S. Thomas 2.2. *quæſt.* 10. *art.* 12. probat, filios Iudæorum, aliorumque infidelium non eſſe baptizandos inuitis parentibus, videlicet propter periculum. *Si enim*, inquit S. Doctor, *pueri nondū vſum rationis habentes, Baptiſmum ſuſciperent, poſtmodum cum ad perfectam ætatem peruenirent, de facili à parentibus induci poſſēt, vt relinquerēt quod ignorantes ſuſceperunt, quod vergeret in Fidei detrimentum*. Igitur Sanctus Thomas Fidei detrimentū agnouit, illudque arguit ex hoc, quod puer baptizatus ante vſum rationis, cum ad perfectam ætatem peruenerit Fidem relinquendi periculo exponatur, & infert

fert ex eo hoc, quod ad eam relinquẽdam facile induci poteſt à parentibus, ſupponendo videlicet, quod puer baptizatus à parentibus infidelibus non ſeparetur; ergo ex Sancto Doctore, quotieſcumque infidelium filij poſt receptum Baptiſmum à parentibus non ſeparantur, periculum illud incurrunt, vt fidem, quam in Baptiſmo ſuſceperunt, de facili poſſint relinquere, cum ad perfectam ætatem peruenerint. Atqui filij Turcarum, & aliorum infidelium, etiamſi cum conſenſu parentum baptizentur, poſt receptum Baptiſmum apud parentes infideles educandi ſunt, vt ſupponitur; ergo & ab his idem periculum incurritur Fidem poſtmodum relinquendi, quod in eiuſdem Fidei detrimentum vergit. Quare cum in vtroque caſu militet eadem ratio,& idem argumentum; ſi ex periculo peruerſionis futuræ pueri baptizati cum conſenſu parentum infidelium, vt in caſu, de quo loquimur contingit, nolit quis conuinci ad dicendum, quod non ſint baptizandi filij Turcarum, & aliorum infidelium,etiam ipſis parentibus conſentientibus, ſi ab eiſdem infidelibus educandi ſint, cogitur dicere, quod Iudæorum, & aliorum infidelium filij baptizari poſſint inuitis parentibus. Sed certè omnes tenentur fateri, argumentum præallatum ex periculo de futura peruerſione pueri, & conſequenter de futuro detrimento Fidei, ac de iniuria Baptiſmi Sacramento inferenda, eſſe conuincens, ac palmare, quod qui non curat, de iniuria Sacramento inferenda non curat, quod tamen in mentem nullius Catholici cadere poſſe putandum eſt.

Ad idem faciunt, quæ Theologi communiter docent in quæſtione illa; Vtrum filius infidelis ſeruus, ac ſerui filius licitè baptizari poſſit, prius quã à parente ſeparetur. In ea enim quæſtione, vt bene Suarez aduertit *tom.3. in 3. par. S. Thomæ ad quæſtionem* 78. *art.* 10. *diſp.* 24. *ſect.* 5. DD. omnes, etiã hi, qui exiſtimãt, licere baptizare hos infantes, inter quos Scotus, hanc conditionẽ requirunt, ſcilicet, vt prius à parentibus ſeparentur, abſque vlla ſpe ad illos redeundi. Vnde extra controuerſiam apud omnes Theologos eſt, omneſque affirmant, Baptiſmum colla tum infidelium filijs, qui à parentibus non ſint ſeparandi, eſſe illicitum, quia ſi filius cohabitet cum patre infideli, ac poſſit vti conuerſatione, ac familiaritate illius, & pater exercebit circa filium ſuperſtitioſas actiones,& ritus ſuæ Religionis contra reuerentiam Baptiſmo debitam,& ipſe filius educabitur magno periculo apoſtatandi à Fide per Baptiſmum ſuſcepta, quę duo in eo caſu ſunt moraliter coniuncta cum illa actione, ita vt abſolutè & ſimpliciter cenſenda ſit illicita.

Idem obſeruat Eſtius *in* 4. *ſentent. diſt.*6. §.2. Sic enim ait. *Si puer apud infideles parentes ſit permanſurus, ab iiſque in infidelitate educandus nullo modo baptizari debet inſcijs, aut inuitis parentibus, immo nec ijs conſcijs, & conniuentibus, ne Sacramento iniuria fiat. Nam ſicut Baptiſmi Sacramentum non eſt dandum adulto, qui Chriſtianam Fidem non ſincerè profitens mox ad priſtinã infidelitatem reuerſurus videatur, ita nec paruulo, quem ſcimus falſa religione à parentibus imbuendum. Vnde zelum pie-*

tatis

tatis habent, non ſecundum ſcientiam, qui Anabaptiſtarum, vel Iudæorum, vel aliorum infidelium pueros munuſculis ad ſe pellectos furtim baptizant, ac deinde ad parentes remittunt, quibus vtique ſi ſuperſtites maneant, nihil præſtatur: nam aut in infidelitate permanebunt, atque ita nihil eis confert Baptiſmus, aut ad Catholicam Religionem conuertentur, atque ita baptizare illos iterum oportebit, quia non cenſetur iteratum, quod factum neſcitur.

Idem ex eodem motiuo futuræ peruerſionis pueri docent in caſu præſenti omnes fere Theologi, qui de hac re pertractant. Filiuccius *tract. 2. de Sacramento Baptiſmi cap. 6. quæſt. 8. numer.* 145. Caſtropalaus *de Baptiſmo puncto 6. num.* 12. Layman. *lib. 5. artic. 2. cap. 6. concluſ.* 2. Stephanus à S. Gregorio Ord. Eremit. Excalceat. S. Auguſtini *in tract. de Diuinæ pietatis vinculis cap.* 14. *num.* 12. Tannerus *tom. 4. num.* 85. Collegium Salmanticenſe Patrum Carmelit. Excalceat. in curſu Theologiæ moralis, *tract. 2. de Baptiſmo cap. 6. puncto 2. num.* 18. Paſſerinus *de hominum ſtatibus, & officijs ad quæſt.* 182. 2. 2. *S. Thomæ art. 1. dubit. 7. num. 16.* & alij.

Quare hanc ſententiam illi omnes tenere coguntur, qui docent, infantes, quorum parentes infideles, ſunt propriè ſerui Chriſtianorum, poſſe inuitis parentibus baptizari, dummodo conſtituantur extra parentum curam, & vbi non ſit periculum peruerſionis. Hi verò Authores ſunt, Durandus, Scotus, Palaus, Suarez, Valentia, Enriquez, & alij, quos affert & ſequitur Granad. *Tom. 5. in 3. par. controu. 4. tract. 4. diſp. 5. ſect. 4.* Hi enim omnes in eo ſuam ſententiam fundant, quod licitum ſit Dominis ſeparare parentes ſeruos, à filijs, illos vendendo, aut alia ratione vtendo iure dominij; eo autem ipſo quod ſeparentur, ita vt non ſubijciantur infantes illorum gubernationi; ſufficienterque prouideatur, ne ſit periculum peruerſionis, ceſſant omnes rationes, ob quas non liceat infantes infidelium baptizare, &c. Ita Granado *loc. cit.* Vnde iuxta hos Authores ſi adeſſet periculum peruerſionis, vti & adeſſe agnoſcunt, ſi infantes illi penes parentes remanerent, non eſſent baptizandi, ac proinde cum in caſu præſenti infantes remanſuri ſint penes parentes infideles, adeſt periculum peruerſionis, quod obſtat, ne baptizari poſſint.

Idem aſſerere tenentur Authores illi, qui docent, filios infidelium, etiam non ſeruorum, ſi extra parentum curam poſiti ſint, poſſe ſine illorum conſenſu licitè baptizari, nam aiunt in hoc caſu ceſſare omnino rationes propter quas non licet baptizare filios infidelium parentibus inuitis, quia conſuetudo Eccleſię non eſt contraria, & aliàs id non cæderet in detrimentum Catholicæ Religionis, quia ſupponitur filios non fore ſub parentum cura, ac proinde non adeſſę periculum deceptionis, ſeu peruerſionis. Ita idem Granado *loc. cit.* Ex his enim habetur, quod iuxta hos Authores, cum adeſt periculum peruerſionis infantiũ, eos non poſſe licitè baptizari, tenentur ergo Authores iſti conſequenter aſſerere, non poſſe Turcarum, aliorumque infidelium filios licitè baptizari,

zari, cum ad ſalutem corporalem eos baptizari petunt, ſi apud eoſdem parentes infideles permanſuri ſint, adeſt enim tunc moralis certitudo futuræ peruerſionis illorum.

Id autem Authores iſti pro grauiſſimo inconuenienti habent, quod nullo alio bono ſit compenſabile; nam peruerſionem pro magno inconuenienti generaliter habent, nulla diſtinctione, aut limitatione appoſita, & peruerſionem, vt moraliter certam ſupponunt, ſi infidelium filij poſt receptum Baptiſmum apud parentes infideles relinquantur; vnde ad illud non recurrunt, quod maior pars illorum infantium ante vſum rationis decedant. Id enim vel reputant falſum, vel cenſent non eſſe motiuum ſufficiens ad infantes illos baptizandos, ſi remanſuri ſint apud parentes infideles, cũ adhuc alij ſint, qui nõ ſunt morituri ante vſum rationis, qui proindè peruertendi ſunt à parẽtibus infidelibus.

Quare argumentum hoc ex periculo futuræ peruerſionis pueri vnicè conuincit intentum. Nam quod aliqui dicunt, Baptiſmum inſtitutum fuiſſe à Chriſto non ad inducendam ſalutem corporalem, ſed ad ſanctificandum hominem, & ad tollendum peccatum originale, & ad efficiendum hominem Chriſti membrum, & ideo non licere Chriſtiano Baptiſmũ conferre infidelium filijs ab ipſis infidelibus, pro ſalute corporali oblatis, non vrget: nam etſi Baptiſmus non ſit inſtitutus ad inducendam ſalutem corporalem, ſed ad ſanctificandum hominem, non ideo, qui baptizat filium infidelium, ab eis pro ſalute corporali oblatum, cooperatur, aut influit in eam prauam intentionem infidelium puerum offerentium, nec in receptionem Baptiſmi ſub ea intentione recepti, ſed poteſt Baptizans propriam rectificare intentionem, itaut habeat intentionem conferendi dumtaxat Baptiſmum, & permittere vt Baptiſmus petatur, & recipiatur ad inducendam in pueros ſalutem corporalem. Id autem permittere etſi illicitum ſit nullo iuſto exiſtente motiuo, licitum tamen eſt iuſto motiuo exiſtente, nam ex motiuo iuſto licet permittere malum. Sed de hoc latius infra.

Afferuntur aliquot Argumenta contra poſitam Aſſertionem.

Contra poſitam aſſertionem primò illud obijciunt Aduerſarij, quod ſi ex periculo peruerſionis futuræ non liceat in caſu poſito baptizare filium infidelium ab eis pro corporali ſalute oblatum, nec licitè baptizari poterunt filij hęreticorum manentes ſub cura, & cohabitatione parentum, nam licet Eccleſia habeat ius baptizandi hos infantes, eo quod parentes eorum baptizati ſint, tamen ex parte periculi contra Religionem, videtur eſſe idem incõmodum, ſcilicet apoſtaſiæ. Nam huiuſmodi infantes ſine dubio cum ad vſum rationis peruenerint, imbuentur infidelitate parentum, & ab Eccleſia apoſtatabunt, vt experientia conſtat. Conſequens autem videtur eſſe valde rigidum, & contra conſuetudinem omnem.

Secundo etiam ſequitur, filios eorum, qui ex Mahometanis aut Iudæis conuerſi Religionem Chriſtianam exte-

te-

terius tantùm profitentur, vt in aliqua regione contingit, non poſſe licitè baptizari, quia eſt morale periculū, quod a parentibus, & ſuperſtitiosè tractentur, & ad apoſtaſiam inclinentur, vt eſt etiā experientia compertum.

Tertio ſequitur, etiam filios iam adultos non eſſe baptizādos, niſi prius, aut poſt Baptiſmum à parentibus infidelibus ſeparentur, quia & in his eſt periculum apoſtaſiæ, hoc autem non ita fieri videmus; nam ſi filius Iudæi Romæ, vel alibi Baptiſmum petat, & poſt ſufficientem inſtructionem firmus in fide inueniatur, baptizatur, & non cogitur mutare domicilium, vel parens, vel filius.

Quarto, licet conferre Baptiſmum filio Chriſtiani ante vſum rationis, etiamſi ſit periculum, quod cum ad vſum rationis peruenerit à patre Chriſtiano improbè malis moribus imbuatur, & ad peccata inducatur, ac peruertatur, ergo & licebit filium infidelium ante vſum rationis baptizare, etiamſi periculum ſit, quod ad vſum rationis perueniens à parente infideli peruertendus ſit ad falſam Religionem per infidelitatem. Probatur conſequentia, nam homo peruertitur, nedum per peccatum infidelitatis, ſed etiam per alia peccata; & nedum infidelitas, ſed etiam alia peccata Baptiſmo aduerſantur; ergo ſicut licet baptizare puerum, etiamſi ſit periculum, quod ſit peccaturus, cum ad ætatem adultam peruenerit, peccatis contra charitatem, ita & licebit baptizare puerum, etiamſi ſit periculum, quod cum ad ætatem adultam peruenerit ſit peccaturus contra fidem.

Soluitur primum argumētum, & oſtenditur nec etiam Hæreticorum filios baptizandos eſſe, ſi ſint ab Hæreticis educandi.

Ad primum argumētum reſpondēt aliqui, eſſe diſparem rationē de filijs Turcarū, ac de filijs Hæreticorum, quod in primis Eccleſia habeat per ſe, & directè ius ad baptizandum filium hæretici baptizati, etiamſi pater hæreticus ſit. Deinde habet etiam directam poteſtatem, vt ipſum poſſit carcerare, ne filium erroribus, & hæreſibus decipiat. Præterea. Ex parte periculi moraliter loquendo, videtur eſſe minus in parente Hæretico, quia abſolutè non negat Chriſtum, ſicut Ethnicus, & Paganus, vel etiam Turca, qui negat eius Diuinitatem, & ideo quamuis ex parte ſubiecti Hæreticus deſtruat omnem Fidem Chriſti; tamen ex parte obiecti non omnino euertit Euangelium, & totam Chriſti doctrinam, & ita non omnino ſeparabit filiū à Chriſto, & à nomine Chriſtiano. Rurſus, inter Hæreticos moraliter nūquam deſunt Catholici, qui poſſint inſtruere in vera Fide huiuſmodi infātes, quando peruenerint ad vſum rationis.

Hæc tamen, vt bene ait Suarez *loc. cit.* non ſatisfaciunt, nam reuera poteſt vrgeri caſus in quo ſit idē periculum infidelitatis, immo maius, quam in caſu, de quo loquimur; quia poteſt eſſe maior penuria veræ doctrinæ, & minor facultas ad coercendos Hæreticos. Parum autem refert ad periculum tollendum ius, quod Eccleſia ha-

bet, ſi non eſt potens ad illud exequendum. Parum item refert, quod Chriſti doctrina in totum, aut in partem negetur, ſi omninò incurritur apoſtaſia à Fide, & ab Eccleſia.

Quocirca cum eodem Suarez dicendum eſt, quod vt conſequenter loquamur, idem ſtatuendum eſt in caſu de hæretico, quod de quocumque alio infideli, videlicet nec hæretici filium baptizandum eſſe, ante vſum rationis, ſi adſit periculum futuræ illius peruerſionis, vti adeſſe videtur, ſi ab hæreticis non ſit ſeparandus: Ait verò Suarez, quod vt Miniſter Catholicus licitè filium hæretici baptizare poſſit, neceſſarium ſit, vt probabilem ſpem concipiat, fore vt huiuſmodi puer baptizatus poſſit ſuo tempore in vera Fide inſtrui: Nos verò addimus; non ſufficere, quod Miniſter Catholicus probabilem ſpem concipiat fore vt puer baptizatus ſuo tempore poſſit in vera Fide inſtrui, ſed omnino requiri, vt Miniſter certus ſit, quod puer ille pabtizatus, cum ad vſum rationis peruenerit in vera Fide ſit inſtruendus, aliàs enim Baptiſmi Sacramentum exponitur iniuriæ futuræ ob periculum peruerſionis pueri, cum non ſit certum, quod in vera Fide ſit inſtruendus. Vnde vt periculum talis iniuriæ euitetur, non ſat eſt probabilitas de recta inſtitutione infantis in vera Fide, ſed debet eſſe de huiuſmodi inſtitutione certitudo moralis. Iuxta hæc Ægidius de Coninck in Comment. *ad quæſt. 68. 3. par. S. Thomæ art. 10. dub. vnico num. 80.* ait. *Quod quando aliqui hæretici, vel apoſtatæ habitant in locis, in quibus liberè exercēt ſuam religionem, extra periculum mortis, eorum filij non ſunt baptizandi, niſi vel per ſeparationem, vel alia ratione poſſit caueri, ne parentes illos impijs factis, & doctrinis imbuant, quia aliàs fieret contra dignitatem Sacramenti, quod probabilitas magis obeſſet, quam prodeſſet. Quando autem tales habitant in locis, vbi publicè coguntur profiteri Fidem Catholicam, eorum proles baptizandæ ſunt, & per Catecheſes, & Paſtorum vigilantiam, quantum fieri poteſt, omni eorum periculo obuiandum.* Hæc ille.

Becanus etiā *in Sum. de Sacramentis, cap. 10. quæſt. 7.* docet magnam differentiam eſſe (quo ad præſens attinet) inter infideles, & hæreticos, tum quia hæretici poſſunt coerceri ab Eccleſia, ne peruertant filios, ſed permittant illos inſtrui Catholico ritu. Tum etiam quia poſſunt quoq; ſpoliari ſuis filijs. Si tamen eſſet morale periculum ſacrilegij futuri, abſtinendum eſſet à tali Baptiſmo.

Tannerus *tom. 4. diſp. 4. qu. 2. dub. 3. num. 90.* hæc habet. *Infans natus, non ſolùm ex vtroque, ſed etiam ex altero dumtaxat parente baptizato (ſiue pater ſit, ſiue mater) poteſt licitè, etiam vtroque parente inuito baptizari, modò caueatur morale periculum apoſtaſiæ, itaut infans ſub cura parentum infidelium non relinquatur.*

Filiucius *tract. 2. cap. 6. num. 141.* docet, poſſe inuitis parentibus baptizari filios eorum, qui receperunt Fidem, & deinde ab ea deſiuerunt, incidentes in hæreſim, vel Iudaiſmum, vel Paganiſmum. Ratio eſt, quia Eccleſia habet ius cogendi parentes ad ſeruandam Fidem, & afficiendi pœna mortis, ſi pertinaces ſint. Ergo multò magis poterit priuare poteſtate

in

in filium. Præterea ex vi natiuitatis ex parentibus baptizatis, & ſubditis Eccleſiæ, habet Eccleſia ius, & poteſtatem directam in filios, vt eos poſſit in Fide inſtituere.

Quare Doctores docentes filios hæreticorum baptizari poſſe, ſimul expreſsè docent, vel ſupponunt abeſſe periculum prophanationis Baptiſmi, cum pueri ad vſum rationis peruenerint.

Igitur praxis baptizandi per Miniſtrum Catholicum filios hæreticorum, ſi alicubi ſit, non niſi poſitis dictis circumſtantijs probanda eſt, poſito videlicet, quod Catholicus Miniſter moraliter certus ſit, quod infantes illi poſt receptum Baptiſmum, vel cum primùm ad vſum rationis peruenerint ſeparandi ſint ab hæreticis; aliàs praxis illa improbanda eſt tanquam illicita, vtpote exponens Sacramentum Baptiſmi futuræ iniuriæ infidelitatis, & apoſtaſiæ ipſorum baptizatorum. Vnde nec imminente Catholicis morte ab hæreticis, talis Baptiſmus conferendus eſt, cum exponere Baptiſmi Sacramentum manifeſtæ iniuriæ ſit intrinſecè malum, vt iam diximus; ſic & hæretici illicitè baptizant ſuos infantes, quia id faciunt cum animo inſtruendi infantes illos in falſa doctrina, ac religione Baptiſmo contraria.

Occurritur euaſionibus Verricelli, et eius argumenta refelluntur.

Contra ea quæ diximus obijcit Verricellus *in tract. de Apoſtolicis Miſſionibus tit. 6. ſect. 2. quæſt.* 113. aſſignando quinque rationes diſparitatis, quibus nititur probare, maiori, vt ipſe ait, irreuerentiæ exponi Sacramentum, baptizando infantem pagani, quàm hæretici, ideoque vt aliquando ſaluentur paganorum infantes non eſſe baptizandos cum tantæ irreuerentiæ periculo, ſecus autem eſſe de filio hæretici.

Prima diſparitas, quam affert, ea eſt, quia cum paganus omnino neget Chriſti Fidem, eiuſque Sacramenta, & actibus externis blaſphemet Chriſtum eiuſque Sacramenta, magnæ irreuerentiæ, ac riſui infidelium exponitur Sacramentum, cum eis innoteſcet, infantem baptizatum, ac erit ludibrio Baptiſmus: at ludibrio & riſui non exponitur Baptiſmus, cùm innoteſcit, infantem hæretici baptizatum eſſe, hæreticus enim Chriſtum eiuſque Baptiſmum veneratur.

Secundam diſparitatem affert, quod filius hæretici factus adultus, ſi peruertatur, & inuincibiliter erret, erit peruerſio materialis, non formalis, & reuera nulla fiet iniuria Sacramento, neque amittit habitum Fidei, & ſaluabitur, idque vt plurimum contingit; at filius pagani factus adultus, ſi peruertatur, quamuis inuincibiliter erret, & inuincibiliter abneget myſterium Incarnationis, & Trinitatis, erit reuera peruerſio, & fiet iniuria Sacramento, quia etiamſi inuincibiliter erret, adhuc amittit habitum Fidei, & non ſaluabitur: ratio eſt, quia Fides Incarnationis, & Trinitatis (iuxta communem opinionem) eſt de neceſſitate medij, adeo vt nulla, quamuis inuincibilis ignorantia excuſet.

Tertia diſparitas eſt, quia quod infans pagani baptizetur eſt quodam modo contra libertatem Chriſtianæ Fidei, nam ferè certum eſt, quod ſi ille fiat adultus diſſentiet Baptiſmo: At quod infans hæretici baptizetur nullo modo eſt contra libertatē Chriſtianæ Fidei, quia factus adultus, ſciēs gratias aget pro Baptiſmo collato.

Quarta ratio eſt, quia frequentius huiuſmodi hæretici infantes à Catholicis baptizati ſolēt amplecti Catholicā Fidem: At paganorū filij nūquam; quare maiori periculo peruerſionis, & iniuriæ exponitur Sacramētum in filijs paganorum, quàm hæreticorum.

Quinta ratio eſt. Quia Eccleſia poteſt cogere hæreticos ad baptizandos ritè ſuos infantes, at non poteſt cogere paganos; quare cum Eccleſia vtatur iure ſuo illos baptizando, poteſt permitrere peruerſionem, nullum autem ius habet cogendi ad Baptiſmum infantes paganorum, vnde non eſt ratio permittendi eorum peruerſionem. Hæc Verricellus.

Ad primum reſpondetur, dehonorationem, & iniuriam Sacramenti Baptiſmi in Hæretico baptizato, non conſiſtere in blaſphemijs, & iniurijs verbalibus, ſed conſiſtere in dehonoratione, & iniuria reali, nam qui recipit Baptiſmum, & poſtmodum hæreſim profitetur, iam deturpat, & profanat Baptiſmum, quia Hæreſis eſt contraria fidei, quam ille per Baptiſmum profeſſus eſt; per Baptiſmum enim homo profitetur fidem Catholicam, vndè & fidem recipit omnium articulorum Eccleſiæ; qui verò poſt Baptiſmum Hæreſim profitetur, religionem profitetur ei, fideiq; cōtrariam, quam per Baptiſmū ſuſcepit, & ideò iniuria afficit Baptiſmum, ipſumq; profanat, ac deturpat.

Et quamuis Hæreticus non videatur blaſphemare, aut deteſtari Baptiſmum, quem recepit; blaſphemat tamen, ac deteſtatur fidem, quam recepit in Baptiſmo; fides enim, quam in Baptiſmo recepit Hæreticus, eſt fides continens omnes articulos, & omnia myſteria Religionis Catholicæ; quapropter eo ipſo, quod Hæreticus blaſphemat, ac deteſtatur articulos Religionis Catholicæ, blaſphemat, ac deteſtatur fidem, quam in Baptiſmo recepit, ac proindè blaſphemat, ac deteſtatur Baptiſmum, quem ſuſcepit; Baptiſmus enim, quem hæreticus recepit, inuoluit Fidem Catholicam, ac proindè apoſtatat à fide, & Baptiſmo recepto.

Ad ſecundum dicitur non eſſe, nec euidens, nec certum, quinam ex Hæreticis determinatè ſint, qui inuincibili ignorantia errorum ſuæ religionis laboraturi ſint; ac proindè cum inter eos, qui baptizari poſſunt, adſint etiam ij, qui eadem ignorantia non ſunt laboraturi, non eſt Baptiſmi Sacramentum exponendum periculo iniuriæ peruerſionis futuræ, quæ continget in ijs, qui certò peruertentur. Prætterquamquod etiam profanatio materialis Baptiſmi, quæ contingeret in ijs, qui ignoratia inuincibili laborarent, vitanda eſt.

Ad tertium dicitur, quod etiam filius Hæretici baptizatus, diſſentiet Baptiſmo factus adultus, ſi hæreſes, ac errores ſuæ falſæ religionis poſteà profiteatur, quamuis enim verum Baptiſmum receperit, à verò tamen

Bap-

Baptiſmo poſtmodum apoſtatat, nam verus Baptiſmus Fidem Catholicam inuoluit, vt dictum eſt.

Ad quartum dicitur; Nihil ad rem facere, quod Hæretici baptizati frequentius Fidem Catholicam amplectantur, nam hoc certum non eſt, & alij ſunt ex eiſdem, qui Fidem Catholicam non amplectuntur, vndè ſemper Baptiſmus exponitur periculo iniuriæ.

Ad quintum dicitur, nihil referre, quod Eccleſia cogere poſſit Hæreticos ad baptizandos ritè ſuos infantes, immò in hoc opponens abſurdè loquitur; debebat enim dicere, quod Eccleſia poteſt Hæreticos cogere ad educandos filios ſuos in Fide Catholica, quam in Baptiſmo receperunt; ſupponitur enim, hæreticos ritè baptizare proprios filios; ſolùm ergò dici debuit ad rem noſtram, quod cogi poſſunt ab Eccleſia, vt filios baptizatos in Fide Catholica educent, & vt diximus ſuprà, nihil refert, quod Eccleſia poſſit hæreticos cogere, vt filios ſuos in Fide Catholica educent, ſi poteſtatem exequutioni non mandet, aut mandare non poſſit; ac proindè adhuc ea poteſtate poſita Hæreticorum filij poſt Baptiſmum peruertentur; ſicut tolerandum non eſt, quod in eadem obiectione ſubditur, quod ſcilicet Eccleſia poteſt permittere peruerſionem filiorum Hæreticorum; nam Eccleſia non permittit Hæreticorum peruerſionem, ſed impeditur Hæreticos punire, & ideò hæretici in peruerſione manent.

Alia etiam his conſimilia idem Verricellus objicit in principio quæſtionis. Primò namque objicit praxim, & conſuetudinem omnium fidelium, vt ipſe ait, qui hæreticorum filios etiam periculo peruerſionis baptizare conſueuerunt, & Layman. *lib. 5. tract. 5. cap. 6. num.* 12. ait, ità à pijs, & doctis viris practicari ſæpiùs in Germania.

Objicit ſecundò. Quia maius eſt commodum in Baptiſmo horum Infantium, quàm ſit incommodum in periculo peruerſionis; quia periculum peruerſionis non eſt adeò propinquũ, aut certum, cum fieri poſſit, vt infantes ante vſum rationis moriantur, & per Baptiſmum ſaluentur: obſeruatum eſt enim, inquit Layman. tertiam partem hominum, qui in hanc vitam eduntur, ante completi ſeptennij ætatem decedere.

Tertiò. Quia non eſt maior irreuerentia Sacramenti, quam ſit certum periculum ſalutis Infantis; nam hæretici Chriſti nomen, & Chriſtiana Sacra non deteſtantur, ſicut cæteri infideles, & Turcæ, ac Iudæi, vndè non eſt tanta irreuerentia Sacramenti, etiamſi facti adulti peruertantur, vt ob id priuari debeant Baptiſmo, & certo periculo ſalutis exponi.

Quartò. Quia quamuis Infantes iſti facti adulti à Parentibus falſa dogmata edocentur, ſæpè ignorantia inuincibili laborant, vt proindè tales donum fidei Baptiſmalis retineant, & ſaluari poſſint, ſi de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis vera contritione doleant, aut ab ijs ritè per Sacramentum Pœnitentiæ abſoluantur, ergò vt plurimum eorum peruerſio non cedit in iniuriam Baptiſmi, quia non peccant formaliter peccato infidelitatis propter inuincibilem ignoran-

tiam,

tiam, quæ eſt ſententia Auguſtini *epiſt.* 162. *relata* 2. *Can. Dixit Apoſtolus* 24. *q.* 3. vbi ait: *Ritè baptizatus in Catholico ritu, ſi inter Infideles, & hæreticos educetur, vndè falſa Dogmata per inuincibilem ignorantiam edoceatur, talis ſaluatur*, ergò &c.

Quintò. Quia quamuis in aliquo futura eſſet vera, & formalis iniuria Sacramenti Baptiſmi ex peccato formalis hæreſis, tamen hæc iniuria in aliquibus permittitur propter bonum ſpeciale maioris partis ipſorum infantium, qui vel decedunt ante ſeptennium, vel adulti inuincibiliter errabunt.

Sextò. Quia minor cauſa excuſat permittentem infantis peruerſionem: Vndè dicunt Doctores, quod ſi quis plures infantes ſeruos, Turcarum filios habet, quos tanquam ſeparatos à Parentibus baptizare poſſet, ad hoc tamen non obligatur; ſed antequam eos baptizet, poteſt eos reſtituere Parentibus infidelibus permittendo malum peruerſionis eorum, ob cauſam iuſtam, vel quia Dominis nimis difficilè accidit, paruulos captiuos alere, & educare, vel quia captiuorum redemptio iure gentium introducta neceſſaria eſt ad pacem, & ad fœdera ſeruanda, & maiora mala captiuorum, etiam Chriſtianorum vitanda. Ergò ſi propter temporale incommodum poteſt permitti infantis peruerſio, à fortiori propter infantis ſalutem æternam, ſi moriatur ante vſum rationis, vel ſi inuincibiliter erret poſt vſum rationis poteſt permitti peruerſio illius futura, cum iniuria aliquali ipſius Baptiſmi; Hæc Verricellus, quæ pariter ex dictis facilè ſoluuntur.

Ad primùm enim reſpondetur, quod vt ſuprà dictum eſt, praxis illa baptizandi filios hæreticorum, qui poſt Baptiſmum educandi ſunt à parentibus hæreticis, ſi alicubi ſit, non eſt probanda ob rationes ſuperiùs adductas.

Ad ſecundum reſpondetur, idem prorſus argumētum fieri poſſe quoad infantes Iudæorum, Turcarum aliorumque infidelium, quod ſcilicet, & ipſi baptizari poſſint adhuc inuitis parentibus, etiamſi apud eos permanſuri ſint poſt Baptiſmum, & ab eis educandi, quod fieri poſſit, quod infantes illi ante vſum rationis moriantur, & per Baptiſmum ſaluentur, eo quod tertia pars hominum, qui in hanc vitam eduntur, ante completi ſeptennij ætatem decedat, & tamen nullus dixit, ex hoc motiuo baptizari poſſe Iudæorum infantes inuitis parentibus, ſi ab ipſis ſeparandi non ſint; Sed Theologi communiter, & abſolutè docent cum S. Thoma, Iudæorum infantes baptizandos non eſſe, ſi à parentibus non ſint ſeparandi, quia id fieret in detrimentum fidei, quod ad vſum rationis peruenientes à parentibus peruerterentur: Illa ergò ratio in argumento allata, quod tertia pars hominum, ante ſeptennij ætatem decedat, ac proindè ſaluari poſſit, ſi baptizetur, non mouit Sanctum Thomam, ac Theologos ad aſſerendum, quod infantes Iudæorum inuitis parentibus baptizari poſſint, etiamſi à parentibus non ſint ſeparandi, & tamen mouere debuiſset, ſi efficax eſset, & poſſent infantes illi ſaluari per Baptiſmum abſque iniuria Baptiſmi, etiamſi inuitis

pa-

parentibus baptizarentur. Quare ſi ratio hæc efficax eſſet, dicendum eſſet, quod infantes Iudæorum baptizari poſſint inuitis parentibus, & nihil obſtaret, quod à parentibus non eſſent ſeparandi. Eſt igitur futile, ac nullius momenti motiuum illud; nam, vt dictum eſt, non poteſt deſignari, aut diſcerni determinatè, quinam ex infantibus baptizandis deceſſurus ſit, vel non deceſſurus ante vſum rationis; & ideò Sacramentum Baptiſmi ſemper exponitur periculo iniuriæ ſaltem probabiliter futuræ, ob peruerſionem infantium probabiliter futuram, ſi à parentibus infidelibus non ſeparentur. Eſt autem moraliter certum, aliquos ex prædictis pueris victuros vſque ad ætatem adultam, atque in religione peruerſa perſeueraturos. Baptizare autem eos, qui à fide apoſtataturi creduntur, eſt iniuriam Sacramento irrogare, quod cum ſit per ſe malum, nec pro totius Mundi ſalute faciendum eſt, non enim facienda ſunt mala, vt ait Paulus *Rom.* 3. vt indè eueniant bona; & Soto *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt. vnic. art.* 10. refert apud Indos multa infantium millia baptizata fuiſſe (vltrò permittentibus parentibus barbaris) à Prædicantibus Euangelium, eo ſolo propoſito, vt ſi contingeret eos mori ante vſum rationis, ſalui fierent, nihil de apoſtaſia curantibus, quæ maximè ab illis timeri debuiſſet, eos enim relinquebant apud Parentes infideles. Quo vtique neſcio, ſubdit Soto, quodnam aliud Sacrilegium grauius committi poſſit aduerſus fidem. Hæc autem paulò latius explicauimus, vt ſolueremus argumentum iſtud quatenus etiam proponi ſolet contra noſtram aſſertionem, qua diximus, non eſſe baptizandos infantes Turcarum, aliorumque infidelium pro ſalute corporali, ſi adſit periculum futuræ illorum peruerſionis.

Ad tertium, Reſpondetur, omnem iniuriam, & omnem irreuerentiam Sacramenti euitandam eſſe, ſiuè maiorem, ſiuè minorem, quare cum irreuerentia, & iniuria, quam Hæretici Baptiſmi Sacramento inferunt per apoſtaſiam magna ſit, eſto minor, quam ſit iniuria, quæ eidem Baptiſmo irrogatur à Turca, vel à Gentili, vitanda eſt, & non permittenda.

Ad quartum, patet ex dictis, non poſſe certò deſignari eos Hæreticorum, aliorumque infantes, qui inuincibili ignorantia falſitatis dogmatum ſuæ religionis laboraturi ſint, & aliàs certum eſſe, quod ex illis aliqui tali inuincibili ignorantia non ſint laboraturi, ac proindè baptizando infantes illos, ſemper exponitur periculo iniuriæ Sacramentum Baptiſmi, nam fieri poteſt, quod baptizentur illi, qui ignorantia inuincibili non ſint laboraturi; Ex teſtimonio verò Auguſtini, prout refertur à Verricello, aliud non habetur, niſi quod ritè baptizatus, ſi poſteà ab Hæreticis falſa dogmata edoceatur, & inuincibili ignorantia falſitatis talium dogmatum laboret, ſaluabitur. Non tamen ait Auguſtinus, quod liceat baptizare illum, qui ab hæreticis falſis dogmatibus imbuendus ſit, & hæreticalium dogmatum ignorantia inuincibili laboraturus.

Dixi autem hæc non haberi in teſtimonio Auguſtini, vt refertur

à Ver-

à Verricello, quia nec habetur in veris verbis Auguſtini, nam Auguſtini verba *loc. cit.* hæc ſunt: *Dixit Apoſtolus (hæreticum hominem, poſt primam, & ſecundam correctionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt huiuſmodi, & peccat, & eſt à ſe ipſo damnatus) ſed qui ſententiam ſuam, quamuis falſam, atque peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt; præſertim, quia non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt, ſed à ſeductis, & in errorem lapſis, parentibus acceperunt, quærunt autem cum ſollicitudine veritatem corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.*

Non habetur profectò in his verbis, quod licitum ſit Baptiſmum Infanti conferre, quem baptizans educandum præſciat ab hæreticis, & hæreticam religionem, eſto ex ignorantia inuincibili profeſſurum. Sed ſolùm habetur, quod hæretici non ſint, qui ſententiam ſuam, quamuis falſam, atque peruerſam nulla pertinaci voluntate defendunt, & quærunt cum ſollicitudine veritatem corrigi parati.

Ad ſextum reſpondetur Fideles non teneri ad omnem infidelium peruerſionem prohibendam, ſed ſolùm teneri ad prohibendam illam, quæ eſt cum detrimento fidei, & cum iniuria Sacramenti, talis autem non eſt peruerſio Infantium, qui non ſunt baptizati, nam ſi Infidelium filij non ſuſceperint Baptiſmum, nullum Fidei detrimentum interuenit, nec vlla iniuria infertur Sacramento Baptiſmi, ſi ſuis Parentibus reſtituantur, cum aliàs Chriſtiani eos baptizare non teneantur ex cauſis, & motiuis, quæ afferunt Authores, qui docent Chriſtianos ad illorum Infantium Baptiſmum non teneri, de quo videri poſſunt Suarez *loc. cit. ſect.* 6. & alij, quos ipſe Verricellus allegat, ſed iuxtà ſententiam aliorum dicentium Chriſtianos teneri ad infantes illos baptizandos, poſt collatum illis Baptiſmum, non poſſunt Chriſtiani eos amplius Parentibus infidelibus reſtituere: & hæc ad argumenta Verricelli contendentis, hæreticorum filios baptizari poſſe, etiamſi ab ipſis hæreticis educandi ſint, & eorum hæreticis dogmatibus imbuendi.

Deindè argumentum hoc ex Baptiſmo petitum hæreticorum filijs à Miniſtris Catholicis collato, nullatenus vrget contra rationem pro noſtra aſſertione allatam; nam ratio pro noſtra aſſertione in eo ſita eſt, quod Infidelium filij, ſi baptizentur, & à Parentibus infidelibus non ſeparentur, ab eis peruertendi ſint, ac proindè iniuria inferenda ſit per illorum apoſtaſiam Sacramẽto Baptiſmi; vt autem argumentum ex Baptiſmo petitum hæreticorum filijs à Miniſtris Catholicis collato, contra rationem hanc aliquid probet, probandum eſt, vel quod falſum ſit, vt Infidelium filij poſt receptum Baptiſmum peruertantur à Parentibus, etiamſi ab eis non ſeparentur, eo quod hæreticorum filij à Catholicis baptizati, & ab hæreticis non ſeparati ab eis non peruertantur, & ſi hoc velint, qui argumentum illud opponunt, falſum aſſumunt: nam falſum eſt, quod hæreticorum filij, etiam à Catholicis baptizati nõ peruertantur, cum ad annos diſcretionis perue-

uenerint, ſi ab eis non ſeparentur, ſed ſi non peruerterentur à Parentibus hæreticis, nil vrget argumentum illud contra noſtram ſententiam;nam nos aſſerimus filios Turcarum, & Gentilium baptizatos peruerti à Parentibus cum ad annos diſcretionis peruenerint, ac proindè contra id non facit, quod hæreticorum filij non peruertantur ab hæreticis. Vel conceditur, quod hæreticorum filij à Catholicis baptizati, ſi ab hæreticis non ſeparentur, ab eis peruertantur, & tunc negari nequit, hoc eſſe magnum inconueniens, & per eorum peruerſionem profanari Baptiſmi Sacramentum. Si verò ad illud recurrant, quod maior pars Infantium hæreticorum, etiam ex his, qui à Catholicis baptizantur decedant ante vſum rationis, recurrunt argumenta ſuperiùs allata. Hæc autem ratio eſt communis etiam alijs, qui non ſunt filij hæreticorum;Vndè argumentum de filijs hæreticorum à Catholicis baptizatis,non vrget ſpeciali ratione.

Igitur argumentum iſtud ex Baptiſmo deſumptum filiorum hæreticorum, qui à Catholicis baptizentur, vndiq; claudicat,& nullatenus vrget.

Expenduntur quæ de Baptiſmo Hæreticorum aſſerit Paſſerinus,& ex eis cõprobatur Aſſertio noſtra.

PAſſerinus *loc. cit.* duplex diſtinguit hæreticorum genus;Vnum, eorum, qui non errant circa ipſum Baptiſmum, quia videlicet credunt, Baptiſmum eſſe verum Sacramentum à Chriſto Domino in ſalutem hominum inſtitutum, vndè verè, & validè baptizant, ſed errant in alijs articulis fidei: Alterum verò eorum hæreticorum, qui errant in fide ipſius Baptiſmi, quia non credunt Baptiſmum eſſe à Chriſto Domino in ſalutem hominum inſtitutum, ideoque ſi baptizant nulliter baptizant. Si de primis hæreticis, inquit Paſſerinus, ſit ſermo; ſi ipſi petant à Catholicis filios baptizari, etiamſi educandi ſint ab hæreticis, ſi ſit alicubi conſuetudo, poteſt tolerari, vt ait Cardinalis de Lugo *de fide diſput.* 21. *num.* 22. quia periculum iniuriæ Sacramenti ſi adeſt, eſt ineuitabile; quia ſi tales filij non baptizantur à Miniſtro Catholico, baptizantur ab Hæretico. Aliàs verò Infantem baptizare, non eſt de ſe malum, & inutilitatem veræ fidei potius cedit, quia in hoc tàm Patres, quàm filij magis affecti redduntur Catholicæ veritati, & ſperari poteſt, quod Patres non impedient, quin baptizatus poſſit Catholicam Fidem renere, ſi velit, & quod ipſe à Miniſtro Catholico baptizatus facilius ad eam amplectendam ſuaderi poterit. Si autem de alijs hæreticis loquamur, ſubdit Paſſerinus, qui errant circa ipſum Baptiſmum, & ideò ſi baptizant,nulliter baptizant; horum hæreticorum filios baptizare non licet, idque multis argumentis probat, quæ, vt mox dicemus retorquentur contra primum ſuum dictum, & probant, nec eorum hæreticorum filios baptizandos eſſe, qui non errant circa Baptiſmum; illa mox afferemus, cum egregiè noſtram probent aſſertionem.

nem. Priùs tamen expendenda ſunt, quæ ipſe Paſſerinus affert, vt d ximus, ad probandum, quod liceat baptizare filios hæreticorum, qui non errant circa Baptiſmum.

Et quidem perperam, & inutiliter ad rem præſentem duplex illud hæreticorum genus diſtinguit Paſſerinus, nam hæretici etiam illi, qui non errant in articulo Baptiſmi, errant in cæteris articulis, qui per fidem in ipſo Baptiſmo receptam docentur, ac proindè religionem eidem Baptiſmo aduerſam, & contrariam profitentur, & ideò etiamſi non errent in articulo Baptiſmi, profanant tamen Baptiſmum per alias hæreſes Baptiſmo, & fidei per Baptiſmum receptæ contrarias, & recurrunt argumenta pro aſſertione noſtra ſuperius allata. Vndè quod hæretici illi non errent in articulo Baptiſmi, & validè baptizent, non probat, quod per alios errores, ac hæreſes non irrogent iniuriam Baptiſmo, ſed ſolùm probat, quod maior iniuria irrogetur Baptiſmo ab his, qui errant etiam circa ipſum Baptiſmum; ſed quod hæc ſit maior iniuria, non tollit, quod alij hæretici, qui non errant in articulo Baptiſmi, ſed errant circa reliqua omnia, quæ ad Fidem Catholicam pertinent, non irrogent iniuriam, eamq; grauiſſimam Sacramento Baptiſmi. Quin in eo quoque errant, quod putent Baptiſmum, fidemq; in ipſo receptam, non obligare ad credendos eos articulos, quos Eccleſia Catholica docet.

Eſt autem planè futilis, & abſurda ea Paſſerini ratiocinatio, qua dicit, quod periculum iniuriæ Sacramenti, ſi adeſt, eſt ineuitabile, quia ſi tales filij non baptizentur à Miniſtro Catholico, baptizantur ab hæretico. Nam contra hoc eſt, quod licet periculum iniuriæ Sacramenti ſit ineuitabile, quia ſi filius hæretici non baptizatur à Miniſtro Catholico, baptizatur ab hæretico, non ideò iniuria irroganda eſt Sacramento à Miniſtro Catholico baptizando filium hæretici à Parentibus peruertendum; Sicut non ideò, quod Caij mors ineuitabilis ſit, eo quod ſi non occidatur à Titio, occidetur à Sempronio, Caius occidi poteſt à Titio.

Nec minus futile eſt, quod ad idem addit Paſſerinus, quod aliàs infantem baptizare non ſit de ſe malum; nam quamuis abſolutè infantem baptizare, non ſit de ſe malum, baptizare tamen infantem cum periculo futuræ perurſionis illius, eſt de ſe, atque intrinſecè malum, vt ſuprà oſtenſum eſt. Cætera etiam, quæ idem Paſſerinus ſubdit, valdè futilia ſunt, & incerta, immò & falſa, quod videlicet, filium hæretici baptizari à Catholico in vtilitatem cedat veræ fidei, quia in hoc tam Patres, quàm filij magis affecti redduntur Catholicæ veritati, & ſperari poteſt, quod Patres non impedient, quin baptizatus poſſit Catholicam Fidem tenere, ſi velit, & quod ipſe à Miniſtro Catholico baptizatus facilius ad eam amplectendam ſuaderi poterit, hæc, inquam, incerta ſunt, immò & falſa, & ea facilitate, qua aſſeruntur, negantur.

Sed & ex his, quæ ibidem ſubdit Paſſerinus, contra ipſum, hæc ipſa efficaciter confutantur. Nam quæ de illis hæreticis habet, qui errant in fide

Bap-

Baptiſmi; vt probet eorum filios baptizandos non eſſe à Catholicis, conuincunt, nec etiam illorum hæreticorum filios à Catholicis baptizandos eſſe, qui in fide Baptiſmi non errant. Ait ergò Paſſerinus, quod certum debet præponderare incerto, & maius damnum vitari, nec pro parua vtilitate grauis damni periculum eligi debet. Eſt verò certum (ſubdimus cum ipſo contra ipſum,) & moraliter indubitatum, quod infans à Parentibus infidelibus, ſeù hæreticis educabitur in infidelitate, ſeù hæreſi, ſic enim videmus, conſuetum eſſe, vt filij errorem Patrum ſequantur. Altera verò ex parte, vtilitas, quæ ex Baptiſmo prouenire poſſet, in hoc caſu, vel parua eſt, vel valdè contingens. Poteſt enim eſſe ſpes ſalutis baptizati, ſi forſan moriatur in infantia, ſed hoc valdè contingens eſt, & incertum, & quod Layman. aduertit, ſcilicet, quod ex hominibus tertia pars decedat in infantia, & hoc eſt incertum, & eſt quid generale indefinitum, & indeterminatum, & ècontra in hoc indiuiduo, in quo mortis periculum non apparet, periculum irreuerentiæ Sacramenti eſt certum, & ſpes illa generalis remota, & dubia. Si verò baptizatus in infantia non moriatur, nulla ferè remanet ſpes vtilitatis conſiderabilis ex Baptiſmi collatione etiam alio incerto ſuppoſito, ſcilicet quod poſt infantiam, hæreſis in eo ſit futura, materialis tantùm, & ſine culpa ex inuincibili ignorantia, neque enim ſperandum in hæretico, quod diù ſeruaturus ſit baptiſmalem innocentiam, ſi diù viuat; qua amiſſa non remanet ſibi remedium ſalutis, niſi per veram contritionem, quod remedium ſibi competit etiam ſine Baptiſmo, ſi Baptiſmum habere non poſſit. Hæc Paſſerinus, & optimè in rem noſtram; immò hæc eadem apprimè confirmant aſſertionem noſtram principalem de Baptiſmo Turcarum, aliorumque infidelium filijs non conferendo, ſi periculum adſit eorum futuræ peruerſionis, vt diximus, ſoluuntque argumenta, quæ contra eamdem aſſertionem afferuntur.

Sed & vlterius idem Author ad hæc eadem confirmanda, egregiam tradit doctrinam, inquiens, quod per ſe, & regulariter loquendo non liceat baptizare filios Hæreticorum, aut Apoſtatarum, niſi ſeparentur à cura Parentum. Id autem primò probat ex Concilio Toletano 4. *cap. 59.* quod refertur *cap. Iudæorum 26. q. 1.* vbi præcipitur, quod filij Iudæorum baptizati ſeparentur à conſortio Parentum, ne inducantur ab eis in errorem, & præuaricationem, & *cap. 61.* prout refertur in *cap. Sepè, eadem cauſa, & quæſt. prohibetur baptizatis infidelium conſortium*, quia ſæpè malorum conſortia etiam bonos corrumpunt; Quamuis verò, obſeruat Paſſerinus, non ſit ſermo ibi de Hæreticis, tamen canonizatur ibi neceſſitas, quam habent Baptizati, vt, ne præuaricentur in Fide, ſeparentur à Parentum Infidelium cura, & conſanguineorum conſortio. Per ſe igitur non licet baptizare infantes, quos non licet à parentum cura ſegregare.

Secundò id probat ratione; quia illa Baptiſmi collatio non eſt licita per ſe, & vt in pluribus habet con-

iunctam irreuerentiam Sacramenti, præuaricationem, & apoſtaſiam, aut hæreſim huiuſmodi in facie Eccleſiæ perſeuerantes vſque ad mortem ſine ſpe fructus. Vndè vt plurimum, & regulariter hæreticorum filij, etſi baptizati, ſi non ſeparentur à Parentibus, perſeuerant auerſi à fide, & Eccleſiæ inimici. Nec obſtat, quod ex inuincibili ignorantia, fides, quã in Baptiſmo recipiunt, poſſit in eis permanere, quia & hoc incertum eſt, & contingens, ſcilicet eos laborare ignorantia inuincibili, & regulariter euenit, quod ceſſante etiam ignorantia inuincibili, filij fidem paternam voluntariè ſequantur, & ad veram fidem non redeant, ſed illam contemnant, & tamen qui ſunt Eccleſiæ membra, fidem Eccleſiæ, non hæreſim ſenſibiliter profiteri debent. Hæc benè Paſſerinus de Baptiſmo Hæreticorum filijs non conferendo, qui à Parentum cuſtodia non ſunt ſeparandi.

Soluuntur alia argumenta contra noſtram Aſſertionem ſuperius allata.

AD alia argumenta ſuperius allata reſpondetur. Ad ſecundum argumẽtum principale inprincipio allatum de filijs nouorum Chriſtianorũ, de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, quod fidem Chriſtianam ſimulent, & filios poſt Baptiſmum ad apoſtaſiam inclinent, & tamen eorum filij à Catholicis baptizantur, abſque eo quod ſeparentur à Parentibus. Reſpondetur, quod ſuſpicio illa de nouis Chriſtianis, quod ſimulent fidem Chriſtianam, eſt remota, & communis, non particularis de hac, vel illa perſona, nam in particulari non poteſt ferri iudicium, niſi adſint indicia, & probationes, quæ ſufficiant, de ſimulatione fidei, & de occulta, ſeù interna prioris religionis profeſſione; & ideò quo vſque hæc non adſint filij nouorum Chriſtianorum bona fide baptizantur à Catholicis, & à Parentibus non ſeparantur, nihil temerè iudicando de hac, vel illa perſona, quia ſuſpicio illa generalis non eſt ſufficiens ad dirigendum actum moralem in particulari; ſi autem in particulari conſtaret de nouorum Chriſtianorum occulta apoſtaſia, idem iudicium eſſet ferendum, & eorum infantes baptizandi non eſſent, niſi ante, vel ſtatim poſt Baptiſmum à Parentibus ſeparentur.

Ad tertium de filijs infidelium, & Iudæorum, adultis, qui baptizantur, cum tamen à Parentibus non ſeparentur, nam in eadem Vrbe cum Parentibus degunt; Reſpondetur, filios Iudæorum adultos, cum baptizantur, à Parentibus ſeparari, & Romæ, & vbique, nam etſi in eadem Vrbe cum Parentibus permaneant, non tamen in eadem domo cohabitant, immò neque in eodem loco, nec in eadem regione, habent enim Iudæi in Vrbe, & in alijs Ciuitatibus locum, & conclaue ſpeciale, in quo à Chriſtianis ſegregati viuunt; eiſdem præterea Iudæorum filijs adultis, cum baptizati fuerint interdicitur vſus, & conuerſatio cum Iudæis, & ſi aliqua communicatio in ciuilibus eis permittatur. Sed cum Iudæorum

filij in adulta ætate ad Chriſtianam fidem conuertuntur, nullum ferè periculum eſt, quod à Iudæis Parentibus peruertantur, cum religionem Chriſtianam propria voluntate, & poſtquam catechizati fuerunt, & in fide inſtructi; amplexi ſint.

Ad quartum argumentum de infantibus Chriſtianorum, qui ab improbis parentibus, cum ad ætatem adultam peruenerint, prauis moribus imbui poſſunt, ac proindè ſuſceptum Baptiſmum proprijs peccatis contaminare, quod tamen non reputatur inconueniens, nec propter hoc negatur illis Baptiſmus. Reſpondetur; quod periculum illud infantium, cum ad ætatem adultam peruenerint, peccaminoſa committendi; eo quod ab improbis parentibus prauis moribus imbuantur, eſt valdè generale, & commune omnibus, quod licet aliquantulum creſcere poſſit, ex iniquis moribus, & exemplis parentum, tamen eſt valdè accidentarium, & nunquam inter Catholicos deſunt ſufficientia media, & auxilia, quibus poſſit facilè ſuperari: at verò periculum apoſtaſiæ eſt proximum, & ſpeciale, & multò maius, & conſtituens hominem in proxima, & ſpeciali occaſione apoſtatandi à fide ſuſcepta. Eſt & aliud diſcrimen, quod peccata, & lapſus charitati contraria, etſi aduerſentur iuſtitiæ, quæ datur per Baptiſmum, non tamen ſunt directè contraria profeſſioni, quæ fit in Baptiſmo, & ideò periculum apoſtatandi à fide multò magis repugnat condignæ adminiſtrationi, & receptioni Baptiſmi.

Soluitur alia obiectio, & retorquetur in obijcientem.

Illud etiam argumentum Author quidam recentior obijcit nobis, quod quando vrgent duo mala, vnum certum, proximum, & grauiſſimum; Alterum minus graue, remotum, neque adeò certum, tunc licet hoc ſecundum permittere, ex proximi prauitate cauſandum, vt illud primum euitetur; ſed in caſu noſtro vrget malum eiectionis à miſſione, ſeù amiſſionis Parochiæ, certum, quidem, ac proximum, vt ſupponitur, itemque grauiſſimum, vt conſtat, aliud verò peruerſionis, ſeù apoſtaſiæ infantis minus graue eſt, remotum planè, neque adeò certum, ergò licebit miſſionario hoc ſecundum malum permittere ex prauitate parentum apud quos relinquitur infans, vel huius iam adulti malitia occaſionandum, vt euitetur alterum malum amiſſionis Parochiæ, eiectionis à miſſione &c. Diſcurſus videtur legitimus, maior certa, & vera comparatio, ſeù minor propoſitio, ex miſſionariorum namque eiectione conſequentur per ſe iſta mala; in primis quamplurium fidelium peruerſio, ac præuaricatio, impoſſibilitas pluſquam moralis redemptionis multorum ex infidelibus; nam *quomodo credent ei, quem non audierunt? aut quomodò audient ſine prædicante?* ad Rom. 10. & vnico verbo fidei propagatio impeditur in tali loco. Ex oppoſito peruerſio, vel apoſtaſia infantis tunc baptizandi planè eſt incer-

certa, incertaque redditur exindè, quoniam pars pluſquam dimidia natorum, moritur ante annos diſcretionis, prout ex relationibus inſignium Medicorum. Prætereà minus mala iam erit, cum ſæpè veniat compenſanda ſalute ſpirituali, ac æterna ipſius infantis in infantia decedentis, ſeù deceſſuri, vti plures eo tempore decedere oſtendit experientia. Accedit, & maximè in caſibus apoſtaſiæ, ignòrantiæ ſuſcepti Baptiſmi, huius virtutis ſupernaturalis, aut ex eo ſubortæ obligationis, quod Adultus (vti ſupra in infantia baptizatus) ſimplex infidelitatis peccatum, cœteris Turcis commune re ipſa committeret, dum parentum ſectam ab his ſeductus amplectitur, neque veram, aut formalem apoſtaſiam incurret, Turca effectus; prout omnibus Theologis compertum eſt, adeoque periculum huius mali, ſeù peccati apoſtaſiæ frequentiſſimè non imminebit in caſu noſtro.

Confirmantur hæc ex his, quæ ipſe Suarez oppoſitæ ſententiæ propugnator docet cum pluribus Theologis *lib. 3. de legibus cap.* 30. vbi docet, licitum eſſe contrahere matrimonium cum Conſanguinea, nulla præhabita diſpenſatione ad euitandam mortem imminentem. Et ſubdit Suarez, *Quod ſi fortaſsè illa occaſione* incurratur aliud periculum violandi aliquam legem naturalem, aut etiam moriendi, id eſt valdè remotum, & accidentarium, & ideò non attenditur in *facienda irritatione actus*. Ergò pariter licita eſt collatio Baptiſmi imminente mortis periculo Miſſionario, in caſu propoſito, quandoquidem hoc eſt proximum, & certum, illud autem perverſionis infantis remotum, nec ita certò futurum, nullatenus à Baptizante curandum. Iam verò malum alterum cooperationis ad peccatum parentum Baptiſmum filij ex non bono fine expetentium, in præſenti locum non habere, ex eo fit compertum, quia eodem fine tantùm, licita eſt collatio Baptiſmi reſpectu ipſius infantis iam iam morituri, aut grauiter ægrotantis, nec tamen licet vnquam peccato cooperari peccando. Hæc Author quidam recentior, quæ iiſdem ipſius verbis retulimus.

Reſpondetur, quod etiamſi mala in argumento recenſita, quæque ex denegatione Baptiſmi filiorum Turcarum ſequutura ſupponuntur, maiora eſſent, & grauiora, quàm peruerſio eorumdem filiorum, non ideò tamen liceret Miſſionarijs ad auertenda prædicta mala Baptiſmum conferre Turcarum filijs, qui apud parentes Turcas educandi eſſent. Nam pro nullo malo quantumuis graui auertendo licitum eſt crimen, aut peccatum committere: Peccatum autem, immò & ſacrilegium, & quidem grauiſſimum Miſſionarij committerent, ſi Turcarum filijs apud parentes Turcas educandis Baptiſmũ conferrent, vt conſtat ex dictis. Diximus autem non eſſe licitum prædictum Baptiſmum conferre, etiamſi mala, quæ ex illius denegatione ſequutura ſupponuntur, maiora eſſent, & grauiora, quam peruerſio filiorum Turcarum Baptizatorum. Nam reuera mala prædicta, maiora non ſunt, nec grauiora peruerſione dictorum filio-

filiorum. Peruerſio enim dictorum filiorum inuoluit eorumdem apoſtaſiam à fide in Baptiſmo ſuſcepta, cum ad annos diſcretionis peruenerint, & indè profanationem ſuſcepti Baptiſmi; ac prætereà inuoluit ſacrilegium à Miſſionarijs commiſſum, quia conferrent Baptiſmum cum notitia moraliter certa profanationis Baptiſmi. Hæc porrò mala, vtpotè culpæ grauiſſimæ maiora ſunt, & grauiora, quàm eiectio Miſſionariorum à miſſione, ac etiam illorum occiſio. Nam hæc nullam culpam important ex parte Miſſionariorum. Immò ſi mala illa patienter à Miſſionarijs tolerentur propter Deum, quem per collationem Sacrilegi Baptiſmi offendere nolint, dictorum malorum tolerantia laudabilis eſt, & meritoria. Peruerſio verò Chriſtianorum in Regionibus Turcarum degentium, quæ ex abſentia Miſſionariorum eiectorum futura ſupponitur, etſi graue malum ſit, non ideò tamen ad illud impediẽdum licet Miſſionariis peccatum, & ſacrilegium committere, vt de ſe patet. Diximus etiam prædicta mala præſupponi ſequutura ex denegatione prædicti Baptiſmi, reuera tamen non eſt certum, quod ſint ſequutura, immò fortaſſis nunquam ſequentur; nec vnquam auditum eſt Miſſionarios occiſos, aut eiectos fuiſſe ob denegationem dicti Baptiſmi, è contra verò profanatio dicti Baptiſmi eſt certa moraliter.

Sacrileginm autẽ & graue, moraliter certum eſt ſequi, ſi Turcarum, aliorumq; infidelium infantes poſt ipſorũ Baptiſmum apud parentes infideles relinquantur, & ab eis educentur; moraliter enim certum eſt, quod ab eis in ſua falſa religione educandi ſint, & impijs dogmatibus imbuendi, quibus proinde, additis ſuæ ſectæ ſuperſtitionibus Baptiſmi Sacramentũ profanabitur, Vnde Sotus *in 4. ſent. diſt. 5. quaſt. vnica art. 10. concluſ. 2. §.* Tertium autem efficacius eſt argumẽtum aduerſus eos, qui filios Indorum infidelium baptizabant, eoſque apud infideles relinquebant, his verbis inclamat. *Audiui ab illis, qui ſe mihi ipſos feciſſe dixerunt, quod apud Indos multa infantium millia baptizata ſunt, quos quidem ipſi baptizabant, apud parentes infideles relinquebant, omni Chriſtianitatis auxilio deſtitutos, qui poſſent poſtea eos Religionem edocere, quo vtique neſcio quodnam aliud ſacrilegium grauius committi poſſit aduerſus fidem.* Sed & Chriſtianos Prædicatores idem Sotus redarguit, quod *eo ſolo propoſito ſi contingeret, eos ante vſum rationis mori, ſalui fierent, eos baptizarent nihil de apoſtaſia curantes, quæ maximè illis timeri debuiſſet.*

Igitur certum eſt, peruerſionem, & apoſtaſiam infantis baptizati, & conſequenter profanationem Sacramenti Baptiſmi eſſe malum grauiſſimum, & longè maius eiectione Miſſionariorum à miſſione, & amiſſione Parochiæ, immo & ipſa morte, Miſſionarijs ab infidelibus inferenda, adeo vt potius mala hæc omnia ſubeunda ſint, quàm Baptiſmum conferre per apoſtaſiam baptizati profanandum, hoc enim eſt intrinſecè malum, quod nec imminente morte licitum eſſe poteſt. Vnde nihil facit, quod ex Miſſionariorum eiectione conſequutura ſint immediatè per ſe mala

mala illa, quæ ſunt plurimorum fidelium peruerſio, ac præuaricatio, impoſſibilitas pluſquam moralis redemptionis captiuorum è manibus Infidelium, & impeditio propagationis Fidei; nihil, inquam, facit, quod mala hæc ex Miſſionariorum eiectione fortaſſis conſequutura ſint: nam Turcæ, qui petunt filios ſuos baptizari, ad remouendum ab eis fœtorem, ſunt ſolùm perſonæ priuatæ, ad quas non ſpectat Miſſionarios à miſſionibus eijcere; ſed admiſſo, quod infideles, qui proprios filios baptizari petunt Chriſtianis renuentibus baptizare prædicta mala comminentur, & comminationes exequi poſſint, adhuc malis illis imminentibus à tali Baptiſmo abſtinere debent Chriſtiani, ne Sacramentum, vt diximus per apoſtaſiam, & profeſſionem impiæ religionis, cum infantes ad ætatem adultam peruenerint profanetur, vti moraliter certum eſt, profanandum eſſe, ſi infantes illi poſt Baptiſmum à parentibus non ſeparentur. Quare filios Turcarum, aliorumq; infidelium baptizare cum hac notitia moraliter certa profanationis futuræ, eſt de ſe, atque intrinſecè malum, quod proinde nec pro ſalute totius Mundi fieri poteſt; & licet Deus velit hominum ſalutem, eam tamen non vult per profanationem ſuorum Sacramentorum, ac proinde non licet Baptiſmum profanandum conferre aliquibus, vt alij conſequi poſſint ſalutem per aſſiſtētiam, & miniſterium Miſſionariorum. Quæ ratio conuincit, etiamſi admitteretur, quod ab Aduerſarijs adeo confidenter aſſeritur, ex tribus videlicet infantium partibus, duas partes ante vſum rationis decedere; nam adhuc hoc admiſſo, cum etiam iuxta Aduerſarios, tertia pars infantium ante vſum rationis non ſit deceſſura, ſi Miſſionarij omnes filios, qui ab infidelibus offeruntur, baptizent, certum eſt, quod tertia pars illorum, quia peruenturi ſunt ad ætatem adultam, Baptiſmum per apoſtaſiam, & profeſſionem impiæ religionis profanabunt; id autem nefas eſt, nec enim fas eſt, quod vt duæ partes infantium ſaluentur, Baptiſmi Sacramentum in alijs infantibus profanetur: neque hoc eſſet permittere malum ex prauitate aliorum ponendum, vti falsò inquit opponens, ſed eſſet poſitiuè operari malum, nam eſſet exponere Sacramentum profanationi, & iniuriæ; vnde ſicut, qui ſacroſanctam Euchariſtiam conficeret, cum notitia moraliter certa, quod eſſet impiorum pedibus proterenda, vel ſortilegorum; ſeu veneficorum ſortilegijs applicanda, non diceretur permittere malum ex aliorum prauitate ponendum, ſed verè, ac poſitiuè ſacrilegium committeret, ſic qui alicui infanti Baptiſmum conferret, cum notitia moraliter certa, quod ab eodem, cum ad ætatem adultam peruenerit, per apoſtaſiam, & impietatem ſuæ ſectæ ſit profanandus, non permittit malum ex aliorum prauitate ponendum, ſed verè, ac poſitiuè malum operatur, & ſacrilegium committit. Eſtque præterea malum hoc non remotum, vt vult Opponens, ſed planè proximum, nam poſito, quod infans baptizatus, non ſeparetur à parentibus, ſed ab eis educetur,

vti

vti ſupponitur, abſque alio, certum eſt, quod impijs dogmatibus imbuetur, ac proinde quod per apoſtaſiam Baptiſmi Sacramentum profanabit.

Eſt autem valde mirum, quod in argumento dicitur, nempe quod peruerſio infantis ſæpe veniat compenſanda ſalute ſpirituali, ac æterna ipſius infantis in infantia decedentis, ſeu deceſſuri, vti plures eo tempore decedere oſtendit experientia. Eſt, inquam, id valde mirum, nam hic agitur de peruerſione infantium non qualicumque, ſed agitur de peruerſione infantium per apoſtaſiam à Baptiſmo recepto, cui dicimus cooperari baptizantem, quatenus baptizat infantem apoſtataturum à Baptiſmo, ac proindè Baptiſmum profanaturū per profeſsionem ſuæ ſectæ, quam ipſum profeſſurum fore certum eſt, ſi poſt Baptiſmum ab infidelibus non ſeparetur. Peccat igitur, & grauiſſimum ſacrilegium committit Miſſionarius baptizans infantem à parentibus infidelibus non ſeparandum, hoc autem peccatum compenſari non poteſt per ſalutem etiam ſpiritualem alterius, etiamſi illa ſequeretur in alijs infantibus, vti arguens ſupponit; quia peccatum per nullum bonum compenſari poteſt, & hic locum habet, quod ait Apoſt. ad Rom. 3. *non ſunt facienda mala, vt veniant bona*. Quare non poteſt Miſſionarius hoc ſacrilegium committere, quod eſt conferre Baptiſmum profanandum per apoſtaſiam baptizati, nam hoc ſacrilegium nec per ſalutem totius Mundi compenſari poteſt.

Ad illud verò quod pariter in argumento dicitur, peruerſionem, ſeu apoſtaſiam infantis incertam reddi, eo quod pars plus quàm dimidia natorum moriatur ante annos diſcretionis prout ex relationibus inſignium Miſſionariorum habetur. Reſpondetur, peruerſionē, & apoſtaſiā infantis baptizandi non eſſe incertā, nam vt ſuprà diximus, qui natus eſt, per ſe loquēdo victurus eſt, & ad ætatē adultā peruēturus, natiuitas enim per ſe reſpicit vitam, non mortem; vnde per ſe eſt, quod infans natus viuat, & ad ætatem adultam perueniat, per accidens vero eſt, ſi moriatur ante adultam ætatem; non eſt autem attendendum quod ſequitur per accidens, ſed attendendum eſt, quod per ſe natum eſt ſequi. Cum igitur ad natiuitatem per ſe, & ex natura rei ſequatur vita, eiuſq; continuatio, Miſſionarius de Baptiſmo infantis expoſtulatus, ſupponere, & potius attēdere debet quod eſt per ſe, & putare debet, quod infans potius victurus ſit, & ad ætatem adultam peruenturus, quam quod ante adultam ætatem ſit moriturus, & hoc poſito ſi puer baptizetur, & poſt Baptiſmum ab infidelibus non ſeparetur, moralis certitudo adeſt, quod ſit peruertendus, & à Fide per Baptiſmum accepta ſit apoſtataturus, & proinde Baptiſmi Sacramentum profanaturus, nam certum eſt, quod à parentibus iuxta propriam ſectam ſit educandus. Igitur certum eſt, quod ſi baptizetur filius infidelium, & à parentibus infidelibus non ſeparetur, cum ad ætatem adultam peruenerit, apoſtatabit, & ſuſceptum Sacramentum profanabit. Et præterea ſi verum ſit, quod in argumento dicitur, quod pars plus quam dimidia natorū mo-

riatur ante annos diſcretionis, iam etiam ſecundum Aduerſarios remanet alia pars natorum, qui non moriuntur ante annos diſcretionis. Igitur ſi omnes baptizandi ſint, certum eſt, quod infantes illi baptizati, qui ad annos diſcretionis peruenturi ſunt, peruertentur, & apoſtatabunt, & receptum Baptiſmum profanabunt. Id autem admitti nequit, nam vti ſupra dictum eſt, nec pro ſalute totius Mundi profanandum eſt Sacramentum, aut iniuria afficiendum; nec pro ſalute aliquorum profanandum eſt Sacramentum in alijs, vel certo periculo profanationis exponẽdum. Id enim redundaret & in Dei iniuriam, qui Sacramentum inſtituit. Et quamuis Deus in ſalutem hominum Sacramenta inſtituerit, & velit omnes ſaluos fieri, hominumque ſalutem gratiſsimam habeat, nihilominus, vt Apoſtolus ad Romanos dicit, & ad propoſitum Concilium Toletanum, vt bene Paſſerinus obſeruat. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*, nec indiget hominum ſalute, nec gratum habet, quod Sacramenta ab ipſo pro ſalute hominum inſtituta proijciantur, aut profanentur, & iniuria afficiantur.

Diximus, *ſi verum ſit, quod pars pluſquam dimidia natorum moriatur ante annos diſcretionis*; nam reuera id non videtur admittendum. Quod enim eſt per accidens, contingit vt in paucioribus, & quod eſt per ſe, contingit vt in pluribus; quod verò puer natus moriatur ante annos diſcretionis eſt per accidens; igitur ſecũdum contingit vt in pluribus, & primum vt in paucioribus, vnde non verſamur in dubio, ſed in re certa, quod videlicet maior pars natorum perueniat ad annos diſcretionis, ac proinde certum eſt, quod infidelium filij, ſi baptizentur, & ab infidelibus non ſeparentur, pro maiori parte à Fide apoſtatabunt cum ad ætatem adultam peruenerint. Sed etſi verſaremur in dubio, adhuc ſtandum eſſet pro Sacramento, & euitandus eſſet caſus, quo Sacramento inferri poſſet iniuria etiamſi interuenire poſſet ſalus infantis, nam, vt dictum eſt, licet Sacramenta inſtituta ſint à Deo in ſalutem hominum, non ideo Deus præferendam voluit ſalutem fidelium reuerentiæ ſuis Sacramentis debitæ, nec ea profanari vult, vt homines ſalutem conſequantur.

Ad aliud de ignorantia ſuſcepti Baptiſmi, eiuſque virtutis ſupernaturalis, & ex eo ſubortæ obligationis. Reſpondetur difficile, aut raró contingere poſſe ignorantiam huiuſmodi in infideli baptizato, cum ad annos diſcretionis peruenerit, cum degat inter parentes, quos ſuſcepti Baptiſmi eum certiorem facere credibile eſt.

Ignorantia verò neceſſitatis Baptiſmi ad ſalutem, & virtutis eius, & obligationis ex Baptiſmo ſuſcepto exortæ, difficilè, aut raró in infidelibus illis contingere poteſt, tum quia in omnem terram exiuit ſonus prædicantium neceſſitatem Baptiſmi, tum quia ſupponitur inter infideles prædictos adeſſe Miſſionarios Chriſtianos, quos certum eſt, ſaltem Chriſtifidelibus ibi degentibus docere omnia, quæ ad Baptiſmum, & ad Fidem Chriſtianam pertinent; cum igitur

igitur ignorántia illa difficile, aut rarò contingat, non eſt attendenda, nam quæ difficile,aut rarò contingunt moraliter non attenduntur, & operationes humanæ regulandæ ſunt per ea, quæ regulariter contingunt, non per ea, quæ per accidens, aut rarò eueniunt. Supponendo igitur, adeſſe in infidelibus illis baptizatis notitiam ſuſcepti Baptiſmi, cum apoſtataturi ſint, ſi poſt ſuſceptum Baptiſmum à parentibus infidelibus non ſeparentur, apoſtaſia, & profanatio Sacramenti non erit materialis, ſed formalis.

At vero admiſſo, quod in aliquo caſu dari poſſit in aliquo infideli,qui Baptiſmum ſuſcepit, ignorantia ſuſcepti Baptiſmi, & ipſius neceſſitatis ad ſalutem, & obligationis ex ſuſcepto Baptiſmo exortæ, adhuc apoſtaſia illa materialis, eſt iniurioſa Sacramento Baptiſmi, & Fidei per illud ſuſceptæ, & per apoſtaſiam profanatur materialiter Sacramentum; hæc autem profanatio etiamſi materialis vitanda eſt à conferente Baptiſmum, non enim licet Baptiſmum illi conferre, quem baptizans præſciat Baptiſmum eſto materialiter profanaturum, & grauiter peccaret, qui hoc præſciens Baptiſmum conferret,ſicut grauiter peccaret, qui Hoſtiam ab amente, vel ebrio conculcandam conſecraret. Nec etiam ſi contingere poſſet baptizati ſalus ſpiritualis poteſt baptizans exponere Sacramẽtum huiuſmodi materiali profanationi, nam etſi non peccet, qui Sacramentum materialiter profanat, peccat tamen, qui Sacramentum materiali profanationi exponit.

Sed & quoad ſalutem infidelis baptizati, qui ſuſcepti Baptiſmi, eiuſque ad ſalutem neceſſitatis ignorantiam etiam inuincibilem haberet, dicendum eſt, adhuc poſita ea inuincibili ignorantia, ſperari non poſſe ſalutem illius, niſi obſeruaret legem dumtaxat naturæ,& ſectam propriam deteſtaretur, tunc enim Deus illum illuminaret, vt communiter Theologi docent; eſt autem valde difficile, quod infidelis inter infideles degens, infidelitatem deteſtetur, & ſolam naturæ legem obſeruet, ac proinde valde difficilis eſt ſalus talis Infidelis baptizati. Quare neque motiuũ ſalutis ſpiritualis illius mouere poteſt Miſſionarios Chriſtianos ad Baptiſmum ei in infantia conferendum; cum ſalus illa ſit valde difficilis, & aliàs Baptiſmus exponitur periculo profanationis, ſaltem materialis moraliter certæ, Sacramentum autem non poteſt profanationi nec etiam materiali exponi, nec pro ſalute ſpirituali alicuius, nam Sacramentum nunquam eſt profanandum.

Denique ad illud de matrimonio, quod additur in argumento. Reſpondetur, doctrinam illam Suarez reijci à Caietano, Soto, Medina, Nauarro, Valentia, Rutilio Benzonio relatis à Sànchez *de Matrimonio lib. 7. diſp. 4. num. 2.*

Sed quidquid ſit de illa doctrina, magna eſt diſparitas, nam ibi nulla ſit iniuria Sacramento, quod tunc non conficitur defectu veræ materiæ, quæ eſt legitimus contractus,qui nequit adeſſe inter conſanguineos, & ideo non peccatur, Eccleſia id permittente ob periculum mortis, vt ad-

uertit P. Raimundus Lumbier *obſeruat*. 8. §. 6. At in caſu noſtro interuenit iniuria ipſius Baptiſmi. Et nihil valet id quod replicatur in argumento de baptizante puerum moribundum; nam ideo baptizans infantem iam iam moriturum, non cooperatur alicui peccato, quia tunc nullum adeſt futuræ apoſtaſiæ, ac peruerſionis periculum.

Argumentum igitur contra noſtram ſententiam allatum in ipſum Opponeutem retorquetur hoc pacto. Duo debent attendi mala, quæ in re præſenti interuenire poſſunt. Vnum quidem grauiſſimum eſt enorme ſacrilegium, quod Miſſionarius committeret, ſi filios Turcarum, aliorumque infidelium à parentibus infidelibus non ſeparandos baptizaret, cum enim inter illos infantes, prout Opponens etiam admittit, certum ſit aliquos adeſſe, qui ad annos diſcretionis peruenturi ſunt, moraliter certum eſt, hos apoſtataturos à Fide, & Baptiſmi Sacramentum profanaturos; enorme igitur ſacrilegium committeret Miſſionarius eos baptizando, nam exponeret Sacramentum profanationi moraliter certæ. Id autem non eſt faciendum. Aliud verò malum quod in caſu iſto interuenire poſſet, eſſet priuatio miſſionis, & Parochiæ, & ideo plurimorum fidelium peruerſio, ac impoſſibilitas pluſquam moralis redemptionis captiuorum, & impeditio propagationis Fidei. Quicquid autem ſit de recenſitorum malorum certitudine non debet Miſſionarius ne quidem vnum ſacrilegium patrare ad impediendas etiam miriades malorum, & peccatorum.

Explicatur magis hoc idem. Nam etſi aliqui eſſe poſſint inter infantes illos, qui deceſſuri ſint antequam perueniant ad annos diſcretionis, inter iſtos tamen alij ſunt, qui peruenturi ſunt ad vſum rationis, vt ipſimet Aduerſarij admittunt. De his autem moraliter certum eſt, quod ſi ad annos diſcretionis peruenerint, profanaturi ſunt per apoſtaſiam Sacramentum Baptiſmi. Nefas autem eſt dicere, quod pro ſalute aliquorum infantium, profanationi moraliter certæ per apoſtaſiam aliorum infantium, exponi poſſit Sacramẽtum Baptiſmi, ſic enim Miſſionarius enorme ſacrilegium committeret; peccatum autem nec pro ſalute totius Mundi committi poteſt.

Sed & quod aliqui infantes deceſſuri ſint ante vſum rationis, non propterea dicendum eſt, quod Miſſionarij conferre poſſint Baptiſmum filijs infidelium, qui à parentibus infidelibus non ſunt ſeparandi: Nam humanæ operationes, cum regulandæ ſint per prudentiam, & prudentia attendat, quod eſt per ſe, non quod eſt per accidens; cum per accidens ſit, quod infantes aliqui ante vſum rationis decedant, Miſſionarius non debet ſupponere, quod infantes aliqui ſint deceſſuri ante vſum rationis, ſed ſupponere debet, quod ad vſum rationis ſint peruenturi. Hoc autem ſuppoſito, conferre non debet baptiſmum infantibus à parentibus infidelibus non ſeparandis; nam conferret Baptiſmum infantibus, de quibus per ſe loquendo putandum eſt, quod peruenturi ſint ad vſum rationis, ac proinde quod à Fide Chri-

ſtiana

ſtiana apoſtatabunt, & Baptiſmi Sacramentũ profanabunt, quod eſt Baptiſmum exponere futuræ profanationi moraliter certæ.

Hæc autem ſcire, & animaduertere tenentur Miſſionarij, nam ſcire tenentur, quæ ad officium proprium pertinent, cum ſint Miniſtri Sacramentorum. Et cum aliàs certi moraliter ſint, quod infantes illi, quia à parentibus infidelibus non ſunt ſeparandi, à fide in Baptiſmo ſuſcepta apoſtatabunt, ac proindè Baptiſmi Sacramentum profanabunt, grauiter peccant Baptiſmum prædictis infantibus conferendo.

Confirmantur autem à nobis dicta hoc argumento. Nam etſi certum ſit, quod aliqui ex infantibus natis, morituri ſint ante annos diſcretionis, non tamen eſt certum, quod hic, vel ille infans, qui baptizatur ante diſcretionis annos ſit moriturus, neque id baptizanti certò conſtat, immò probabilius eſt, quod ante annos diſcretionis non ſit moriturus, nam probabilius eſt, quod qui natus eſt viuat, & ad annos diſcretionis perueniat, quam quod moriatur, & ad annos diſcretionis non perueniat, quia probabilius eſt, quod ſequatur id, quod ex natura natum eſt ſequi, quam quod ſequatur id, quod natum eſt ſequi præter naturam, aut contra naturam, idque Baptizanti probè notum eſt. Igitur Baptizans cum probabilitate, & quidem maiori de vita infantis vſque ad annos diſcretionis, quàm de morte ante eoſdem annos, exponit Baptiſmum probabili periculo iniuriæ, & profanationis; nam ſcit probabilius eſſe, quod infans ille ſit victurus vſque ad annos diſcretionis, quam quod ante illos ſit deceſſurus, & ſimul ſcit, quod ſi infans ille vſque ad annos diſcretionis perueniat; educandus ſit à parentibus infidelibus, ac Baptiſmi Sacramentum per apoſtaſiam profanaturus; Igitur infantem illum baptizando exponit Baptiſmi Sacramentum probabili periculo iniuriæ, & profanationis, ac proindè grauiter peccat.

Prætereà duo pericula in re præſenti concurrunt, videlicet periculum damnationis infantis, ſi non baptizetur, quia mori poteſt ante annos diſcretionis, & periculum profanationis Baptiſmi, ſi infans baptizatus non moriatur ante annos diſcretionis; ex his duobus periculis vrgere magis debet periculum profanationis Baptiſmi, quam periculum damnationis infantis; nam ſicut Dignitas, & reuerentia Sacramento debita, præferenda eſt ſaluti cuiuſcumque hominis, ita & periculum iniuriæ Baptiſmo irrogandæ, præferendum eſt, periculo amittendæ ſalutis hominis; ac proindè ità procedendum eſt, ne vt ponatur in tuto ſalus alicuius hominis, exponatur periculo profanationis Baptiſmi Sacramentum, ſed potius ponenda eſt in tuto reuerentia Sacramento debita, quod fiet non baptizando infantem illum, quam ponenda ſit in tuto per Baptiſmum ſalus dicti infantis.

Aliæ recentiorum obiectiones refelluntur.

Alia quædam recentiores aliqui obijciunt, quæ licet ex his,

quæ

quæ diximus, diluta maneant, Ea tamen hic ſingillatim refellenda duximus, vt clarius appareat nihil validi contra noſtram ſententiam ab Aduerſarijs afferri poſſe.

Primò igitur obijciunt, quod Sacramentum Baptiſmi tranſit ablutione peracta, vndè tempore vſus rationis non poteſt profanari, quia non eſt: Profanatur vtique, inquiunt, ſi baptizans habeat malam intentionem, ſi fingat, & reddat irritum Sacramentum, ſi admittat ad eius participationem infideles; aut aliquod aliud huiuſcemodi malum Baptiſmo actuali immiſceat. Et profanatur ſaltem quantum ſit à baptizante, vndè non eſt eadem ratio in præſenti, ac de fingentibus &c.

Remanet ergò poſt Baptiſmum eius effectus, id eſt, gratia, & character, quorum primum dicitur res, & non Sacramentum, ſecundum verò res, & Sacramentum, horum tamen profanatio non ſequitur, niſi per peccatum mortale; per quod ſolùm expellitur gratia, & character, qui manet, rectè dicitur profanari per peccatum, quia priuatur eo, quod ſignificat, nempè gratia; Vndè non minus, immò magis profanatur character per peccatum hæreſis, quæ regulariter habet maiorem prauitatem, & eadem ratione in Chriſtianis, & maximè Sacerdotibus.

Secundò. Quia ſi talis infans eſſet in euidenti periculo mortis, non ſolùm liceret, ſed etiam deberet baptizari.

Tertiò. Non eſt malum intrinſecè baptizare cum periculo peruerſionis pueri, ergò licet. Conſequentia patet, quia præciſo dicto periculo baptizare eſt valdè bonum, & finis baptizantis eſt deſtructio peccati originalis, infuſio gratiæ, & regeneratio paruuli in filium adoptiuum Dei, & vt aperiatur illi ianua Paradiſi, & euitatio propriæ mortis, quæ cedit in damnum Eccleſiæ, & proximorum, ad quorum ſalutem ordinatur vita baptizantis: Antecedens autem ſic probant. Bona orta ex Baptiſmo ſunt certiora, quam illa peruerſio, & hæc non eſt certa, ergò talis baptizatio, non eſt malum intrinſecè, iſta conſequentia patet, quia periculum mali, eſt malum, propter dictum malum, cuius eſt periculum, & ſic tantùm eſt malum, quantùm certa eſt connexio eius in effectu cum ipſo; ſi verò vitari poſſit, non debet propter illud relinqui bonum, aliàs nullum ferè bonum fieri poſſet, quia vndique pericula occurrunt. Antecedens autem probant, quoad primam partem de certitudine bonorum baptiſmalium, ſeù Baptiſmi; nam deſtructio peccati originalis, infuſio gratiæ, regeneratio, & conſequenter ſalus illius paruuli, quoad præſentem iuſtitiam, eſt omninò certa, ſimiliter certa eſt euitatio mortis, & deſtitutionis proximorum ſequentium dictam mortem. Denique ſalus vltima paruuli erit certa, ſi moriatur ante vſum rationis. Quoad ſecundam verò partem de incertitudine peruerſionis probant primò, quia eſt futurum contingens liberum, non enim peccabit mortaliter, niſi ex propria libertate, & malitia; Secundò, plures Periti obſeruarunt pluſquam tertiam partem infantium perire ante

vſum rationis, vt Layman, & Gobat teſtantur, & hoc habet locum, præſertim in Mahometanis, in quibus malè educantur Infantes inter plures vxores, vndè incurrunt plures morbos, & venena alicuius ex Nouercis volentibus bona Patris pro ſolis proprijs filiis; ibi etiam frequens eſt peſtilentia, quam euitare ob ſuperſtitionem nolunt, adeò vt multi iudicent hoc opus iuſtitiæ Dei, in pœnam luxuriæ, & polygamiæ legis ipſorum. Tertiò probant, quia per gratiam Baptiſmi multiplicantur auxilia Dei, tam intrinſeca, vt illuminationes, & inſpirationes tempore ſuo, quàm extrinſeca, vt admonitiones à Fidelibus, & maximè Miſſionariis ſuperuiuentibus; Vndè poteſt contingere etiam, vt nonnullo tempore, etiam poſt vſum rationis maneāt in infidelitate negatiua, Deo protegente animam illam verè pupillam, & orphanam. Confirmant, quia illa peruerſio per ſolum peccatum mortale contingere poteſt, vt dictum eſt; Aliæ autem, quæ dicuntur profanationes, putà circumciſio, oblatio facta Maumetho, & quodlibet aliud ſacrilegium, vel ſacrificium factum à parentibus circa dictos pueros nihil prorſus lædit, vt probat Sanctus Auguſtinus, animas eorum, & conſequenter neque characterem ſpiritualem in anima exiſtentem.

Secunda ratio, ſi baptizatio hæc, de qua agimus, eſſet mala, eſſet, vel propter iniuriam parentibus illatam, & hoc non, quia parentes non ſolùm conſentiunt, ſed etiam inſtant, & extorquent. Vel propter profanationem Baptiſmi, & hoc non, vt probatum eſt, vel quia fit ad finem improprium, ſed neque hoc, quia Baptizantes non habent finem parentum, vel quia baptizantes concurrunt ad peccatum parentum, qui dicuntur peccare, quia putāt Baptiſmũ eſſe quoddam ſacrilegiũ, ſed neq; hoc, quia Miſſionarij proteſtātur, & vlterius hæc ratio conuinceret hos paruulos, neq; poſſe licitè baptizari conſtitutos in articulo mortis: Quod ſi proteſtatio Miſſionariorum eximit ipſos à tali complicatione, quando infantes morti ſunt proximi, pariter eximet in iſto caſu, quia quoad iſtam exemptionem, par eſt vtrobique ratio, vel denique quia infans non poterit catechizari, & neque hoc obſtat, tum quia non eſt deſperata catechizatio, tum quia datur aliquando excuſatio à tali catecheſi, ſicuti multi Authores, cum quibus Bonacina *de Sacramentis diſp. 2. q. 2. par. 6. num.* 14. docent, quod ſi Chriſtianus poſſideat infantem infidelem, & eum faciat baptizari, ad euitandum malum commune Chriſtianorum captiuorum in terris Infidelium (quod tamen erat malum corporale) quia occidentur à barbaris, poteſt licitè ille dominus illum infantem baptizatum, ſed non catechizatum, & cum tanta impoſſibilitate Catechiſmi reddere parentibus infidelibus, quanta eſt in iſto caſu.

Tertiò probant. Licet baptizare infantes hæreticorum, etiamſi ſint peruertendi per hæreſim, vt multi dicunt apud Verricellum, & Gobat, & Layman, qui proteſtantur de praxi in Germania his temporibus, vndè Paſſerinus conſequenter loquens negat licere etiam in hæreti-

cis,

cis, licet minus conſequenter dicat conſuetudinem dictam poſſe tolerari.

Quod autem S. Thomas videatur oppoſitum dicere, non tamen eſt, quia loquitur regulariter, & per ſe (quod etiam videtur admittere ipſe Paſſerinus) & non attingit noſtrum caſum. Concedimus autem, inquiunt, ſi fiat cum iniuria parentum eſſe intrinſecè malum, ſicuti eſt omnis iniuſtitia, & iniuria.

Quod autem dicitur Baptizantes eſſe cauſam apoſtaſiæ, quia niſi baptizarent, illi infantes non incurrerent hoc periculum, non obſtat; negatur enim aſſumptum, & ad ſummum poſſunt dici cauſa per accidens, & ſine vllo influxu. Influunt autem Parentes educantes malè propria voluntate, vt ipſi apoſtatent. Et argumentum probaret etiam de hæreticis: immò etiam quod non poſſent reddi paruuli baptizati infidelibus propter commune bonum: Et ſimiliter quod dicitur eſſe de iure Diuino, quod Baptiſmus detur prudenter, hic autem imprudenter dari. Reſpõdetur enim, aiunt, cauſas explicatas baptizandi conuincere dari prudenter, nec Sanctum datur canibus petentibus, ſed infantibus, qui non ſunt magis canes, quam infantes Chriſtianorum, qui etiam tenentur originali peccato, & ſic Eccleſia petit tolli dictum peccatum.

Denique, neque obſtat non verificari reſponſiones Patrinorum, qui dicunt; *Credo*, vel etiam ſignificant ſe credituros, quia de facto Eccleſia credit, & celebratur Sacramentum, quo infunditur Fides, quæ permanebit, donec actu libero expellatur, & ad hoc allegant epiſtolam S. Auguſtini ad Bonifacium.

Addunt etiam Baptiſmum iſtum eſſe licitum, cum iſta conditione, vt ſcilicet Miſſionarij ſe priùs declarent, & proteſtentur, ſe non baptizaturos ob finem parentum, & quod effectus Baptiſmi eſt regeneratio in Chriſto, ex quo infans redditur filius Eccleſiæ, & membrum, ac ſeruus Chriſti, eiuſque ſubditus, nec ipſi parentes poterunt licitè illum à Catecheſi, & alijs Eccleſiæ Sacramentis impedire, quod ſi impedient, maiorem ſibi conſtituent damnationem. Hæc aliqui recentiores, quæ tamen facilè ſoluũtur.

Ad primũ enim reſpõdetur. Quod licet Baptiſmus, ſeù collatio Baptiſmi, quæ conſiſtit in ablutione cum debita verborum forma, peracta pertranſierit, & non adſit, cum puer baptizatus ad vſum rationis peruenerit, permanet tamen Baptiſmus in ſuis effectibus, qui ſunt character, & fides, quæ in Baptiſmo infunditur, & character dicitur res, & Sacramentum ſimul, vt ipſemet Opponens obſeruat.

Certum eſt autem, quod per apoſtaſiam à fide, ipſa fides abijcitur, & character, qui permanet, profanatur, & polluitur. Vtrumque autem maximum eſt inconueniens; & cum baptizans ſit moraliter certus, quod vtrumque inconueniens ſequuturum ſit, ſi puerum baptizet, qui apud Infideles educandus ſit, grauiter peccat, huiuſmodi Baptiſmum puero illi conferendo, peccatum enim graue eſt, Fidei Sacramentum ei conferre, quem certum eſt apoſtataturum eſſe à fide, & hoc eſt, quod ait S. Thomas

2. 2. *q.* 10. *art. cit.* vergere in præiudicium fidei, quod Baptiſmus filijs Iudæorum conferatur inuitis parentibus, ſi apud parentes educandi ſint. Et prætereà per apoſtaſiam à fide profanatur, & polluitur Baptiſmus, ſeù character profanatione ſpeciali, quæ ipſi Baptiſmo, eiuſque characteri directè opponitur: profanatur enim, & polluitur character Chriſti per conſortium ad characterem Diaboli, & per conſortium circumciſionis, aliarumque ſuperſtitionum, quæ habentur in ſecta Mahometana, vt de ſe patet, & graue ſacrilegium eſt, quod qui oblatus eſt Chriſto, & vero Deo per Baptiſmum, Dœmoni offeratur per profeſſionem falſæ Religionis. In hoc autem differt peccatum mortale infidelitatis eius, qui Baptiſmum ſuſcepit ab alijs peccatis mortalibus eiuſdem, quæ non ſint infidelitatis, quod per alia peccata, quæ non ſunt infidelitatis, non læditur fides, nec profanatur, nec polluitur character, ſed amittitur gratia; per peccatum autem infidelitatis poſt Baptiſmum peractum, amittitur fides, & polluitur character baptiſmalis; & ideò eſt diſpar ratio de peccato infidelitatis, & de alijs peccatis poſt Baptiſmum perpetratis. Et prætereà graue peccatum eſt nullo interueniente iuſto motiuo, eum infantem baptizare, quem parentes infideles ad ſalutem corporalem tantùm baptizari petunt; nam hoc eſſet conſentire illorum malitiæ, & Baptiſmum conferre, non ad eum finem, & effectum, ad quem eſt à Chriſto Domino inſtitutus.

At mirum eſt, quod Opponens vult per peccatum quodlibet mortale profanari Baptiſmum, eo quod priuet gratia, quam Sacramentum ſignificat, & vult non profanari per infidelitatem, cum tamen & ipſa infidelitas ſit mortale peccatum, quæ proindè etiam iuxtà Opponentis principia profanat Sacramentum: vti tamen dictum eſt, ſola apoſtaſia, & infidelitas polluit, ac profanat ſpeciali profanatione characterem Baptiſmi, cœtera verò peccata non polluunt, nec profanant ſpeciali, ac propria profanatione characterem Baptiſmi.

Ad ſecundum. Reſpondetur, quod puer conſtitutus in articulo mortis debet baptizari, quia in eo caſu abeſt periculum peruerſionis pueri, cum ſit moriturus, & vrget motiuum ſalutis ſpiritualis eiuſdem pueri, quam æternum amitteret, ſi tunc non baptizaretur. Vndè cum in eo caſu Baptiſmus non exponatur periculo profanationis, & adſit iuſta cauſa illum conferendi, conferendus eſt.

Ad tertium. Reſpondetur negando antecedens, & ad probationem dicimus, periculum profanationis Baptiſmi eſſe moraliter certum, ſi puer poſt receptum Baptiſmum à Turcis educandus ſit: nam certum eſt, quod puerum illum in ſecta Mahometana educabunt, & licet peruerſio illa ſequutura ſit per actum liberi arbitrij ipſius pueri, & ſit futurum contingens, eſt tamen moraliter certa, quia moraliter certum eſt, quod puer ille educandus ſit in ſecta Mahometana, ac proindè quod per profeſſionem ſectæ Mahometanæ receptum Baptiſmum ſit profanaturus. Vndè, quod bona ſpiritualia per Baptiſmum recepta ſint certa, vim addit

noſtro argumento, nam bona illa adeò certa profananda ſunt per profeſſionem ſectæ Mahometanæ, per circumciſionem, & alias Mahumetanas ſuperſtitiones.

Ad ea verò, quæ adduntur ad probandam incertitudinem futuræ peruerſionis pueri baptizati, & apud parentes Turcas educandi patet ſolutio ex dictis: negandum eſt enim, quod maior pars puerorum ante vſum rationis decedat, cum omnes nati per ſe loquendo victuri ſint, & conſequenter per accidens ſit, quod ante vſum rationis moriantur, quod enim contingit per accidens, contingit vt in paucioribus: ſed & hoc admiſſo, cum aliqua ſaltem pars infantium victura ſit, vt ipſi opponentes fatentur, in his infantibus profanabitur Baptiſmus; id autem non licet, etiamſi maior pars infantium eſſet ſaluanda, vt diximus ſuprà. Ea quæ adduntur de peſtilentia, & de alijs, non indigent reſponſione, cum ſint per accidens, & raro contingant. Quod verò multiplicentur auxilia pro infantibus baptizatis, non probat abeſſe periculum peruerſionis, immò cum periculum peruerſionis ſit moraliter certum, auget ſacrilegium, eo quod etiam poſitis auxilijs, adhuc Baptiſmi Sacramentum profanandum eſt.

Ad confirmationem reſpondetur peruerſionem, per quam ſpecialiter profanatur Sacramentum Baptiſmi, eſſe apoſtaſiam, & infidelitatem ipſius pueri, vt iam dictum eſt. Sed & per circumciſionem, per oblationem pueri Mahumeto, ac per alias Mahumetanas ſuperſtitiones, idem Baptiſmi Sacramentum, eiuſque characterem profanari certum eſt, & præſertim per circumciſionem: nam cum filios ſuos poſt ſeptennium Mahumethani circumcidant, interuenit in ea circumciſione, nedum peccatum circumcidentium, ſed etiam ipſius pueri, qui cum iam ad vſum rationis peruenerit, conſentit in ſuam circumciſionem, quæ de ſe habet profanare Sacramentum Baptiſmi, eiuſque characterem. Quamuis nulla ſuperſtitio, aut mala fides puerum ad Baptiſmum offerentium, poſſit inualidum efficere Baptiſmum, & hoc vult Auguſtinus in laudata Epiſtola ad Bonifacium.

Ex his patet ad ſecundam rationem, quæ objicitur. Nam baptizatio prædicta eſt illicita, & intrinſecè mala propter profanationem Sacramenti Baptiſmi certò moraliter futuram, vt dictum eſt: ſed ſiue poſt ſeptennium, ſiue ante ſeptennium circumcidatur puer, profanatur certò Baptiſmus, eiuſque character, ſi cum ea in eodem ſubiecto coniungatur. Iniuria enim Baptiſmi eſt, quod Baptiſmo inſignitus circumcidatur, cum Baptiſmus circumciſionem excludat, idque eo magis, quod circumciſio illa, ſi fiat poſt ſeptennium probatur, & volita eſt à puero, qui iam peruenit ad vſum rationis, ſi verò fiat ante ſeptennium, probatur ab eodem, cum ad vſum rationis peruenerit. Et idem dicendum de alijs ſuperſtitionibus Mahumethanis, quæ ab ipſis fiunt circa filios. Graue igitur ſacrilegium committit Chriſtianus, qui puerum circumcidendum, vel circumciſum baptizat, quia Baptiſmi Sacramentum exponit periculo

mo-

moraliter certo profanationis futuræ, immò iſtud profanationi moraliter certæ exponit.

Sed & in eo caſu cenſetur conſentire prauæ intentioni, & malitiæ parentum infidelium petentium pueri Baptiſmum ad meram ſalutem corporalem ipſius pueri: nam cum in eo caſu non poſſit Chriſtianus baptizans habere pro motiuo baptizandi puerum, ſalutem ſpiritualem ipſius pueri, quin potius certus eſt baptizans de iactura ſalutis ſpiritualis pueri, cenſetur conſentire malitiæ, & prauæ intentioni parentum, ac proindè cenſetur conferre Baptiſmum ad effectum corporalem, ad quem non eſt à Chriſto Domino inſtitutus, & hæc eſt profanatio actualis Baptiſmi. Quare duplex in eo caſu ſacrilegium committit, qui in eo caſu puerum illum baptizat; vnum eſt, quia Sacramentum Baptiſmi exponit profanationi futuræ moraliter certæ; alterum verò eſt, quia actu profanat Sacramentum Baptiſmi, conferendo illud ad producendum effectum, ad quem producendum non eſt à Chriſto Domino inſtitutus.

Quapropter conferre Baptiſmum filijs infidelium, quos ipſi ad ſalutem corporalem baptizari petunt, ſi apud infideles educandi ſint, eſt intrinſecè malum, primò, propter periculum moraliter certum futuræ profanationis Baptiſmi; deindè eſt intrinſecè malum, propter profanationem actulem eiuſdem Baptiſmi, vt dictum eſt. Vndè non ſolum eſt malum propter periculum mali, ſed eſt malum propter moralem, & moraliter certam connexionem cum ipſo malo, ſcilicet cum ipſa profanatione certò futura ipſius Baptiſmi: Et rurſus eſt intrinſecè malum propter actualem profanationem Baptiſmi, iuxtà ea, quæ dicta ſunt.

Alia verò eſt ratio in caſu, quo parētes filium ſuum in articulo mortis conſtitutum, ad ſalutem corporalem baptizari petunt. Nam in eo caſu abeſt periculum peruerſionis pueri, cum certum ſit ipſum eſſe moriturum, etiamſi parentes putent per Baptiſmum euaſurum eſſe mortem, nullo modo profanatur, aut profanationis periculo exponitur Sacramentum Baptiſmi, & Chriſtianus Miniſter iuſtam habet cauſam conferendi puero illi Sacramentum Baptiſmi, ſcilicet, vt conſulat, ac in tuto ponat ſpiritualem pueri ſalutem, quam amitteret, ſi eum non baptizaret: vndè non cenſetur conſentire prauæ intentioni parentum petentium illum baptizari ad ſalutem corporalem, ſed cenſetur vti malitia ipſorum propter bonum ipſius pueri, iuxtà ea, quæ dicemus infrà.

Quoad proteſtationem verò, quæ iuxtà opponentem facienda eſt à Miniſtro, dicendum eſt proteſtationem illam neutiquam ſuffragari Miniſtro, nec eum à reatu ſacrilegij excuſare, cum ſit proteſtatio contraria facto: nam proteſtatio de non admittendo ſacrilegio non ſuffragatur ei, qui actu vult committere ſacrilegium, & ſe ſacrilegium committere agnoſcit. Qui autem puerum baptizat cum morali certitudine futuræ profanationis Baptiſmi, immò & cum actuali Baptiſmi profanatione ab eo volita, & cognita, vt contingit in præſenti,

iuxtà ea, quæ dicta ſunt, actu committit, & vult committere ſacrilegium. Igitur ei ſuffragari nequit proteſtatio, qua proteſtetur ſe nolle committere ſacrilegium. Nec tamen dicimus proteſtationem aliquam faciendam eſſe ab eo, qui miniſtrat Baptiſmum puero, quem parentes infideles ad ſalutem corporalem baptizari petunt, ſi puer in articulo mortis ſit conſtitutus. In hoc enim caſu non eſt neceſſaria proteſtatio, cum abſque vlla proteſtatione Miniſter baptizans in eo caſu cenſeatur abeſſe à culpa parentum: nam abeſt periculum perueſionis; cum enim puer ille in articulo mortis conſtitutus ſit, ac proindè per mortem à parentibus ſeparandus, ab eis peruerti nequit, & cum Chriſtianus Miniſter iuſtam habeat cauſam eum baptizandi, vt videlicet conſulat ſpirituali ſaluti pueri, quam puer amitteret, niſi tunc baptizaretur, Miniſter Chriſtianus non cenſetur conſentire malitiæ, ac prauæ intentioni parentum, ſed eam permittere, eaque in bonum pueri vti, vt dicemus infra, ac proindè nulla indiget proteſtatione.

Ad aliud verò de Catecheſi puerorum, dicimus, quod pueri baptizati ante vſum rationis, catechizandi ſunt, & in fide inſtruendi, cum ad vſum rationis peruenerint: id autem cum fieri nequeat in pueris baptizatis, qui poſt receptum Baptiſmum apud infideles educandi remanent, talis Baptiſmus etiam propter hanc rationem eſt illicitus.

Nec verum eſt Bonacinam, alioſque Authores ab eo allegatos, aſſerere, quod filij infidelium captiuorum baptizati ante vſum rationis, reddi poſſint infidelibus, ſi graue aliquod malum Chriſtianis ab Infidelibus immineat, ſed ſolùm Authores illi habent, quod reddi poſſint Infidelibus eorum filij, ſi non ſint baptizati.

Ad tertium argumentum ex Baptiſmo filijs hæreticorum à Miniſtris Catholicis collato, patet ex dictis, eamdem eſſe rationem de hoc Baptiſmo, ſi hæreticorum filij apud hæreticos educandi ſint, ac de Baptiſmo Turcarum, aliorumque infidelium filijs collato, qui apud Turcas, & infideles ſint educandi, ſicut enim Baptiſmus profanatur per profeſſionem Mahumetanam, ita & profanatur per profeſſionem hæreſum Fidei in ipſo Baptiſmo collato contrariarum.

Quoad S. Thomam, ex dictis patet, iuxtà eius doctrinam baptizari non poſſe infidelium filios, ante vſum rationis, qui à parentibus infidelibus ſeparandi non ſint. Nam Iudæorum filios ante vſum rationis baptizari poſſe negat, ſi à parentibus non ſeparentur, idquè propter periculum perueſionis illorum: cenſet ergò S. Thomas periculum perueſionis adeſſe, ſi filij infidelium ante vſum rationis baptizati non ſeparentur à parentibus infidelibus, & hanc perueſionem vergere in præiudicium Fidei, idque admitti non poſſe.

Igitur iuxta doctrinam S. Thomæ baptizari nequeunt filij Turcarum, aliorumque infidelium, ſi apud parentes infideles educandi ſint. Eſt autem hoc adeò animaduertendum, vt ſi dicatur, quod ad baptizandum Iudæos ante vſum rationis non obſtet, quod à parentibus non ſint ſeparandi,

di, poterunt vtique baptizari inuitis parentibus, & apud ipſos remanere, quod nullus admittit.

Rurſus etiam animaduertendum eſt, quod ſi educatio infantis baptizati apud parentes infideles, non ferret ſecum periculum peruerſionis puerorum, cum ad annos diſcretionis peruenerint, eo quod maior pars infantium ante vſum rationis decedat, S. Thomas vim non faceret in hoc, quod ſi non ſeparentur à parentibus infidelibus, adeſſet periculum peruerſionis, nam iuxtà Aduerſariorum opinionem, hoc periculum non accideret, niſi in minori parte dictorum infantium, & tamen Sanctus Thomas abſolutè dixit, adeſſe periculum peruerſionis infantium, ſi poſt Baptiſmum apud parentes infideles educentur. Ergò S. Thomas nihili fecit hoc, quod aliqua pars infantium ante vſum rationis decedat, benè aduertens infantes per ſe ad vitam ordinari, & victuros eſſe, & non curauit, quod eſt per accidens, ſcilicet, quod aliqua pars illorum ante vſum rationis decedat, neque propter aliquos, qui ſaluari poſſunt, eo quod non ſint peruertendi, quia morituri ſunt ante vſum rationis, cenſuit, profanari poſſe Baptiſmi Sacramentum in alijs, qui peruertendi ſunt.

Ad aliud quod obijcitur, dicimus, rationem noſtram in eo, vt diximus, ſitam eſſe, quod poſita morali certitudine futuræ peruerſionis pueri, vti ponitur, ſi puer poſt receptum Baptiſmum apud parentes infideles educandus remaneat, grauiter peccet, & quidem peccato ſacrilegij, qui puerum baptizat, quem parentes infideles ad ſalutem corporalem baptizari petunt: quia baptizans certus moraliter eſt de futura profanatione Baptiſmi per apoſtaſiam, & peruerſionem pueri cum ad annos diſcretionis peruenerit; vndè conferendo in eo caſu Baptiſmum, actionem præſtat intrinſecè malam non ſolum propter periculum profanationis moraliter certum; nam quod eſt malum propter periculum certum moraliter alicuius mali, eſt intrinſecè malum, ſed etiam collatio prædicti Baptiſmi eſt intrinſecè mala propter actualem profanationem Baptiſmi: cenſetur enim Baptizans in eo caſu conſentire, & cooperari prauæ parentum intentioni puerum ad ſalutem corporalem baptizari efflagitantium; nam cum puer, vt ſupponendum eſt, peruertendus ſit à parentibus, & baptizans de hoc moraliter ſit certus, habere nequit pro motiuo baptizandi puerum, ſalutem ipſius pueri, cum hæc futura non ſit, ſed potius futura ſit iactura ſalutis ipſius pueri, non habet baptizans, vnde cenſeri poſſit non conſentire prauæ intentioni parentum volentium profanationem baptiſmi, dum illum ad ſalutem corporalem pueri expoſcunt, id enim locum dumtaxat haberet, quando per baptiſmum induceretur ſalus ſpiritualis pueri, vti contingit, quando puer eſſet moriturus, tunc enim, vt diximus, baptizans cenſeretur eam permittere, nec eam impedire teneretur; Cum ergò ſtante morali certitudine peruerſionis pueri, baptizans habere nequeat pro motiuo baptizandi puerum, ſalutem ſpiritualem ipſius pueri,

ri, cenſetur poſitiuè conſentire prauæ intentioni parentum, qui baptiſmum pueri ad ſalutem corporalem expoſcunt, eidemque prauæ intentioni cooperari. Vnde & baptizans hac eadem ratione actionem elicit intrinſecè malam, ratione actualis profanationis, qua Sacramentum baptiſmi actu profanat; adhibendo illum ad effectum corporalem, ad quem à Chriſto Domino non eſt inſtitutus. Id enim eſt grauiſſimum ſacrilegium, & abuſus, & profanatio Sacramenti baptiſmi. Falſum etiam eſt, quod addit Opponens, nempè filios infidelium baptizatos ante vſum rationis reddi poſſe infidelibus ob commune aliquod bonum, id enim fieri nequit, ob eaſdem rationes, nec vllus Author id aliquando dixit.

Ad illud de baptiſmo in caſu poſito imprudenter collato, ſicut & ad illud de deficientia Patrinorum in eodem baptiſmo, reſpondetur, & argumenta hæc efficacia eſſe ad probandam noſtram ſententiam, & ad oppoſitam redarguendam. Nam, quod docet Paſſerinus *in ſec.* 2. *q.* 187. *art.* 1. *dub.* 7. *num.* 109. de baptiſmo collato hæreticorum filijs, qui apud hæreticos remanſuri ſunt, dicendum eſt etiam de baptiſmo Turcarum filijs collato, qui apud Turcas educandi ſunt: ſic autem diſcurrit Paſſerinus; Cauſa, cur filijs hæreticorum, (ac Turcarum) apud Hæreticos, & Turcas educandis conferendus non ſit baptiſmus, ex natura baptiſmi, inſtitutione, & religione petenda eſt; Quia cum ſit Sacramentum Fidei, & externa fidei profeſſio, & ſubiectio ad legem fidei, & obligatio ad Eccleſiam per ſe, in ſubiecto petit fidem veram, ſi illius ſit capax: Et ſi illius non ſit capax petit ſaltem, quod non ſit in ſtatu alieno à fide, & tali, in quo, vt plurimum, qui baptizantur nunquam ſint credituri. Opus enim eſt, vt ſi baptizandus in propria fide non poteſt baptizari, & per ſe exterius non poteſt proteſtari fidem, & ſe ad fidem obligare, quod hoc ſaltem poſſint prudenter facere, vel qui illum offerunt baptiſmo, vel qui illi baptiſmum confert, vel Sancta Mater Eccleſia in cuius fide baptizantur infantes. Sed nullus eſt, qui pro tali infante prudenter perſeuerantem fidem poſſit profiteri, & ſe ad leges fidei obligare, ſi ille manſurus ſit ſub cura hæreticorum parentum. Ideò præceptum Concilij Toletani, quòd filij Iudæorum à parentibus ſeparentur, non eſt Eccleſiaſticum, ſed eſt legis Diuinæ, & Eccleſiæ Miniſtri ex iure Diuino, & ex vi inſtitutionis baptiſmi, tenentur baptizatos infantes ſeparare à cura infidelium, & ſub cura Sanctæ Eccleſiæ ſuſcipere, aliter imprudentiſſimè, vel Eccleſia, vel quilibet alius per baptiſmum infantis promitteret obſeruantiam legis fidei, & inter fideles aggregaret illum, quem moraliter eſt certum, ſpectato eo, quod ferè ſemper euenit, quod à fide alienus viuet in facie Eccleſiæ, & coram Eccleſia viſibili: quidquid ſit an per accidens hoc ſit futurum ex ignorantia inuincibili baptizati. Igitur talem infantem baptizare, eſt per ſe intrinſecè malum, & eſt iniuria Sacramenti, & eius fini, & formæ, & inſtitutioni contrarium.

Hinc

Hinc non poteſt hic applicari regula generalis illa, quod quando concurrit fauor Sacramenti, ne illi fiat iniuria, & fauor proximi, ne periclitetur eius ſalus, in dubio præferendus eſt fauor proximi, quia Sacramenta pro ſalute proximi ſunt inſtituta, Sanchez *de matrim. l. 2. diſput. 36. num.* 8. Henriq. *l. 5. c. §. 7.* Filliuc. *tr. 7. c. 5. num.* 120. Pontius *de matrim. l. 4. c. 25. num.* 8. Diana *p. 2. tr. 10. reſ.* 13. Nam hic locum non habet dubium. Nam certa eſt iniuria, quæ fit Sacramento, & per ſe, vt in pluribus, certa eſt Sacramenti iniurioſè collati inutilitas, & ſola remota, & valdè incerta vtilitas ſalutis baptizati adeſt, & Deus quidem miſericors eſt, & ſalutem hominum chariſſimam habet, & nihilominus, vt Apoſtolus ad Romanos dixit, & ad propoſitum conſiderauit Concilium Toletanum 4. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*, nec indiget hominum ſalute, nec charum habet, quod Sacramenta à ſe pro Mundi ſalute inſtituta proijciantur, & dentur inuitis, eaque reuerenter, & deuotè non ſuſcipientibus; Parentum verò eſt nomine filiorum Sacramenta Chriſti pro filijs recipere. Hæc Paſſerinus, & benè, quæ etiam de baptiſmo Turcarum filijs non conferendo, qui apud parentes Turcas educandi ſunt, rectè procedunt.

Ex his patet prædicti baptiſmi collationem, ex eo etiam capite intrinſecè malam eſſe, quod baptiſmus imprudenter eo pacto conferatur, & imprudentia quidem ſacrilega, quatenus ei confertur, qui ſuſceptum Sacramentum eſt profanaturus, & huius notitiam moraliter certam habet Miniſter baptizans, quod proindè eſt Sanctum dare Canibus. Et prætereà eſt intrinſecè mala dicti baptiſmi collatio, quia fit contra naturam, & inſtitutionem ipſius baptiſmi, vt oſtenſum eſt.

Nec etiam valent duo, quæ alij obijciunt; Quod videlicet Apoſtoli ad exemplum Chriſti Domini quoſcumque obuios baptizabant, non reſpicientes ad intentionem parentum. Deindè, quod Deus velit, omnes homines ſaluos fieri: Non inquam, hæc valent; Nam ad primum dicitur, quod nefas eſt putare, quod Chriſtus Dominus, eiuſque Apoſtoli infantes illos baptizauerint ad effectum illum, ad quem baptiſmus non eſt ab ipſo Chriſto inſtitutus, ſcilicet ad ſalutem corporalem, & quod non reſpicerent ad prauam parentum intentionem; Licet Chriſtus poſſet, ſi velit, & gratiam conferre, & ſalutem corporalem inducere. Nec etiam putari poteſt Chriſtum, eiuſque Apoſtolos baptiſmum infantibus illis contuliſſe, qui apud Iudæos infideles educandi eſſent, ac baptiſmum profanaturi.

Ad ſecundum dicitur, quod Deus vult omnes homines ſaluos fieri per media ab ipſo inſtituta, debito modo applicata, & reuerenter adhibita; non autem vult homines ſaluos fieri per Sacramenta profanata, & ſacrilegè collata, aut recepta, vt contingeret, ſi baptiſmus prædictis infantibus in caſu prædicto conferretur, nec verò

rò ſi aliqui Turcarum filij poſt receptum baptiſmum ante vſum rationis decedant, vt hi ſalutem conſequantur profanandum eſt Baptiſmi Sacramentum in alijs.

Ad vltimum de proteſtatione diximus, eam in collatione baptiſmi, quando adeſt periculum peruerſionis, nihil operari: In caſu verò, quo non adſit periculum peruerſionis proteſtationem non eſſe neceſſariam. Et per hæc etiam patet ad alia plura, quæ ab Aduerſarijs obijci ſolent.

ASSERTIO SECVNDA.

Si nullum adſit periculum peruerſionis, & iuſtum adſit motiuum Turcarum, aliorumque Infidelium filios baptizandi, licitum eſt illos baptizare, etiamſi Parentes infideles ob ſalutem dumtaxàt corporalem, eos baptizari petant.

PRobatur, & explicatur Aſſertio. Nam pluribus modis poteſt contingere, quod Miſſionarij baptizent Turcarum, aliorumque Infidelium filios, quos parentes ad ſalutem corporalem baptizari petunt. Vel enim ſimulant eos baptizare, verba quidem proferendo, eoſque abluendo, ſed abſque intentione, aut propoſito eos baptizandi, & hoc pacto grauiter delinquunt, cum graue ſacrilegium ſit Sacramentum ſimulare, de quo Vaſquez *diſp.* 209. *num.* 4. Hinc Innocentius Tertius *de celebra. Miſſ.* agens de Sacerdote, qui exiſtens in peccato mortali non conſecrabat, aſſerit, eum grauius fictione peccaſſe, ſubdens; *Falſa ſunt abijcienda remedia, quæ ipſis ſunt periculis grauiora.* Vel Miſſionarij filios Turcarum aliorumque Infidelium verè, & cum intentione baptizant, ad effectum tamen eis conferendi ſalutem corporalem, quia putant ſalutem corporalem per baptiſmum eis infallibiliter conferendam, & hac etiam ratione graue ſacrilegium committunt, immò qualificatum ſortilegium, nam effectum hunc Baptiſmus non habet ex inſtitutione Chriſti, quæ ſola in hac re debet attendi. Ac proindè ſic baptizantes abutuntur Sacramento, cum eo ad corporalem effectum vtantur, ad quem à Deo non eſt inſtitutum. Vel Miſſionarij Turcarum, aliorumque Infidelium filios baptizant ad ſalutem quidem corporalem, ſed tanquam ad effectum, qui non infallibiliter, & cum certitudine ex Baptiſmo expectari debeat, ſed ex fiducia in benignitate, ac liberalitate Dei, qui propter excellentiam, & dignitatem Sacramenti Baptiſmi velit etiam corporalem ſalutem conferre, & hoc modo Baptiſmum, ad ſalutem corporalem conferre, non erit illicitum, etiamſi parentes infideles putent ex Baptiſmo corporalem ſalutem infallibiliter ſequuturam, dummodò adſit iuſta cauſa pueros illos baptizandi, vt mox dice-

dicemus, & non adſit periculum peruerſionis pueri baptizandi, nam non eſt illicitum ex re, aut actione ſacra expectare cum fiducia effectus bonos, etiam in ordine ad corpus; hac ratione S. Thomas 2. 2. *queſt. 96. ad primum* ait, quod etiam proferre Diuina verba, aut inuocare Diuinum nomen, ſi reſpectus habeatur ſolùm ad Dei reuerentiam, à quo expectatur effectus, licitum erit; Et ad 3. ait, quod reliquiæ ſi portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum ſunt reliquiæ, non erit illicitum eas portare. Et Syluius in Comment. illius articuli, ait, non eſſe illicitam reliquiarum geſtationem, dummodò ex illarum geſtatione non expectetur ſanitas, aut quid ſimile certitudine indubitata; Si quis enim, ſiuè reliquias, ſiuè verba Sacra geſtet, certò ſibi habens perſuaſum, quod non poſſit lædi, vel quod nō morietur ſine confeſſione, quamdiù ea penès ſe habet, ſuperſtitioſus erit, propter intentionem, qua talibus vtitur ad certum illum effectum, ad quem non valent, neque ex ſua natura, neque ex ordinatione Diuina.

Denique Miſſionarij eo pacto ſe habere poſſunt in Baptiſmo filiorum Turcarum aliorumque Infidelium, quos parentes ad ſalutem corporalem baptizari petunt, vt verè illos baptizent, eiſque verum Baptiſmi Sacramentum conferant, ſed intendendo eorum ſalutem dumtaxàt ſpiritualem, aut cum ſalute ſpirituali ſalutem etiam corporalem ſecundariò, & ex fiducia in Deo, vti dictum eſt, impetrandam; & hoc licitum eſſe dicimus, ſi non adſit periculum peruerſionis infantium, cum ad annos diſcretionis peruenerint, & iuſtum adſit motiuum eos baptizandi. Ratio eſt, quia poſitis his circumſtantijs nihil obſtat, quominus prædictis infantibus baptiſmus conferri poſſit, nam non adeſt periculum peruerſionis illorum, vt ſupponitur, & vt pariter ſupponitur, iuſtum adeſt motiuum eos baptizandi, ergò licitum eſt eos baptizare intendendo illorum ſalutem ſpiritualem dumtaxàt, vel etiam ſecundariò eorum ſalutem corporalem modo explicato; etiamſi eorum parentes illos ad ſalutem corporalem dumtaxat baptizari petant; patet conſequentia, nam non ideò, quod Miſſionarij infantes illos modo prædicto baptizent, conſentiunt, aut cooperantur malitiæ, & peccato parentum petentium filios ſuos baptizari ad ſalutem corporalem; nam baptizans rectificat ſuam intentionem intendendo ſalutem dumtaxàt ſpiritualem illorum infantium, nec aliquid agit, aut operatur, quo prauæ parentum intentioni cooperetur, nec illius baptiſmi modo explicato miniſtratio eſt ex ſe inductio ad peccatum, nec cauſa peccati Infidelium baptiſmum ad ſalutem corporalem filiorum petentium, nec habet rationem ſcandali actiui, eo quod res ſancta ſit conferre baptiſmum, & res Sancta ſanctè conferatur, atque vrgens, & grauis cauſa cogat ad conferendum baptiſmum, ac proindè ex parte baptizantis interuenit ſola quædam peccati ex malitia petentium permiſſio, & ideò eſt omninò licitum baptiſmum ita miniſtrare: eſt autem ratio hæc quam adducimus à priori.

Confirmantur, & explicantur magis hactenus dicta.

NAm iuſto & vrgente exiſtente motiuo licitum eſt cuilibet actionem facere de ſe bonam, etiamſi alius ea, ex mera ſua prauitate, ac malitia ſit abuſurus, aut ex ea peccandi occaſionem ſumpturus, & iuſto exiſtente motiuo, non tenetur quis impedire peccatum alterius per hoc medium, quod eſt abſtinere ab actione bona, quam ex iuſto motiuo exercet, nam eſt contra æquitatem abſtinere ab actione bona, quæ ex iuſto & vrgente motiuo exercetur, & per quam nihil contribuitur abuſui, quo ea alius abutitur, & aliàs illemet, qui bona illa actione abutitur, poteſt non abuti: hac ratione licitum eſt Sacerdoti ex iuſta, & vrgente cauſa Sacrum celebrare, etiamſi ſciat alium eo Sacro aliquo modo abuſurum, vt ſi mulierem occaſione audiendi Sacrum ad malum pelliciat: hac etiam ratione licitum eſt mulieri ex iuſta, & vrgenti cauſa, vti eſſet, audire die feſto Sacrum, è domo procedere, etiamſi ſciat aliquem ex eius aſpectu peccaturum; eadem ratione licèt ex iuſta & vrgente cauſa mutuũ petere ab eo, qui paratus eſt illud ſub vſura dare; vnde & pari ratione licitum eſt, ex iuſto & vrgente motiuo Turcarum, aliorumque infidelium filios baptizare, etiamſi baptizans ſciat eorum parentes, nonniſi ad ſalutem corporalem Baptiſmum filiorum petere, & expectare. Et ſicut non peccat, qui ex iuſta cauſa mutuum petit ab eo, quem ſcit nonniſi ſub vſura mutuum daturum, ita nec peccat, qui Turcarum, aliorumque infidelium filios ex iuſta cauſa baptizat, etiamſi ſciat parentes eorum Baptiſmum filiorum non velle, niſi ad ſalutem corporalem.

Vlterius (ex iuſta cauſa) Turcarum, aliorumque infidelium filios baptizare intendendo eorum ſalutem ſpiritualem, cum eorum parentes illos ad ſalutem corporalem baptizari petunt, non eſt cooperari peccato parentum, aut eorum prauæ intentioni conſentire, ſed eſt vti peccato alterius ad bonum, vti autem peccato alterius ad bonum, licitum eſt, inquit S. Thomas 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 4. *in corpore*, nam & Deus vtitur hominũ peccatis ad aliquod bonum; & hoc pacto docet ibi ad primum S. Thomas, quod ille, qui accipit pecuniam mutuò ſub vſuris, non conſentit in peccatum vſurarij, ſed vtitur eo, nec placet ei vſurarum acceptio, ſed mutuatio quæ eſt bona.

Nec dici poteſt, quod Miſſionarius adhuc modo prædicto baptizans infantem, quem parentes ad ſalutem corporalem baptizari petunt, eis præbeat occaſionem peccandi: nam ſicut non præbet vſurario occaſionem peccandi, qui ad ſuum commodum, pecuniam accipit ſub vſura, ita nec baptizans infantem ex iuſta cauſa, ad ſpiritualem ſalutem, occaſionem præbet parentibus peccandi. Pro quo egregiam doctrinam tradit S. Thomas *art. cit.* in ſolutione ſecundi argumenti, quam hic verbis ipſius S. Doctoris referre operæ pretium eſt. Ibi ergo ſic ait S. Doctor. *Ad ſecundum*

dicen-

dicendum, quod ille, qui accipit pecuniam mutuò ſub vſuris, non dat occaſionem vſurario vſuras accipiendi ſed mutuandi: ipſe autem vſurarius ſumit occaſionem peccandi ex malitia cordis ſui; vnde ſcandalum paſſiuum ex parte ſua eſt, non actiuum ex parte petentis mutuum, nec tamen per huiuſmodi ſcandalum debet alius à mutuo petendo deſiſtere, ſi indigeat, quia huiuſmodi paſſiuum ſcandalum non prouenit ex infirmitate, vel ignorantia, ſed ex malitia.

His addenda ſunt, quæ idem Sanctus Doctor habet in eadem 2. 2. *quæſt.42. art.7.* nam ibi docet. *Quod ea, quæ ſunt de neceſſitate ſaluis prætermitti non poſſunt propter ſcandalum vitandum. In his autem ſpiritualibus bonis, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis diſtinguendum eſt; quia ſcandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum ſcilicet aliquis vult impedire huiuſmodi ſpiritualia bona ſcandala concitando, & hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, qui de doctrina Domini ſcandalizabantur, quod eſſe contemnendum Dominus dicit, Matth. 15. Quandoque verò ſcandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, & huiuſmodi eſt ſcandalum puſillorum, propter quod ſpiritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdum dimittenda, vbi periculum imminet, quouſque reddita ratione huiuſmodi ſcandalum ceſſet, ſi autem poſt redditam rationem huiuſmodi ſcandalum duret, iam videtur ex malitia eſſe. Et ſic propter ipſum non ſunt huiuſmodi ſpiritualia opera dimittenda.* Hæc Sanctus Thomas.

Igitur ad rem noſtram, ſicut ille, qui vrgente neceſſitate, ac propter bonum proprium accipit pecuniam mutuò ſub vſuris, non peccat, nec dat occaſionem vſurario vſuras accipiendi, ſed mutuandi, ita qui iuſto vrgente motiuo, & præciſo periculo peruerſionis baptizat ad ſalutem ſpiritualem infantem, quem parentes baptizari petunt ad ſalutem corporalem, non peccat, nec dat occaſionem parentibus peccandi, aut petendi, vel expectandi Baptiſmum infantis ad ſalutem illius corporalem, ſed dat occaſionem expectandi Baptiſmum infantis ad ſalutem ſpiritualem; & ideo baptizans non peccat; & ſicut ipſe vſurarius ſumit occaſionem peccandi ex malitia cordis ſui, vnde ſcandalum paſſiuum ex parte ſua eſt, & non actiuum ex parte petentis mutuum, ita ipſe infidelis petens, & expectans Baptiſmum infantis ad ſalutem illius corporalem ſumit occaſionem peccandi ex malitia cordis ſui, vnde ſcandalum paſſiuum ex parte ſua eſt, non actiuum ex parte baptizantis, & ſicut propter huiuſmodi ſcandalum paſſiuum vſurarij non debet alius à mutuo petendo abſtinere, ſi indigeat, quia huiuſmodi paſſiuum ſcandalum nõ prouenit ex infirmitate, vel ignorantia, ſed ex malitia, ita baptizans vt ſubueniat ſaluti ſpirituali illius infantis non debet propter huiuſmodi ſcandalum paſſiuum abſtinere à miniſtrando Baptiſmum, quia huiuſmodi paſſiuum ſcandalum non prouenit ex infirmitate, vel ignorantia, ſed ex malitia; at vndecumque proueniat, cum Baptiſmus ſit bonum ad ſalutem neceſſarium, prætermitti non poteſt, propter ſcandalum quodcumque paſſiuum, vt conſtat ex doctrina Sancti Thomæ allata.

Eadem docet idem Sanctus Doctor *quæſt.13.de malo art.4.ad 17.* ait enim, *Quod aliud eſt conſentire alicui in malitia, aliud eſt vti malitia alicuius ad bonum. Ille enim alicui in malitia conſentit, cui placet, vt ille malitiam exerceat, & ad hoc forte eum inducit, & hoc ſemper eſt peccatum. Vtitur autem malitia alicuius, qui hoc quod aliquis malum fecit, retorquet ad aliquod bonum, & ſic etiam Deus vtitur peccatis hominum, ex eis eliciens aliquod bonum, vnde & homini licet vti peccato alterius*, &c.

Sic ergo ad rem noſtram; qui ad ſalutem ſpiritualem Turcarum aliorumque infidelium filium baptizat, quem parentes ad ſalutem corporalem baptizari petunt, ſi non adſit periculum peruerſionis, & adſit iuſtum motiuum eum baptizandi, non cooperatur, neque conſentit malitiæ, & prauæ intentioni parentum, ſed vtitur malitia ipſorum ab bonum, ſcilicet ad ſalutem ſpiritualem infantis ipſius, eum ad ſalutem ſpiritualem baptizando, & adeſt vrgens motiuum, vtendi ad bonum eorum malitia, ſcilicet motiuum ſalutis ſpiritualis infantis. Hac ratione baptizare licet filium Turcarum aliorumque infidelium in articulo mortis conſtitutum, etiamſi parentes eum ad ſalutem corporalem baptizari petant, quia in eo caſu non adeſt periculum peruerſionis, & adeſt iuſtum motiuum infantem illum baptizandi, ſcilicet ſalus ſpiritualis illius.

Nec opus eſt, quod ſic baptizans intentionem ſuam exterius manifeſtet, aut proteſtetur ſe baptizare infantem illum ad ſalutem dumtaxat ſpiritualem, ſicut opus non eſt, vt qui petit, & qui accipit pecuniam ab eo, qui pecuniam tradit ſub vſura, proteſtetur, quod ipſe intendat petere, & accipere mutuum, non verò intendat accipere mutuum ſub vſura. & ratio pro vtroque caſu eſt eadem, nam cum iuſtũ adſit motiuum petendi & accipiendi mutuum, & iuſtũ adſit motiuũ baptizandi infantem, non tenetur, nec petens, & accipiens mutuum, nec baptizans eam proteſtationem præmittere, ſed iuſta extante causa, poteſt abſque vlla proteſtatione, & ille accipere pecuniam ab eo qui eam tradit ſub vſura, & hic baptizare infantem, quem parentes, eſto ad ſalutem corporalem, baptizari petunt; immo in caſu noſtro, non expedit proteſtari: nam ſi fiat proteſtatio infideli nullo modo credenti Sacramenti valorem, exponitur Fidei myſterium periculo irriſionis, & forte infidelis poteſt grauiter indignari contra Miniſtrum Chriſtianum; ac proinde videtur operari contra regulas prudentiæ, & offendiculum ſeù ſcandali motiuum præbere, qui huiuſmodi proteſtationem viro incapaci, & Chriſtianæ Fidei Oſori, ſine prope minima ſpe profectus, facit; & monet nos Spiritus Sanctus Eccleſ. 32. *Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem*. Licet igitur ſi non adſit periculum futuræ peruerſionis infantis ipſum baptizare ex motiuo ſalutis ſpiritualis animæ, quam ex Baptiſmo conſequuturus eſt infans ille, nulla præmiſſa proteſtatione, etiamſi parentes eum ad ſalutem corporalem baptizari petant, nam hoc, vti iam dictum eſt, non eſt cooperari, aut con-

entire malitiæ parentum, ſed eſt vti eorum malitia ad bonum, ad quod non eſt neceſſaria proteſtatio, ſed ſufficit interna intentio: non adeſt verò periculum peruerſionis, quando infans eſt in articulo, vel euidenti periculo mortis, idque conſtat Miniſtro Chriſtiano, etiamſi parentes infideles eum baptizari petant, putantes per Baptiſmum, ipſum eſſe mortem euaſurum; rurſus nec adſit periculum futuræ peruerſionis pueri, ſi parentes ad remouendam, vt putant, infirmitatem, aut morbum aliquem à filio, aut ad eum præſeruandum à malis, petant à MiniſtrisChriſtianis eum baptizari, relinquendo poſtmodũ eumdem infantem apud Chriſtianos, & permittendo, vt Chriſtianam Fidem profiteatur, curantes videlicet ſanitatem filij etiamſi ſectam propriam ſit derelicturus.

Secus dicendum eſt, ſi non adſit iuſta cauſa, & vrgens motiuum infantem baptizandi, nam tunc dici nequit, quod baptizans infantem quem parentes ad ſalutem corporalem baptizari petunt, vtatur malitia parentum in bonum infantis, & proindè non conſentiat, & non cooperetur eorum prauæ intentioni, id enim ſolùm contingit, quando adeſſet cauſa, & motiuum infantem illum baptizandi, ac proindè cauſam habet, & motiuum tacendi, & permittendi peccatum parentum illius infantis, poſita enim iuſta cauſa baptizandi infantem, non tenetur Miniſter non permittere peccatum parentum, ſed ſi non adſit iuſta cauſa tenetur nõ permittere peccatum parentum, & eis debet contradicere ac repugnare; nam cum non habeat iuſtam cauſam tacendi, aut non obſtandi, ſi taceat, & non obſtet cenſetur cõſentire in abuſum Sacramenti; immò & in eo caſu baptizans ipſe abutitur Sacramento, etiamſi non adeſſet periculum peruerſionis, & apoſtaſiæ futuræ, & grauiter peccaret, ſicut grauiter peccat mulier, quæ ſine neceſſitate exhibet ſe aſpectui eius, quem ſcit erga ſe malè affectum eſſe, ac proindè ſi mulier abſq; neceſſitate de domo exeat, in eo caſu peccat, etiamſi de domo exire non ſit actio de ſe mala; ſic etiam peccaret, qui neceſſitate non vrgente pecuniam mutuò peteret ab aliquo, quem ſcit vſuram exacturum, etiamſi mutuum non ſit de ſe malum.

Aliæ hactenus dictorum elucidationes.

DIximus Miniſtrum Chriſtianum baptizare poſſe Turcarum, aliorumque infidelium filios, ſi non adſit periculum peruerſionis, & iuſtum adſit motiuum eos baptizandi; nam poſito iuſto motiuo, quo moueatur ad eos baptizandum, habet Miniſter vnde rectificare poſſit ſuam intentionem, itaut non cenſeatur conſentire malitiæ parentum, qua filios ſuos ad ſalutem corporalẽ baptizari petunt, ſed vtatur eorum malitia ad bonum eorumdem filiorum, nam ſic præſtat actionem bonam, & ex iuſto motiuo eam præſtandi, eique proindè non imputatur ad culpam, ſi ſuæ illi propriæ actioni coniungatur extrinſeca malitia parentum infide-

lium

lium, hanc enim non tenetur impedire, cum iuſtum adeſt motiuum præſtandi illam actionem; tunc enim effectus aliquis agenti imputatur, cum poteſt, & tenetur eum impedire, vt communiter dicitur à Theologis. Hac ratione, qui graui vrgente neceſſitate petit mutuo pecuniam ab aliquo, qui non niſi ſub vſura traditurus eſt, non conſentit, nec cooperatur peccato illius, quia licitum eſt mutuum petere, & accipere pecuniam, cum hoc de ſe malum non ſit, & aliàs iuſtum adeſt motiuum, ſcilicèt vrgens neceſſitas mutuo petendi pecuniam, ex quo proindè non tenetur abſtinere à petitione, & acceptione pecuniæ mutuæ, & conſequenter mutuo petenti, & accipienti pecuniam non imputatur ad culpam, quod pecuniam mutuans, eam tradat ſub vſura.

E contra verò ſi quis abſque vlla neceſſitate mutuo peteret, & acciperet pecuniam ab eo, qui nonniſi ſub vſura pecuniam eſt traditurus, grauiter peccaret, & ei ad culpam imputaretur peccatum tradentis pecuniam ſub vſura, quia non interueniente iuſto motiuo petendi mutuò pecuniam, dici nequit, quod non teneatur ad impediendum peccatũ vſurarij. Cum ergo teneatur ad peccatum iſtud impediendum, ac proindè ſi non impediat, abſtinendo à petitione mutui, ei peccatum vſurarij imputatur ad culpam. Idque adeo certum eſt, vt iuxtà doctrinam S. Thomæ tam ad petendũ quàm ad accipiendum mutuo pecuniam ab eo, qui paratus eſt eam dare, ſed cum lucro, requiratur ex parte petentis, ſeu accipientis aliqua neceſſitas, nam S. Thomas 2.2. *qu.* 88. *art.* 4. docet licitum eſſe accipere mutuum ab eo, qui vſuram exercet, ſed addit hoc licere *propter aliquod bonum, quod eſt ſubuenire ſuæ neceſſitati, vel alterius*. Idque ex eo etiam patet, quod quilibet ex præcepto charitatis tenetur diligere proximum, vt quantum in ſe eſt, & abſque ſuo vel alterius incommodo poteſt, non det ei vllam occaſionem peccandi, ſeu ſcandalum etiam paſſiuum incurrendi, *vnicuique enim Deus mandauit de proximo ſuo*, Eccleſiaſtici 17. denique lege charitatis obligatur à proximo auertere damnum ſpirituale.

Nec verò contra hoc facit, quod vſurarius, qui paratus eſt dare ad vſuram peccet, & damnum ſpirituale incurrat; nam hoc ſatis eſt, vt qui neceſſitatem habet, non teneatur abſtinere à petendo mutuum, ſed vti poſſit peccato alterius, non eſt autem ſatis, vt abſque vlla neceſſitate liceat mutuum petere, quia petendo datur occaſio noui peccati, hic & nunc committendi. Quamuis enim vſurarius ſemper ſit paratus peccare, quod tamen hic, & nunc peccet, peccatumque committat, accidit ex occaſione ipſi oblata: non ſolùm autem peccat, qui directè eſt alteri cauſa peccati, ſed etiam qui ſcienter, & abſque vlla neceſſitate iuſta proponit alteri materiam, vnde ſumit occaſionem peccandi, præſertim cum nouit eum eſſe diſpoſitum ad tale peccatum committendum. Vnde ſi mulier credens, aliquem eſſe diſpoſitum ad eam concupiſcendam, ſcienter, & abſque vlla neceſſitate, vel debita vtilitate ſe præ-

præſentaret eius conſpectui, abſque dubio peccaret.

Et ex his patet, quod qui abſque vlla neceſſitate, ſeù debita vtilitate, petit ab vſurario mutuum, velut propter ebrietates, pompas ludos, aliaſque cauſas illicitas, vel ſuperfluas, aut impertinentes à peccato non excuſari. Ita ſentiunt Durandus *in* 3. *ſent. diſt.* 37. *queſt.* 4. Richardus *in* 4. *diſt.* 15. *artic.* 5. *ad* 2. Gabriel eadem *diſt. queſt.* 11. *dub.* 14. Syluester verbo *vſura* 7. *queſt.* 1. Bannes *in* 2. 2. *Sancti Thomæ art. cit.* Valentia *diſp.* 5. *q.* 21. *puncto* 4. Syluius *in* 2. 2. *queſt.* 78. *ar.* 4. alijque. Et quamuis de peccati huius qualitate vna omnium mens non ſit, verius tamen videtur eſſe ex genere ſuo peccatum mortale, quia repugnat charitati proximi.

Quæ autem neceſſitas requiratur ad licitè petendum ab vſurario mutuum non conueniunt Doctores, plerique exiſtimant non requiri extremã vel grauem, ſed ſufficere notabilem aliquam vtilitatem, quæ ad decentiam ſtatus, vel perſonæ multùm pertineat, dicunt autem notabilem, quia pro leuibus commodis temporalibus, dare proximo, etiamſi ad peccandum parato peccati hic, & nunc committendi occaſionem, ſine qua peccatum non committeret, vt minimum continet aliquam ſalutis ipſius negligentiam.

Ita igitur & in caſu noſtro, ſi non adſit iuſtum motiuum baptizandi filios Turcarum, aliorumque infidelium, qui proprios filios ad ſalutem corporalem à Miniſtris Chriſtianis baptizari petunt, peccarent Miniſtri Chriſtiani eos baptizando, etiamſi nullum adſit periculum futuræ peruerſionis eorumdem filiorum, quia ſi non adſit iuſtum motiuum eos baptizandi non habet Miniſter vnde ſuã intentionem rectificare poſsit, ita vt non cenſeatur conſentire malitiæ, & prauę intentioni parentum, ac proindé tenetur peccatum parentũ impedire, & conſequenter tenetur eorum filios in eo caſu non baptizare. Vnde ſi eos baptizet ei imputatur ad culpam parentum dictorum filiorum peccatum. Quare ſi per impoſſibile non interueniret ſpiritualis filiorum ſalus, quæ tamen ſemper interuenit, peccaret Miniſter Chriſtianus baptizando Turcarum, aliorumque infidelium filios, quos parentes ad ſalutem corporalem baptizari petunt, etiamſi non adeſſet periculum futuræ peruerſionis illorum;

Quid cum Chriſtianis agẽdum, ſi proprios filios ad ſalutem corporalem baptizari petant, & affertur alia validiſsima ratio pro ſententia noſtra.

Ex dictis patet peccare Miniſtrum Catholicum, ſi baptizet filium etiam Chriſtianorum, quem parentes Chriſtiani ad ſalutem corporalem, quam certò ex Baptiſmo ſequuturam putant, baptizari petant, etiamſi velint verum Baptiſmum conferri, & non adſit periculum futuræ peruerſionis pueri, nam nullum adeſt motiuum iuſtum, nullaque cauſa Baptiſmum eo modo conferendi.

Pec-

Peccatum enim, & quidem non leue, immò Sacrilegium eſt, conferre, aut petere Baptiſmum ad remouẽdum fœtorem, aut ad alium corporalem morbum fugandum, id enim non eſt ex bona affectione, & orthodoxo propoſito, ſeù tanquam lauacrum animam ſanctificans, vt par eſt, Baptiſmi Sacramentum conferre, & petere. Sacramentum enim peti, & conferri debet, non tanquam corporalis medicina, id quod ipſi Baptiſmo non competit, niſi ex miraculo, aut ſpeciali priuilegio, vt patet in Baptiſmo Conſtantini; Et hoc quoque auget, & addit nouam malitiam, cum nefas ſit ſine vrgente neceſſitate miracula, aut eiuſmodi prodigia expectare, aut expoſcere; Et quidem magna irreuerentia eſt, id quod à Deo principaliter, immò vnicè inſtitutum eſt ad ſpirituales effectus producendos, abuti ad tẽporalem effectũ, vt ipſum naturæ lumen liquidò oſtendit. Hinc S. Thomas 3.p.q.69.art.3.ait *conueniens fuiſſe, vt per Baptiſmum non auferrentur pœnalitates præſentis vitæ, ne homines ad Baptiſmum accederent, propter impaſſibilitatem præſentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ, vndè Apoſtolus dicit prima Corinth.1. Si in hac vita tantùm ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*

Igitur ſi Chriſtianus Parens, eo modo offerat filium ſuum adhuc infantem ad Baptiſmum propter ſalutem corporalem, non eſt licitum eum baptizare, niſi prius Miniſter inſtruat Patrem, & nitatur eum ab ea præpoſtera intentione remouere; Quod ſi adhuc perſiſtat in eo prauo propoſito, baptizandus eſt omninò puer, hic enim abeſt apoſtaſiæ periculum, & aliàs ſalus Pueri, atque inconuenientia grauiſſima, quæ conſequi ſolent non baptizato puero ex Chriſtianis orto, & inter Chriſtianos educando, excuſant ab omni culpa Miniſtrum permittentem peccatum Patris, qui ſolus peccat, nec vllo modo conſentit Miniſter, qui quoad potuit obſtitit. Et quidem Miniſter nullo modo cooperatur, ſed in hoc vltimo caſu præſtat id, quod debet; In alio etiam caſu, quo Parens Turca, aut alius infidelis filium baptizari petat ad eius mortem euitandam, ſi filius ſit in euidenti periculo mortis, cum non adſit periculum peruerſionis illius, baptizari poteſt, nulla, vt dictum eſt, præmiſſa proteſtatione, cum adſit iuſta cauſa eum baptizandi, ſcilicet ſpiritualis pueri ſalus, efficit enim rem bonam, & ſanctam baptizando puerum cum recta intentione. Et in neutro caſu nullo modo influit in culpam abuſus Baptiſmi contractam à præpoſtera intentione ipſius petentis, non quidem influit poſitiuè, nam totus influxus poſitiuus ſe tenet ex parte petentis, neque negatiuè moraliter, quia influxus hic non datur, vbi non eſt obligatio impediendi, quæ non adeſt, cum adeſt iuſta cauſa non impediendi, vti adeſt in caſu poſito. Ex quibus colligitur, ſi Turca petat filium baptizari ob temporalem finem, ſpondens poſt Baptiſmum, eum tradere ſub omnimoda poteſtare Miniſtri Catholici, eſſe baptizandum, vrget enim ſalus pueri, quæ ſufficit ad excuſandum Miniſtrum ab omni reatu peccati.

A

At ſi abſolutè Baptiſmus petatur ad ſalutem corporalem, non eſt licitum illum ad hunc effectum conferre, quia Baptiſmum ad ſalutem corporalem conferre, de genere ſuo malum eſt, quod proindè nunquam eſt licitum. Quo circa in Synodo celebrata ſub Luca Patriarcha Conſtantinopolitano, vt refert Cardinalis Baronius *Tom.12.ad Annum* 1148. non admiſſi fuerunt Agareni, qui in ſuis Regionibus baptizati erant à Chriſtianis, ſed Baptiſmum ab eis petierant non bona affectione, & orthodoxo propoſito, ſed propter corporalem medicinam. Perſuaſum enim erat Agarenis, fore vt ſui liberi à Dæmone vexati eſſent, & tanquam canes malè oluiſſent, niſi Baptiſmum Chriſtianorũ aſſequuti eſſent, quamobrem non vt omnium animæ ſordium mundatorem, diuinæque lucis, & ſanctificationis præbitorem Baptiſmum poſtulabant, ſed tanquam veneficium, & incantationem. Quare Concilium illud cenſuit, non eſſe licitum Baptiſmum conferre ad ſalutem corporalem.

Quapropter abſolutè loquendo non licet Baptiſmi Sacramentum conferre ad ſalutem corporis efflagitatum, quia id eſſet abuti Sacramento, & conſentire, immò & cooperari malitiæ Sacramentum Baptiſmi ad ſalutem corporalem efflagitantium. Si tamen adſint circumſtantiæ, ob quas baptizans non cenſeatur abuti Sacramento Baptiſmi, nec malitiæ illud ad ſalutem corporalem efflagitantium conſentire, & cooperari, vti contingeret, ſi iuſtum adeſſet motiuum Baptiſmum conferendi, & aliàs non adſit periculũ peruerſionis Pueri, licet in eo caſu Baptiſmum conferre, quia tunc baptizans non abuteretur Sacramento, neque conſentiret malitiæ Sacramentum ad ſalutem corporalem efflagitantium, ſed vteretur illorum malitia in bonum ipſius Pueri, quod licitum eſſe oſtendimus ſupra. Extra tamen hanc circumſtantiam non licet Baptiſmum conferre, cum Parentes ad ſalutem corporalem Baptiſmum conferri petunt, nam præciſo motiuo iuſto baptizandi, cuiuſmodi eſt ſalus ipſius Infantis baptizans cenſeretur baptizare ob motiuum ſalutis corporalis Infantis, quod eſſet intrinſecè malum, vtpotè abuſus Sacramenti, ac proindè illicitum.

Ex his autem elicitur, & alia validiſſima ratio pro ſententia noſtra; nam ſi adſit periculum futuræ peruerſionis pueri, non adeſt iuſtum motiuum illum baptizandi, cum non interueniat ſalus ſpiritualis ipſius Pueri, ac proindè non adſit motiuum, vndè dici poſſit, quod baptizans non abutatur Sacramento. Fxtante igitur periculo ſalutis ſpiritualis pueri, baptizans puerum abuteretur Sacramento, quia baptizaret illum ad ſalutem corporalem. Id autem eſt intrinſecè malum, nam abuti Sacramento eſt malum intrinſecè, quod proindè in nullo caſu, nec ob mortis metum poteſt eſſe licitum.

Hac ratione, abſolutè petere, vel accipere pecuniam ab eo, qui eam ſub vſura traditurus eſt, illicitum eſt, & intrinſecè malum, quia eſſet conſentire, & cooperari peccato Vſurarij, ſed ſi iuſtum adſit motiuum pe-

tendi pecuniam ab eo, qui eam ſub vſura traditurus eſt, licet eam petere ab eo, qui eam ſub vſura eſt traditurus, quia tunc non eſt conſentire in peccatum Vſurarij, ſed eſt vti peccato illius in proprium bonum, quod eſt licitum, vt ſupra diximus cum S. Thoma. Ita ergo abſolutè, nulloque iuſto extante motiuo illicitum eſt, Infantem baptizare, quem Parentes ad ſalutem corporalem baptizari petunt, nam eſſet conſentire in eorum peccatum, eique cooperari, ac proindè intrinſecè malum; Nec in eo caſu ſufficeret proteſtatio, qua baptizans proteſtaretur, ſe non baptizare propter ſalutem corporalem, nam illa eſſet proteſtatio contraria facto, quia cum non adſit in eo caſu motiuum, ex quo baptizans cenſeri poſſet non conſentire malitiæ Parentum, facto ipſo conſentit, & cooperatur illorum malitiæ, & prauæ intentioni, ſi tamen interueniat motiuum ſalutis pueri, vti contingeret in Baptiſmo conferendo filijs Chriſtianorum, adhiberi poteſt proteſtatio à Miniſtro Baptiſmi Parentibus Chriſtianis facienda, ſi Parentes Chriſtiani proprium filium ad ſalutem corporalem baptizari petant, ad inſtructionem eorumdem Parentum, vt diximus ſupra, in eo enim caſu, cum adſit motiuum conſulendi per Baptiſmum ſaluti ſpirituali ipſius Pueri, proteſtatio non adhibetur ad rectificandam intentionem, ſed ad inſtructionem Parentum.

Soluitur alia obiectio contra primam Aſſertionem, & hactenus dicta confirmantur.

ILlud etiam contra primam Aſſertionem aliqui obijciunt. Quod eſt malum propter periculum, non eſt intrinſecè malum, nam non habet in ſe malitiam, ſed ab extrinſeco, ſcilicet à periculo, at Baptiſmum infanti conferre cum periculo futuræ illius peruerſionis eſt malum propter periculum. Ergo huiuſmodi Baptiſmum conferre non eſt intrinſecè malum. Prohibitio autem actionis, quæ non eſt intrinſecè mala, non obligat cum periculo vitæ. Ergo Miſſionarij Chriſtiani poterunt licitè baptizare Infantem cum periculo futuræ illius peruerſionis, ſi ex denegatione Baptiſmi mors eis immineat ab Infidelibus.

Reſpondetur; quod quando in operatione aliqua adeſt mali periculum, tunc operatio illa eſt intrinſecè mala, Si moraliter certum ſit, quod malum illud, cuius cum periculo ponitur operatio, ſit ſequuturum, vt contingit in caſu præſenti; nam cum confertur Baptiſmus infanti apud Parentes infideles permanſuro, & ab eis educando, periculum futuræ apoſtaſiæ, & profanationis Sacramenti Baptiſmi eſt moraliter certum; ſicut & moraliter certum eſt, quod apoſtaſia, & profanatio illa ſequatur, cum ſupponatur, infantem apud Parentes infideles permanſurum; ac proindè collatio Baptiſmi cum tali periculo præſtita

ſtita eſt intrinſecè mala, quia fit cum periculo moraliter certo profanationis Baptiſmi, immò & cum certitudine morali futuræ profanationis baptiſmi; actio enim, quæ fit cũ certitudine mali profanationis Sacramenti eſt intrinſecè mala; & quamuis mali periculum ſit extrinſecum operationi; eſt tamen intrinſeca operationi relatio ad tale periculum, & ideò actio illa eſt intrinſecè mala. Hac ratione intrinſecè mala eſt operatio, qua quis exponit ſe periculo moraliter certo peccandi, vt cum quis alloquitur Mulierem; cum qua in omni alloquutione peccat, nam exponit ſe occaſioni moraliter certæ peccandi; & ſicut nec metu mortis licitum eſt ſe conijcere in occaſionem moraliter certam peccandi, ita nec metu mortis licitum eſt, operationem præſtare cum periculo moraliter certo peccandi coniunctam: Huiuſmodi autem eſſet collatio Baptiſmi pueri, qui apud infideles permanſurus eſſet, & ab eis educandus; nam cum in eo caſu moraliter certum ſit, quod puer ille, cum ad annos diſcretionis peruenerit, apoſtaturus ſit à fide, ac proindè Baptiſmi Sacramentum profanaturus, Chriſtianus puerum illum baptizans, operationem præſtaret cum periculo moraliter certo peccandi coniunctam, immò & cum actuali peccato, nam peccatum eſt elicere operationem, ad quam moraliter certum ſit, quod ſit ſequuturum peccatum alterius. Vndè ſicut actionem intrinſecè malam præſtaret, grauiſſimumque peccatum committeret, qui Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum in loco aliquo exponeret, vbi certus moraliter eſſet, quod à Sacrilegis proterendum eſſet, & conculcandum; Ita & actionem intrinſecè malam præſtaret, grauiſſimumque peccatum committeret, qui Sanctum Baptiſmi Sacramentum ei conferret, de quo certus moraliter eſſet, quod illud per apoſtaſiam à fide eſſet profanaturus. Vndè cum dicitur prædictam collationem Baptiſmi eſſe malam propter periculum, intelligitur in hoc ſenſu, id eſt, quatenus collatio illius Baptiſmi, eſt expoſitio profanationi ipſius Baptiſmi, id autem, quod eſt exponere Baptiſmum profanationi, eſt intrinſecè malum.

Nec dicatur, quod periculum peruerſionis pueri ſit incertum, eo quod incertum ſit, quod puer ille peruenturus ſit ad annos diſcretionis, ideoque dici non poſſit, quod conferre prædictum Baptiſmum ſit ipſum exponere periculo moraliter certo profanationis. Nam contra hoc eſt, quod, vt ſupra diximus, omni, qui naſcitur, per ſe loquendo debetur vita, vndè omnis qui naſcitur per ſe loquendo peruenturus eſt ad annos diſcretionis, & per accidens eſt, quod ad annos diſcretionis non perueniat, & cum in operationibus attendi debeat, id, quod eſt per ſe, & non id, quod eſt per accidens, ſupponendũ eſt, quod puer ille peruenturus ſit ad annos diſcretionis, & poſito, quod ad annos diſcretionis peruenturus ſit, conferre Baptiſmum puero, qui ſupponitur ad annos diſcretionis peruenturus, eſt exponere Baptiſmi Sacramentum profanationi moraliter certæ, quia eſt conferre Baptiſmum, exponendo illum periculo apoſtaſiæ eiuſdem pueri baptizati, vndè connexio morali-

ter infallibilis, quam habet collatio Baptiſmi cum peruerſione moraliter certò futura illius pueri, ac proindè cum profanatione Sacramenti, efficit collationem Baptiſmi intrinſecè malam. Sed etiam dato, quod aliquis puer peruenturus non ſit ad annos diſcretionis, & hac ratione peruertendus non ſit à Parentibus, & Baptiſmi Sacramentum non ſit profanaturus, certum tamen eſt, quod non omnes pueri deceſſuri ſint antequam ad annos diſcretionis perueniant, ſed certum eſt, quod plures ad annos diſcretionis peruenturi ſint, ſi ergo omnes filij Turcarum, & Infidelium, quos Parentes infideles petunt ad ſalutem corporalem baptizari, baptizandi ſint, moraliter certum eſt, quod aliqui ex illis peruertendi ſint à Parentibus infidelibus, ſi apud illos poſt receptum Baptiſmum remaneant, & Baptiſmi Sacramentum per apoſtaſiam profanaturi: Cum autem id permitti non poſſit, nec permitti poteſt, quod filij Turcarum, & Infidelium, quos Parentes ad ſalutem corporalem baptizari petunt, baptizentur. Tanti autem intereſt impedire profanationem Sacramenti, vt ſi in vno tantùm Puero profanandum eſſet Sacramentum Baptiſmi, & in reliquis pueris profanandum non eſſet, negandus eſſet Baptiſmus reliquis pueris, ne Baptiſmus profanaretur in vno: nam Deus Sacramenta inſtituit in ſalutem hominum, ſalua debita reuerentia illorum.

Sed vlterius animaduertendum, quod conferre Baptiſmum Puero, de quo certum eſt, quod peruertendus ſit à Parentibus infidelibus, non ſolùm eſt intrinſecè malum propter periculum moraliter certum apoſtaſiæ pueri, ac profanationis Sacramenti, ſed etiam eſt intrinſecè malum propter abuſum Sacramenti: Nam qui puerum baptizat, quem Parentes infideles ad ſalutem corporalem baptizari petunt, abutitur Sacramento, & cooperatur, & conſentit malitiæ, & prauæ intentioni Parentum, ſi non habeat iuſtum motiuum baptizandi puerum, ex quo dici poſſit, quod non conſentiat malitiæ Parentum, ſed ea vtatur in bonum ipſius Pueri, vt diximus ſupra. Motiuum autem iuſtum, ex quo baptizans cenſeatur non conſentire malitiæ Parentum, ſed cenſeatur ea vti in bonum ipſius pueri, non eſt niſi ſalus ſpiritualis eiuſdem Pueri. In caſu autem præſenti, non interuenit motiuum ſalutis ſpiritualis Pueri, nam ſupponitur, vt moraliter certum, quod Puer ſit peruertendus. Cum igitur non interueniat motiuum ſalutis ſpiritualis Pueri, relinquitur, quod baptizans in eo caſu Baptiſmum Puero conferat abſque eo, quo poſito cenſeretur non conſentire, neque cooperari malitiæ, ac prauæ intentioni Parentum, & conſequenter eo pacto baptizans abutitur Sacramento Baptiſmi, & conſentit prauæ Parentum intentioni; & cooperatur abuſui, quo Parentes abutuntur Sacramento Baptiſmi, dum illud exigunt ad ſalutem corporalem ipſius Pueri.

Nec dici poteſt, quod in caſu præſenti interuenire poſſit motiuum ſalutis ſpiritualis ipſius Pueri, quo baptizans moueatur ad baptizandum puerum, quia videlicet puer ille poſt recep-

receptum Baptiſmum decedere poteſt, antequam ad annos diſcretionis perueniat,& ſic æternam ſalutem conſequi. Nam contra hoc eſt,quod incertum eſt, quod puer ille deceſſurus ſit antequam ad annos diſcretionis perueniat, immò ſupponendum eſt, quod ad annos illos peruenturus ſit, vt conſtat ex dictis. Ad hoc autem, vt cenſeri poſſit, quod baptizans non conſentiat, neque cooperetur malitiæ Parentum, ſed illa in bonum ipſius pueri vtatur, non ſat eſt, quod ſalus pueri ſit incerta, ſed requiritur, quod ſit omninò certa, ſicut ad hoc, vt quis non cenſeatur conſentire malitiæ vſurarij,cum ab eo petit,& accipit mutuò pecuniam ſub vſura, non ſufficit neceſſitas incerta ipſius petentis,& accipientis pecuniam,ſed requiritur,quod eius neceſſitas certa ſit, & indubitata, nam neceſſitas incerta, non eſt neceſſitas, ex qua excuſari poſſit intentio ipſius mutuam pecuniam petentis ab Vſurario,& ſalus incerta ipſius Pueri baptizandi,non eſt ſufficiēs,vt excuſari poſſit baptizans à conſenſu in prauam intentionem Parentum infidelium,cū huic incertæ ſaluti ipſius Pueri opponi poſſit damnatio moraliter certa eiuſdem pueri, cum ſupponi debeat ipſum ad annos diſcretionis peruenturum, & à fide apoſtataturum.

Expenditur Authoritas S. Auguſtini in epiſtola vigeſima tertia ad Bonifacium, & quænam ibi ſit S. Doctoris mens demonſtratur.

Obijciunt Aduerſarij etiam Authoritatem S. Auguſtini in epiſtola vigeſima tertia ad Bonifacium, vbi S. Doctor ſic ait: *Nec illud te moueat, quod quidam non ex fide ad Baptiſmum percipiendum paruulos ferunt, vt gratia ſpirituali ad vitam regenerentur æternam; ſed quod eos put nt, hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur.* Ex his Auguſtini verbis haberi putant Aduerſarij, licitum eſſe filios infidelium ad ſanitatem temporalem conſeruandā, vel percipiendam baptizare,etiamſi à parentibus infidelibus educandi ſint. Id enim ſupponi videtur apud S. Auguſtinum loco citato, ſed falluntur.

Animaduertendum eſt enim,quod S. Auguſtinus interrogatus à Bonifacio Epiſcopo; An praua voluntas Parentum noceat paruulis baptizatis, quibus tamen prodeſt, cum baptizantur ipſorum parentum fides. Reſpondet Sanctus Auguſtinus poſſe paruulis prodeſſe ſpiritalem Parentum voluntatem propter Sanctam compagem Corporis Chriſti,non autem nocere malam voluntatem, quia anima, quæ peccauerit, ipſa morietur Ezech. 18. Poſtea volens Sanctus Doctor occurrere tacitæ obiectioni, &

& ſimul magis confirmare validitatem Baptiſmi paruulis collati, licet cum praua intentione offerentium eos ad Baptiſmum, dicit illa verba. *Nec te moneat*. Quarè vnicum propoſitum Auguſtini in hac epiſtola eſt, demonſtrare, Baptiſmum paruulis prodeſſe ad vitam æternam, non obſtante praua intentione offerentium. Id, quod magis apparet ex eo, quod poſtea ſubdit Auguſtinus dicens: *Illud autem nolo te fallat, vt exiſtimes, reatus vinculum ex Adam tractum, aliter non poſſe dirumpi, niſi paruuli ad percipiendam Chriſti gratiam à Parentibus offerantur*. Immò illa verba: *Nec te moneat*, confirmant noſtram ſententiam; nam ſi dignè petitur Baptiſmus ſolùm pro temporali remedio, nullam id faceret difficultatem, quam Auguſtinus cogatur ſoluere, vt defendat valorem Baptiſmi, etiam cum praua offerentium paruulos intentione. Patet igitur Sanctum Auguſtinum ſolùm velle, quòd Baptiſmus, etſi à Parentibus mala fide, & ad ſalutem corporalem filiorum petitus, validus ſit, & eiſdem filijs ad ſalutem ſpiritualem eundem Baptiſmum prodeſſe, nec eis malam obeſſe Parentum fidem, non autem vult Sanctus Doctor, quòd licitum ſit Baptiſmum ad ſalutem corporalem conferre.

Pro completa ſententiæ poſitæ intelligentia, animaduertendum eſt, quod cum diximus non poſſe baptizari Infidelium filios, quos Parentes ob ſalutem corporalem baptizari petunt, ſi à Parentibus infidelibus non ſeparentur, eoſdem verò baptizari poſſe, ſi à Parentibus infidelibus ſeparentur; hoc non eſt eo pacto intelligendum, vt ad effectum conferendi prædictis Infantibus Baptiſmum, liceat, ſi adſit facultas, eos à Parentibus eiſdem inuitis ſeparare, eiſque ſic ſeparatis Baptiſmum conferre: Nam & huiuſmodi Baptiſmus illicitus eſſet ex eo capite, quod fieret iniuria Parentibus, ſub quorum cura, & poteſtate viuunt infantes illi, qua ratione Sanctus Thomas docet, non eſſe baptizandos Iudæorum filios ante vſum rationis inuitis Parentibus; ſed cum diximus, infidelium filios ob ſalutem corporalem à Parentibus ad Baptiſmum oblatos, baptizari poſſe, ſi à Parentibus infidelibus ſeparentur, hoc intelligendum eſt, licere, ſi dictorum infantium à proprijs Parentibus ſeparatio abſque iniuria eorumdem Parentum contingat, vti contingeret, ſi infantes illi morituri eſſent, etiàſi Parentes decepti, putarent illos ex collatione Baptiſmi non eſſe morituros; Id etiam contingeret, ſi Parentes infideles ad remouendum fœtorem, vel aliud malum à filiorum corporibus, eos Chriſtianis baptizandos traderent, eiſque in Religione Chriſtiana educandos relinquerent permittendo, quod in fide Chriſtiana educarentur; Idem etiam contingeret, ſi Parentes eſſent Chriſtianorum Captiui, tunc enim abſque Parentum iniuria, eorum filij, poſſent ab ipſis ſeparari, ſicut & à filijs Parentes, & Parentes eſſent de ſeparatione, ac Baptiſmo filiorum irrationabiliter inuiti; Quarè infidelium filij baptizari poſſunt, ſi ante, vel poſt receptum Baptiſmum iuſtè à Parentibus ſeparentur, & ſeparatio à Paren-

Parentibus abſque illorum iniuria contingat, ita vt infantes illi, vel per mortem, vel iuſto aliquo titulo à Parentibus ſeparari poſſint, ac de facto ſeparentur.

De filijs autem Hæreticorum, dicendum eſt, eos, & ante, & poſt ſuſceptum Baptiſmum, poſſe per Eccleſiæ Miniſtros à Parentibus Hæreticis ſeparari, ne illos, cum ad annos diſcretionis peruenerint, hæreticis dogmatibus peruertant; nam Eccleſia poteſtatem habet in Hæreticos, vt potè Baptizatos, eoſque cogere poteſt ad profitendam Catholicam fidem, & in eadem proprios filios educandos; Vndè reſpectu filiorum hæreticorum non requiritur aliud iuſtum motiuum eos à Parentibus Hæreticis ſeparandi, ſed ad hoc ſat eſt motiuum, vt eorum filij in fide Catholica educentur, & ab hæreticis non peruertantur.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum liceat alicui occidere aliquem ſe defendendo.

OMnem omninò hominis cædem, & occiſionem illicitam eſſe dixerunt Vvaldenſes, vt refert Alphonſus de Caſtro in ſumma de Hæreticis, *verb. Occidere*.

Sed & Lactantius *lib. 6.* Diuinarum Inſtitutionum *cap. 20.* idem inſulſiſſimè docuit, poſt plura ſic concludens: *Itaque in hoc Dei precepto (Non occides) nullam prorſus exceptionem fieri oportet, quia occidere hominem ſit ſemper nefas, quem Deus Sanctum animal eſſe voluit*.

Alij verò ſpecialius differentes, nec inuaſorem actualem ad huc propriam vitam defendendo occidere licitum eſſe dixerunt, ita Auguſtinus Triumphus *in lib. de poteſtate Eccleſiaſtica quæſt. 52. art. 3.* inquiens: *Puto quod culpa ſit hominem occidere, ne ipſe occidatur, quacumque ineuitabili neceſſitatè hoc fiat.* Exiſtimant autem ſententiam hanc eſſe S. Auguſtini Primo de libero arbitrio, Toſtatus *in cap. 5. Matth. q. 109.* Riccardus de S. Victore *opuſc. de Charitate*, Almainus in eadem materia, Eraſmus in annotationibus noui Teſtamenti in illa verba Chriſti D. Matth. 5. *Ego autem dico Vobis non reſiſtere malo*, & in illud Luc. 22. *Conuerte gladium tuum &c.* & ex Iuriſtis Accurſius, & Gloſſ. ſuper *l. vim vi ff. de Iuſtitia, & Iure*; Idem nouiſſimè affirmat Aegydius Gabrielis Tertij Ordinis S. Franciſci in opuſculo inſcripto: *Specimina Moralia par. 1.* Moralis Tutoris §. 15.

E contrà verò alij, & actualem Inuaſorem occidere, & quemcumque alium, à quo mors aliquo modo immineat præuenire ipſum occidendo licitum eſſe dixerunt, de quibus infrà.

ASSER-

ASSERTIO VNICA.

Licet alicui alium occidere, ſe defendendo.

ITA communiter Theologi, ac Iuriſtæ, vndè Salonius *Tom. 1. de Iuſtitia, & Iure, ſeù controuerſijs in 2. 2.* Diui Thomæ *quæſt. 64. art. 7. controu. 1. concluſ. 2.* ait oppoſitam ſententiam eſſe forſan temerariam, cum omnium fere Doctorum placitis repugnet. Gerſon *Tom. 1. par. 1. pag. 850.* eam ſententiam dicit multùm duram, & difficilem, & communem opinionem Doctorum eſſe in oppoſitum. Dominicus Soto *de Iuſtitia, & Iure lib. 5. quæſt. 1. art. 8.* ait, quod *aſſerere non eſſe licitum in ſui defenſionem Inuaſorem occidere, eſt non ſolum peruertere ius naturale, verùm & Chriſti iugum, quod ſuaue eſt, & leue, acerbum facere atque importabile.*

Eadem habet Gregorius Sayrus *lib. 7. cap. 10. num. 14. & 15.* vbi ſic habet: *Ius naturale dictat, licitum eſſe vnicuique conſeruare vitam propriam, omni modo licito, & neceſſario, etiamſi alter occidendus ſit, aliàs ius naturale vinculum eſſet iniquitatis, & melior eſſet hominum malorum, quam bonorum conditio, & daretur occaſio iniquis inuadendi bonos, dum eſſent certi ab illis non eſſe occidendos, ſicut 1. Machab. 2. Pagani videntes Iudæos ob reuerentiam Sabbathi nolle pugnare, ac ſe defendere in Sabbathis, occidebant eos, aggredientes eos in Sabbathis, quod videntes Duces, & Sacerdotes inito Concilio decreuerunt, etiam in Sabbathis pugnare, ac ſe defendere. Immò verò imminuta omninò eſſet lex naturæ, ſi non tribuiſſet ius tanto malo obuiandi. Et confirmatur, quia cum vnus iniuriam ab alio patitur, ita vt vnus eorum neceſſariò mori debeat, dictat ius naturale, vt potius inferens, quam patiens iniuriam occidatur, & certè durum nimis, & intolerabile eſſet, vt quis vitam, rem adeò pretioſam propter malitiam alterius me inuadentis, ego vitam omittere deberem, vt ipſe viueret.* Hæc Sayrus.

Habetur autem Aſſertio noſtra in vtroque Iure. In Ciuili *L. 1. ff. de vi, & vi armata. L. vt vim ff. de Iuſt., & Iure,* vbi dicit: *Iure hoc euenit, vt quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimetur. L. iniuriarum ff. de iniurijs l. ſed etſi ff. ad Legem Aquiliam,* vbi apertiſſimè habetur: *Qui alium ferro ſe petentem occiderit, non videtur iniuria occidiſſe.* Et in *L. Itaque ff. ad eamdem Legem Aquiliam habetur: Itaque ſi ſeruum tuum Latronem inſidiantem mihi occidero, ſecurus ero, nam aduerſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere.* Et *L. qui cum maior §. ſi libertas, & l. 1. §. cum arietes ff. ſi Quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, & L. 3. ff. de Iuſtitia, & Iure* idem habetur. Et ratio harum legum eſt; quia qui vtitur iure ſuo nemini infert iniuriam, qui autem occiderit Inuaſorem à quo aliter ſe liberare non poteſt, vtitur iure, quod habet à natura conſeruandi vitam propriam, & vim vi repellendi.

In iure etiam Canonico *diſt. 1. Can. 7.* dicitur, quod *Ius naturale eſt commune omnium Nationum, eo quod vbique inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliqua habetur, vt depoſitæ rei, vel commodatæ pecuniæ reſtitutio, violentiæ per vim repulſio.* Et Innocentius

tius III. *tit. de homicidio cap. ſignificaſti 2. Quamuis*, inquit, *vim vi repellere omnes leges, & omnia Iura permittant, quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad iniuriam propulſandam &c.*

His per omnia conſentit Alexander III. *cap. Si verò alicuius tit. de ſent. excomm.* vbi dicit: *Si verò Clericum ſibi vim inferentem, vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem Apoſtolicam transmitti, ſi incontinenti vim vi repellat. Cum vim vi repellere omnes leges, omniaque Iura permittant.*

Confirmatur ex Conſtitutione Clementis V. in Concilio Viennenſi *Si furioſus*, vbi dicitur: *Si furioſus, aut infans, ſeù dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit: Et idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat Inuaſorem.* Vt enim bene adnotat Couarruuias *Tom. 1. Relect. 3. par. § vnico pag. 622.* Huius Canonis ea eſt ratio, quod ad irregularitatem contrahendam propter homicidium priuatum, neceſſaria ſit culpa homicidij, ſaltem aliqua. Is verò, qui ad neceſſariam vitæ defenſionem aliquem occiderit, nullam culpam homicidij contrahit, ergo nec irregularis erit, quippè qui priuatum homicidium abſque aliqua culpa commiſerit. Supponitur ergo in eo Canone nullam committi culpam occidendo aliquem, ad neceſſariam vitæ defenſionem.

Igitur ſecundum Iura vim vi repellere licet, idque iuxtà proportionem vis, quæ infertur, nam ſi vis, quæ infertur, ſit ad necem inuaſi, ſi inuaſus aliter vim illam repellere nequit, niſi vi pariter, quæ ſit ad necem Inuaſoris, poterit vtique vim illam repellere vi, ſeù actione occidente Inuaſorem.

Hoc ipſum diſertè docet S. Thomas 2. 2. *quæſt. 64. art. 6.* vbi his ipſis terminis quærit: *Vtrum liceat alicui occidere aliquem ſe defendendo*, & affirmatiuè reſpondet his verbis: *Reſpondeo dicendum, quod nihil prohibet vnius actus eſſe duos effectus; quorum alter ſolum ſit in intentione, alius verò ſit præter intentionem. Morales autem actus recipiunt ſpeciem ſecundum id; quod intenditur, non autem ab eo, quod eſt præter intentionem, cum ſit per accidens. Ex actu ergo alicuius ſe ipſum defendentis, duplex effectus ſequi poteſt, vnus quidem conſeruatio propriæ vitæ, alius autem occiſio Inuadentis; Actus ergo huiuſmodi, ex hoc, quod intenditur conſeruatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti, cùm hoc ſit cuilibet naturale, quod ſe conſeruet in eſſe, quantùm poteſt. Poteſt tamen aliquis actus ex bona intentione prouenіens illicitus reddi, ſi non ſit proportionatus fini; Et ideò ſi aliquis ad defendendam propriam vitam vtatur maiori violentia, quam oportet erit illicitum; Si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defenſio; Nam ſecundum Iura vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec eſt neceſſarium ad ſalutem, vt homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad euadendam occiſionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ ſuæ prouidere, quàm vitæ alienæ. Sed quia occidere hominem non licet niſi publica authoritate propter bonum commu-*

ne, illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, vt ſe defendat, niſi ei, qui habet publicam authoritatem: qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum; vt patet in Milite pugnante contrà hoſtes, & in Miniſtro Iudicis pugnante contra Latrones; quamuis etiam & iſti peccent, ſi priuata libidine moueantur.

Hæc S. Thomas, quæ integrè huc transferre placuit, quod in illis bene perpenſis habeamus, quicquid in re præſenti rectius dici poteſt.

Verùm quià S. Doctor in relatis verbis multa de more paucis complectitur, eaque ad quæſtionem, de qua hic agitur, neceſſaria; Singula expendenda ſunt, vt veritas eluceſcat. Vt autem vis, & efficacia diſcurſus Doctoris Sancti magis appareat, poteſt ipſius ratio, ſub hac forma proponi.

Licitum eſt inuaſo actum elicere, qui habeat vti effectum intentum, conſeruationem ſui, & vti effectum non intentum occiſionem inuadentis; Ergo licitum eſt inuaſo defendendo ſe inuadentem occidere. Conſequentia patet, nam elicere actum, cuius effectus etiam non intentus ſit occiſio inuadentis, eſt elicere actum occidentem inuadentem, ſeù eſt realiter Inuadentem occidere; ac proindè ſi licitum eſt inuaſo elicere actum, cuius effectus, etſi non intentus ſit inuadentem occidere, licitum erit inuaſo, ſe defendendo inuadentem occidere. Antecedens autem probatur, præſupponendo, nil prohibere, vnius actus eſſe duos effectus, quorum alter ſolùm ſit in intentione, alius verò ſit præter intentionem; ac proindè nil prohibere, eiuſdem actus duplicem hunc effectum eſſe, ſcilicet conſeruationem vitæ elicientis actum illum, vti effectum ab eo intentum, & occiſionem Inuadentis, vti effectum non intentum ab inuaſo. Tunc ſic; Actus, qui habet pro effectu intento conſeruationem ſui, & pro effectu non intento occiſionem Inuadentis, non eſt illicitus, ſed licitus; Nam huiuſmodi actus recipit ſpeciem ab eo, quod intenditur non autem ab eo, quod eſt præter intentionem, cum autem effectus, qui per actum illum intenditur ſit bonus, ſcilicet conſeruatio ipſius inuaſi, actus ille moraliter bonus erit, nam occiſio inuadentis, cum ſit effectus non intentus per illum actum nullam malitiam refundit in actum, ac proindè actus ille, etſi habeat pro effectu etiam occiſionem inuadentis, non erit moraliter malus, ſed bonus, eo quod effectus per actum illum intentus ſit bonus; quod enim eſt præter intentionem, non dat ſpeciem, cum ſit per accidens.

Cum autem dicitur, occiſionem Inuadentis eſſe effectum non intentum ab Inuaſo, ſeù præter intentionem inuaſi, non eſt ſenſus, quod inuaſoris occiſio, non ſit præcognita, aut præuiſa ab inuaſo, & ipſo inſcio, ſeù non aduertente contingat, ſed ſenſus eſt, quod licet ab inuaſo defendente ſe ipſum ab Inuaſore, eiuſdem Inuaſoris occiſio à ſe perpetranda præcognoſcatur, & ipſo inuaſo aduertente contingat, eam tamen occiſionem inuaſus non vult, aut intendit, ſed ſolùm vult, & intendit defenſionem ſui, licet ad hanc ſequatur mors,

& occiſio Inuaſoris, & ideò inuaſoris occiſio contingit præter intentionem inuaſi.

Eſt autem ratio hæc à priori, in eo enim conſiſtit, quod vnus quiſque ius habeat conſeruandi ſe ipſum, quantùm poteſt, & conſequenter ius habeat ſe contra quemcumque iniuſtum Inuaſorem defendendi, etiamſi defendendo ſe ipſum contingat præter intentionem Inuaſoris occiſio, dummodò defenſio ſit moderata: cum enim inuaſor ſit iniuſtus, vt potè perſona priuata, & vt talis ex odio priuato, & non publica authoritate inuadat, inuaſus non tenetur deſiſtere à ſui defenſione, etiamſi ad eam ſequatur occiſio Inuadentis, vti à defenſione inuadentis occiſiua abſtinere teneretur ſi inuadens authoritate publica inuaderet, quia tunc eſſet reſiſtere Iuſtitiæ, & Reipublicæ iuſtè procedenti, quod non licet.

Nec poteſt dici, quod inuaſoris occiſio ſit volita, ſaltem indirectè ab inuaſo, quatenus vult defenſionem, ſeù conſeruationem ſui, ad quam ſequitur occiſio inuaſoris, nam tunc effectus aliquis dicitur indirectè volitus ab aliquo, quando hic tenetur deſiſtere ab actu, ad quem ſequitur effectus ille, Inuaſus autem non tenetur deſiſtere à defenſione ſui, ad quã ſequitur occiſio inuaſoris: *Nec enim*, ait S. Thomas, *eſt neceſſarium ad ſalutem, vt homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad euitandam occiſionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ ſuæ prouidere, quam vitæ alienæ*, & ideò actus ille, quo quis moderatè ſe defendendo inuaſorem occidit, non eſt illicitus, etiamſi ad actum illum ſequatur inuaſoris occiſio; ſolùm autem erit illicita defenſio ſui, ſi ad defendendam propriam vitam vtatur maiori violentia, quam oporteat; Si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defenſio, nam ſecundum Iura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Sed quia hominem occidere non licet, niſi publica authoritate propter bonum commune, illicitum eſt, ait Sanctus Thomas, *quod homo intendat occidere hominem, vt ſe ipſum defendat, niſi ei, qui habet publicam authoritatem; qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet in Milite pugnante contra hoſtes, & in Miniſtro Iudicis pugnante contra Latrones: quamuis etiam & iſti peccent, ſi priuata libidine moueantur.*

Secundò probatur Aſſertio. Nam vt ait Dominicus Soto *de Iuſtitia, & Iure lib. 5. quæſt. 1. art. 8.* dicere, *quod homo non poſſit ſe ipſum ab Inuaſore vitæ propriæ defendere cum Inuaſoris morte, & quod Inuaſus teneatur permittere ſui ipſius occiſionem eſſet non ſolùm naturale Ius peruertere, verùm & Chriſti iugum, quod ſuaue eſt, & leue, acerbum facere, atque importabile. Quæ enim Iuſtitia eſſet in lege, quæ ſubditos cogeret, vt vitam, quam mortales tanti æſtimant, cuiuſque temeritati, & audaciæ darent? Si me Tyrannus ad malum vrgeret, vitam pro virtute deberem ponere: ſed tamen, quod cuicumque volenti me occidere id permittere cogar intolerabilis res eſſet. Immò non ſolùm vitam non cogor illi dare, verùm etiam neque honorem, neque bona mea. Eſt verbi gratia impurus homo, & peruicax,*

qui iurat, niſi dedero ei pondus auri patraturum ſeſe graue aliquod ſcelus, virum propterea ego ſtringor petitionem ſuam illi concedere? Minimè gentium, Hæc Soto.

Eadem fere habent Molina *diſp.* 13. *num.* 2. & Cardinalis de Lugo *Tom.* 1. *de Iuſtitia, & Iure diſp.* 10. *ſect.* 6. inquiunt enim, quod irrationabile, importabile, ac communi bono contrarium eſſet permittere ſe occidi ab iniuſto Inuaſore, & ab eius occiſione abſtinere; tunc enim peſſimi quique Iuſtos inuaderent, vt eos ſpoliarent, ac occiderent, ſcientes ſe non poſſe licitè ab eis in talibus circumſtantijs interfici. Vndè rurſus maius malum ipſis etiam iniquis accreſceret ex licentia, & occaſione liberius committendi grauiora ſcelera: quarè Charitas ipſa dictat obuiandum eſſe in radice his grauioribus periculis ſpiritualibus iniquorum, quod aliter fieri non poteſt, niſi ſciant licitè poſſe ab iniuſtè inuaſis interfici ob tutelam, & defenſionem propriam.

Qualis debeat eſſe intentio illius, qui ſe ab iniuſto Inuaſore defendit.

PRO maiori autem dictorum intelligentia, inquirendum eſt de intentione, quam debeat habere inuaſus, cum ſe ab inuadente defendit. Eſt enim quæſtio inter Theologos, an inuaſus, cum ſe ab inuadente defendit, poſſit abſque peccato directè intendere inuadentis occiſionem, veluti medium ordinatum ad conſeruandam propriam vitam. Quamuis enim intentio principaliter ſit in ordine ad finem, eſt tamen etiam in ordine ad media, ita vt quis velit finem, & media per ſe, directè, & formaliter, vndè locus eſt quæſtioni; An liceat inuaſo intendere occiſionem inuaſoris tanquam medium ordinatum, ad conſeruationem ſui, vel etiam, an inuaſus poſſit ex propoſito eligere occiſionem Inuaſoris vti medium ad conſeruandam propriam vitam, nam & eligere, eſt intendere, hoc eſt ex propoſito aliquid velle.

Et affirmatiuè reſpondent S. Antoninus 1. *par. tit.* 3. *cap.* 10. *&* 3. *par. tit.* 4. *cap.* 4. Silueſter *verbo homicidium q.* 5. Nauarr. *in ſumma cap.* 15. *num.* 3. Soto *de Iuſtitia, & Iure lib.* 5. *q.* 5. *art.* 8. *num.* 4. Rodriquez 1. *p. c.* 136. Dicaſtillus *de Iuſtitia, & Iure lib.* 2. *tract.* 1. *dubit.* 4. *& alij*, qui volunt inuaſum non poſſe velle occiſionem inuadentis vti finem, & obiectum ſuæ voluntatis, quia ſic eſſet homicida, ſed volunt inuaſum poſſe velle occiſionem inuadentis tantùm vt medium, quia cum inuaſus non poſſit aliter ſe ab inuadente eripere, ac propriam vitam tueri, niſi occidendo inuadentem, ſicut poteſt velle ſui defenſionem, ita quoque poteſt velle, & occiſionem illius, quæ tunc illi neceſſaria eſt tanquam medium ad ſe defendendum, cum ex Ariſtotile 9. Ethic. ad efficacem voluntatem finis ſequatur electio medij ad illum neceſſarij.

Quod etiam hoc modo explicant. Quia id, quod honeſtè fit ratione alicuius finis honeſti, honeſtè etiam intenditur propter eumdem finem. Inten-

tentio enim, & voluntas ſuam habent honeſtatem ex re volita, & ex ratione volendi, quæ eſt finis. Cum autem actus executionis occidendi ad repellendum iniuſtum aggreſſorem honeſtus ſit, ſequitur, voluntatem circa talem actum ſimiliter eſſe honeſtam, quandoquidem obiectum, & circumſtantiæ omnes, nullam malitiam includunt, nec moraliter diſtingui poſſunt actus transfigendi aggreſſorem, & illius mors, aut occiſio. Quapropter ſi voluntas eſſe poteſt honeſta circa actum transfigendi, aut percutiendi, pari ratione honeſtum eſſe videtur velle aggreſſorem occidere, qui ſine occiſione repelli non poteſt.

Confirmant. Quia, omne quod licitum eſt facere, licitum eſt intendere, & velle: Sed licitum eſt occidere inuadentem defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ. ergo, & licitum erit velle occiſionem inuadentis, & illam intendere.

At Cardinalis Caietanus *in Commentario articuli 7. quæſtionis 64. 2.2. D.Thomæ*, Michael Salon *in eodem art. controuerſ. 2. concluſ. 2.* Dominicus Bannes *in Comment. eiuſdem articuli dubit. 5.* Aragon. *in eumdem art. ad 3. concl. D. Thomæ Abulenſis ſuper cap. 5.* Matthæi *q. 109.* Henric. *Quodlib. 5. q. 35.* Cordub. *lib. 1. q. 88.* Victoria *in Relect. de homicidio num. 16.* Balthaſar Gomeſius *de poteſtate in ſe ipſum lib. 2. cap. 1. num. 17.* Franciſcus Syluius *in eodem artic. quæſit. 5.* ſentiunt nullo modo licere inuaſo intendere, aut velle occiſionem inuadentis, nedum vti finem, ſed neque vti medium ad conſeruationem vitæ ipſius inuaſi ordinatum. Et hæc eſt vera ſententia, ac tenenda: Eſtque expreſſa D.Thomæ *in art. 7. cit.* adeò vt mirum ſit, aliquos ex eius diſcipulis oppoſitum docuiſſe.

In eo enim articulo S. Thomas ait licere alicui defendendo ſe inuadentem occidere, quia actus, quo quis ſe defendendo, inuadentem occidit, poteſt non intendere occiſionem inuadentis, nihil enim prohibet inquit S.Doctor, vnius actus eſſe duos effectus, quorum alter ſolùm ſit in intentione, alius verò ſit præter intentionem. Et rurſus, quia occidere hominem non licet, niſi publica authoritate propter bonum commune, illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, vt ſeipſum defendat, niſi ei qui habet publicam authoritatem; qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet in Milite pugnante contra hoſtes, & in Miniſtro Iudicis pugnante contra Latrones: quamuis etiam, & iſti peccent, ſi priuata libidine moueantur. Hæc S. Thomas, quibus nil clarius in re præſenti dicere potuit.

Probatur autem hoc ipſum ratione allata à D. Thoma; Nam perſona priuata publicæ authoritatis expers nullam habet poteſtatem in aliam priuatam perſonã, ſeù in alium hominem etiam malefactorem. Vndè idem S.Thomas *eadem quæſt. art. 3.* ait, quod occidere malefactorem licitum eſt, in quantum ordinatur ad ſalutem totius Communitatis, & ideò ad illum ſolùm pertinet, cui committitur cura Communitatis conſeruandæ, ſicut ad Medicum pertinet præcidere membrum

brum putridum, quando ei commiſſa fuerit cura ſalutis totius corporis. Cura autem communis boni commiſſa eſt Principibus habentibus publicam poteſtatem, & ideò eis ſolùm licet malefactores occidere, non autem priuatis perſonis.

Eatenus igitur licet Principi, aut Magiſtratui malefactores occidere, quatenus malefactorum occiſio ordinatur ad ſalutem, ſeù bonum totius Communitatis; Eſt ergo inordinatio contra debitum naturale, quod aliquis ordinet occiſionem, ſeù mortem alterius ad bonum proprium, & priuatum; id autem contingeret, ſi quis ab alio inuaſus inuadentem occideret, intendendo eius occiſionē, ſeù cum intentione eum occidendi, & volendo eius mortem vti medium ad conſeruationem vitæ propriæ ordinatum, id enim eſſet ordinare alterius mortem ad bonum priuatum, in eo ſiſtendo, hoc eſt, non referendo illud ad bonum commune, quod non licet, ſed & occidere hominem referendo illius occiſionem ad bonū commune, non licet niſi publica authoritate, qua non pollet homo priuatus, & ideò illicitum eſt, inquit S. Thomas, quod homo intendat occidere hominem, vt ſe ipſum defendat, niſi ei, qui habet publicam authoritatem, qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet in Milite pugnante contra hoſtes, & in Miniſtro Iudicis pugnante contra Latrones, quamuis etiam & iſti peccent, ſi priuata libidine moueantur.

Nec refert ſi dicatur, quod inuadentis occiſio non intendatur, vti finis, ſed vti medium ad ſui defenſionem, ſeù conſeruationem ordinatum: Nam qui vult occiſionem tanquam medium, vult occiſionem formaliter, ac directè intenditque illam, ſed intendere occiſionem inuaſoris non licet priuatæ perſonæ, vt ſeipſum defendat iuxtà D. Thomam, ergo neque vt medium, licet eam intendere, aut velle.

Et hanc eſſe mentem D. Thomæ, ex eo etiam patet, quod S. Doctor in eo *art. 7.* ſic ait: *illicitum eſt, quod aliquis intendat occidere hominem, vt ſeipſum defendat, niſi ei, qui habet publicam authoritatem*, hominem autem alium hominem occidere, vt ſe ipſum defendat, eſt velle, & intendere occiſionem hominis, vti medium ordinatum ad ſui defenſionem; Sed S. Thomas dicit illicitum eſſe, quod aliquis intendat occidere hominem, vt ſe ipſum defendat, ergo vult illicitum eſſe, quod aliquis intendat, & velit occiſionem hominis, vt medium ordinatum ad defenſionem ſui.

Et confirmatur. Nam S. Thomas *in eodem art.* dicit, quod illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, vt ſeipſum defendat, niſi ei, qui habet publicam authoritatem; certum eſt autem, quod intendere occiſionem hominis, vti finem non licet, nec etiam homini habenti publicam authoritatem; debet enim occiſio hominis ordinari ad bonū commune, vt licita ſit, & honeſta, nec proindè debet occiſio hominis intendi, vt finis in ea ſiſtendo. Cum ergo S. Thomas ait, non eſſe licitum homini priuato intendere occiſionem alterius hominis, Sancti Doctoris ſenſus

ſus

ſus eſt; non eſſe licitum alicui intendere occiſionem alterius hominis, vti medium ad ſui defenſionem, nam quòd nulli ſit licitum eam intendere, vti finem nullus dubitat, & res eſt extra controuerſiam.

Cum autem dicimus, non eſſe licitum inuaſo directè intendere inuadentis occiſionem, nec etiam vt medium ad ſui defenſionem ordinatum, non ideò relinquitur, licitum eſſe inuaſo inuadentis occiſionem indirectè intendere. Certum eſt enim ex dictis non eſſe licitum inuaſo intendere inuadentis occiſionem vllo modo, nec etiam indirectè; nam hic locum non habet volitio indirecta occiſionis; quia ponimus in animo inuaſoris non debere eſſe, niſi intentionem ſe defendendi, nullo autem modo inuadentis occiſionem. Vndè non aſſentimur Cardinali Caietano in *eodem comment.* qui etſi dicat nullo modo licere inuaſo velle occiſionem inuadentis, neque vt finem, neque vt medium, ait tamen licere inuaſo velle inuaſi occiſionem, vt effectum ſubſequutum. Id enim eſt contra id, quod docet S. Thomas *art. 7. citato*; Nam ibi S. Thomas appellat occiſionem effectum per accidens, & præter intentionem defendentis ſe ipſum; quapropter effectus ille non poteſt dici volitus nec etiam indirectè ab homine ſe defendente. Poteſt quidem, ſed illicitè, is, qui ſe defendit, velle occiſionem inuadentis, vt effectum ex ſua defenſione ſubſequutum, & tunc indirectè vellet occiſionem inuadentis; ſed licitè ſolùm poteſt velle defenſionem ſui, occiſionem verò inuadentis, etſi ab ipſo inuaſo prævideatur futura, potius eam debet nolle, quamuis ſequuturam ſciat; Nec verò fit, quod effectus non contingat præter intentionem agentis, & per accidens, ex eo quod præuideatur futurus; nam poteſt agens ipſum non intendere, & ſic poſita etiam illius præuiſione poteſt effectus contingere præter intentionem agentis, Quapropter effectus ille, qui eſt occiſio, nulla ratione poteſt dici moralis, & voluntarius ipſi defendenti ſe. Et ratio eſt manifeſta. Quia effectus ille, non eſt directè voluntarius, vt patet; Neque indirectè, quia non tenetur inuaſus omittere defenſionem ſui moderatam, quam occiſio inuadentis conſequitur, quia plus tenetur prouidere vitæ propriæ, quam alienæ, vt ait S. Thomas.

Exemplum quod affert Caietanus eſt optimum, probans tamen contra eumdem Caietanum, quod occiſio inuadentis non poſſit, nec vti effectus intendi ab inuaſo. Eſt autem illud de Medico, qui intendit ſanitatem infirmi, per potionem, vel inciſionem venæ, ex quibus conſequitur debilitatio infirmi. Tunc enim conſtat, quod Medicus non intendit directè, vel indirectè debilitare infirmum; neque accipit pro medio debilitationem, ſed ſolùm permittit illam. Sic etiam Deus concurrit ad aliquam operationem, quatenus bona eſt, vt cum concurrit ad entitatem actus, qui tamen eſt peccatum, quatenus eſt à libero arbitrio, contra legem operante; & tamen nullo modo intendit Deus peccatum, neque directè, neque indirectè, neque eſt cauſa peccati, ſed permittit peccatum. Ita om-

omninò ſe habet, qui ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ defendendo inuadentem occidit. Nam actio illa ſe defendendi ſimul eſt defenſio ſui, & occiſio inuadentis, aliter tamen, & aliter, nam eſt defenſio ſui phyſicè, & moraliter, quia per actionem illam intenditur ſui defenſio, actiones autem humanæ, vt diximus ſupra, deſumunt ſpeciem moralem ab eo, quod intenditur, eſt autem eadem actio occiſio inuadentis tantùm phyſicè, quia occiſio illa non intenditur, quod enim non intenditur non conſtituit ſpeciem in moralibus.

Quare mors aggreſſoris non eſt propriè medium ad ſui defenſionem, ſed eſt effectus ex ea conſequens, ſicut enim, quando Medicus vult ægrotum curare, vel per potionem, vel per venæ ſectionem, quamuis nouerit ex ea potione, aut ſectione ſequi poſſe debilitatem infirmi, non tamen aſſumit illam debilitatem tanquam medium ad curationem, imò neque illam verè intendit, cum mallet curare ægrotum abſque eiuſmodi debilitate, ſi poſſet, ſed ſolùm eam permittit, vel negligit, iudicans non idcircò ſibi abſtinendum ab exercitio ſuæ artis; Ita qui inuaditur, quamuis videat, quod non poſſit ſe tueri à morte, niſi inuaſorem occidat, non propterea aſſumit mortem inuaſoris, tanquam medium ad ſui defenſionem, ſed ſolùm eam non euitat rationabiliter exiſtimans, quod non teneatur abſtinere ab illa ſua defenſione (moderata) etiamſi mors alterius inde ſit ſequutura.

Vndè optimè Bannes adnotat, quod nuſquam D. Thomas dicit, quod occiſio hominis ſit medium licitum perſonæ priuatæ ad conſeruationem vitæ, ſed inquit, quod ipſa defenſio eſt medium ad conſeruationem vitæ, & quod ipſa occiſio eſt effectus per accidens conſequutus, & præter intentionem.

De illis autem, qui dicunt, licitum eſſe velle occiſionem, & eam intendere tanquam effectum neceſſariò conſequutum ex defenſione vitæ, ait idem Bannes, quod neque iſti attingunt veritatem, & mentem D. Thomæ, nam ipſe appellat occiſionem effectum per accidens, & præter intentionem defendentis ſeipſum. Quapropter effectus ille nulla ratione poteſt dici moralis, & voluntarius ipſi defendenti ſe. Et ratio, inquit Bannes, eſt manifeſta. Quia ille effectus non eſt directè voluntarius, vt patet, neque indirectè, quia non tenetur homo euitare illum effectum, dum ſe cum moderatione defendit, ergo nullo modo eſt voluntarius. Item falluntur in eo, quod dicunt, eſſe effectum neceſſariò conſequutum ex defenſione vitæ. Etenim ſi dum ego defendo vitam meam ipſe aggreſſor ſeparet ſe, non ſequitur mors illius. At verò ſi perſiſtat adhuc, & ego me non poſſum aliter defendere, tunc neceſſariò ex ſuppoſitione, conſequitur occiſio aggreſſoris, non ex ipſa defenſione, vt eſt operatio defendentis volita, & moralis. Et propterea propriè reſpectu illius defenſionis, dicitur effectus per accidens, & præter intentionem operantis. Hæc Bannes.

Quare cauſa phyſica occiſionis illius eſt quidem ipſe, qui ſe defendit,

non tamen eſt cauſa moralis, quia, ſi defendens ſe rectè in ſui defenſionem velit procedere, non debet occiſionem intendere, ſed ſolùm defenſionem ſui; eius autem, quod non intenditur, ſed præter intentionem agentis, & conſequenter per accidens contingit, agens non eſt cauſa moralis, ſed tantum phyſica, quatenus phyſicè tantùm effectus ille ab agente procedit. Vndè quamuis vnus, & idem ſit actus, quo inuaſus ſe ipſum defendit, & quo inuadentem occidit, moraliter, ſeù in genere moris eſt defenſio, non verò occiſio, ſed tantùm phyſicè dicendus eſt occiſio ob rationem dictam.

Reſpondet Cardinalis de Lugo cum alijs Authoribus oppoſitam ſententiam ſequentibus eſſe diſparem rationem de debilitate ægroti, & de occiſione inuaſoris: nam debilitatio ægroti non conducit ad ſanitatem, ſed euacuatio humoris noxij, quæ quia fieri non poteſt, quin ſimul debilitetur infirmus, permittitur ea debilitatio, non intenditur, nec eligitur. At verò mors aggreſſoris non eſt ſolùm connexa cum alio medio, quod intenditur, ſed ipſa per ſe, & vt mors eſt vtilis, & neceſſaria iudicatur ad ſuam defenſionem: hæc ergo mors intenditur, ſicut qui abſcindit manum putridam propter ſanitatem intendit ipſam abſciſſionem manus. Hæc de Lugo, addens in hoc non poſſe eſſe controuerſiam de re, ſed de nomine.

Verùm hæc reſponſio ex dictis corruit. Nam occiſio, ſeù mors inuadentis dici nequit medium neceſſarium, & ex natura ſua ordinatum, aut ordinabile ad meram conſeruationem vitæ perſonæ inuaſæ; cum enim vita perſonæ inuaſæ ſit quoddam bonum priuatum, non eſt proindè bonum tale, vt pro eo ſolùm conſeruando debeat alia perſona priuari ſuo proprio bono, quod eſt vita propria; Solùm enim à natura inſtitutum eſt, vt pro conſeruando dumtaxat bono maiori deſtrui poſſit bonum minus, vt pro conſeruatione totius deſtruatur pars, & pro conſeruatione corporis deſtruatur membrum, & pro conſeruatione boni vniuerſalis deſtruatur bonum particulare. Non ergo æquum eſt, vt alius priuetur à me propria vita, vt ego meam vitam conſeruem, cum ab hoc natura abhorreat, ac proindè mors, & occiſio inuadentis, non eſt medium ex ſe, & ex natura ſua ordinatum, aut ordinabile ad conſeruationem vitæ hominis priuati, & conſequenter non poteſt perſona priuata, abſque peccato intendere occiſionem inuaſoris, vti medium ad conſeruationem propriæ vitæ ordinatum. Vndè relinquitur, quod ſi inuaſus intendat, & aſſumat occiſionem inuaſoris, vti medium ad conſeruandam propriam vitam, contra æquitatem operetur, & ex malitia ſua aſſumat, vt medium ad conſeruendam propriam vitam, quod ad eam conſeruandam non poteſt eſſe medium; Quod ſi mors inuaſoris iudicatur vtilis ad conſeruandam propriam vitam, eſt iudicium peruerſum, & iniquum; Vndè licet inuaſus poſſit, phyſicè ſi velit aſſumere ipſius inuaſoris occiſionem, vti mediũ ad conſeruandam propriam vitam, ac proindè intendere occiſionem inuaſoris,

id tamen non poteſt licitè, & operando iuxtà æquitatem, ſed licitè poteſt ſolùm intendere conſeruationem propriæ vitæ mediante defenſione ſui ipſius in conflictu, quem habet cum Aduerſario, nullo verò pacto poteſt licitè intendere illius occiſionem, quantumuis præuiſam futuram, quæ proindè habebit rationem meri effectus præuiſi ex defenſione ſecuturi, ſed non intenti, aut voliti. Hinc patet exemplum allatum ex ſumptione medicinæ, vel ex ſectione venæ optimè in rem præſentem quadrare: Nam ſicut debilitatio illa aſſumi nequit vti medium ad ſanandum infirmum, & ſi ſit coniuncta cum ſumptione medicinæ, & ſectione venæ, ita nec ad conſeruandam propriam vitam aſſumi poteſt, vt mediũ occiſio inuaſoris, etſi hæc ſit coniuncta cum defenſione inuaſi; & ſicut Medicus intendere debet dationem medicinæ, non quatenus annexam habet debilitatem, ſed quatenus habet remouere humores noxios, ità & inuaſus intendere debet actionem ſui defenſiuam, non quatenus habet pro effectu occiſionem inuaſoris, ſed quatenus habet pro effectu defenſionem, & conſeruationem ſui ipſius.

Quod diximus, non poſſe licitè ab aliqua perſona priuata, nulla publica auctoritate fulgente intendi, aut volitã eſſe mortẽ alicuius, nec etiam per ordinem ad bonum commune ſeruandum, intelligendum eſt de morte alicuius per occiſionem ab ipſa priuata perſona faciendam, quod nempè nulli priuatæ perſonæ liceat intendere, aut velle mortem alicuius, quæ ab ipſa priuata perſona inferenda ſit; nam ſicut priuata perſona nullam habet auctoritatem occidendi aliquem, nec etiam ex motiuo ſeruandi bonum cõmune, ità nec licitè poteſt intendere, aut velle mortem, ſeù occiſionem malefactoris ab ipſa priuata perſona faciendam, nec etiam ex motiuo ſeruandi bonum commune. Et multò minus poteſt perſona priuata intendere, aut velle mortem alterius illi à ſe inferendam ex motiuo conſeruandi propriam vitam ab illo inuaſam, ex ratione iam allata, quod nulla perſona priuata facultatem, vel authoritatem habeat vitam alteri adimẽdi, nec etiam ob defenſionem vitæ propriæ, ſed ſolùm facultatem habet ſeipſum defendendi, eſto ad eam defenſionem ſequatur præter intentionem occiſio inuadentis. Quare inuaſus pro defenſione paſſiua, & conſeruatione propriæ vitæ poteſt eam actionem elicere, quæ formaliter ſit defenſio ſui, & materialiter tantùm ſit occiſio alterius. Cæterùm quamuis priuata perſona non poſſit, nec etiam ob bonum commune ſeruandum licitè velle, aut optare mortem alicuius à ſe ipſo, aut ab alia priuata perſona formaliter, & ex intentione inferendam, poteſt tamen directè velle, & optare mortem ob publicum bonum ei à Iudice, ſeù Magiſtratu, vel à Deo inferendam, ſi aduertat nonniſi per mortem illius bonum commune conſeruari poſſe.

Alia ad rem hanc aptè explicandam affert exempla Dominicus Bannes. Primum eſt tale. Infirmatur quis vehementer infirmitate ſtomachi, vel oppilatione ventris, ad cuius remedium neceſſè eſt meracis, & optimi vini magnam quantitatem ſumere;

vndè

vndè rurſus neceſsè eſt naturaliter, quod infirmus inebrietur. Tunc nihilominus ſecundum communẽ ſententiam licita eſt illa medicina, non obſtante ebrietate: quoniam ebrietas illa in eo caſu eſt effectus per accidens, & præter intentionem accipientis medicinam per ſe ordinatam ad ſalutem. At verò ſi illa medicina immediatè dirigeretur ad ebrietatem, non eſſet licitum illam ſumere, etiamſi ex ebrietate rurſus ſequeretur conſeruatio vitæ. Ratio eſt: quia *non ſunt facienda mala, vt inde veniant bona*: ſicut etiam non ſunt relinquenda bona, quamuis præter intentionem operantis ſequantur mala iuxtà illud commune prouerbium. *Potius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur*. Aliud exemplum eſt. Si ad conſeruandam vitam neceſſaria eſſet naturaliter expulſio ſuperflui ſeminis, nihilominus non eſſet licitum vti medicina excitatiua pollutionis, quia tunc aſſumeretur medium, quod ſecundum ſe illicitum eſt; At verò ſi eſſet aliqua medicina, quæ immediatè ordinaretur ad confortandum partes vegetatiuas, vel ad purgandum hominem, vnde conſequeretur phyſicè effuſio ſeminis, licitum eſſet ſumere talem medicinam, quia illa effuſio ſeminis eſt effectus per accidens, & præter intentionem accipientis medicinam, niſi homo conſentiat, vel deſideret ipſam pollutionem, ſicut poteſt etiam peccare ſe defendendo, qui gaudet de morte Aggreſſoris.

Duo verò documenta vniuerſalia affert idem Bannes, ad dijudicandum, quinam dicantur effectus per accidens, & in quo caſu teneatur homo relinquere actionem aliàs bonam, ne indè conſequatur malum, vel ad dijudicandum in quo caſu ſit ei licitum proſequi bonam actionem, etiamſi indè ſequatur aliquod malum. Primum documentum eſt. Quando actio bona ſecundum ſe, ex qua ſequitur aliquis effectus ſecundum ſe illicitus, vel nocens alteri: Eſt tamen mihi neceſſaria ad conſeruationem eius, ad quod habeo ius: erit mihi licitum in illa bona actione perſeuerare: dummodò effectus ille per accidens conſequutus, non ſit noxius notabiliter bonis communibus: & multò magis erit licitum perſiſtere in illa actione, quando ipſa eſt promotiua boni communis. Hoc documentum verificatur in actione defenſionis propriæ vitæ, ad quam ſequitur occiſio aggreſſoris, & in ſumptione medicinæ, ad quam ſequitur per accidens ebrietas, vel emiſſio ſeminis. Verificatur etiam in bello iuſto, quando Milites pugnantes contra hoſtes, & Ciuitatem occiderint pariter innocentes per accidens, & præter intentionem. Sic enim expedit communi bono, quod milites non deſiſtant ab impugnatione Ciuitatis ob innocentum periculum.

Secundum documentum eſt. Quãdo actio illa, quæ bona eſt, aut certè non eſt mala ſecundum ſe non eſt mihi neceſſaria, ſed potius parum vtilis, & ſi ceſſem ab illa, parum, aut nihil nocumenti mihi accidit: Et ex alia parte ſequitur aliquod nocumentum notabile proximo: teneor ceſſare ab illa actione, vel ex charitate, vel ex iuſtitia, verbi gratia: Si quis recrean-

di animi gratia velit iaculari ad ſcopum, ad quam actionem ille ius habet, tamen ſi dum vult iaculari videat hominem tranſeuntem, & nihilominus iaculetur, & occidat hominem, non poteſt dici occiſio illa effectus per accidens, & præter intentionem iaculantis, ſed eſt illi indirectè volita illa occiſio. Et ratio eſt, quia ille tenebatur ceſſare ab illa actione, ex qua ceſſatione parum, aut nihil damni reportatur, quamuis alias haberet ius, & poteſtatem iaculandi.

Quare ad rem noſtram; occiſio inuaſoris eſt merè caſualis reſpectu inuaſi ſe defendentis, quia eſt præter eius intentionem, licet ſit præuiſa, & præcognita; nam eſt præuiſa, non volita, & eſt præuiſa, vt fortuita, non vt intenta, ſeù volita, nec eſt procurata, licet ſit procurata defenſio, ad quam ſequitur occiſio illa. Hac ratione pollutio ſequuta ex equitatione dicitur caſualis, & fortuita reſpectu equitantis, ſi vt poteſt, & debet eam non intendat, nec velit, etiamſi ſit ab eo præuiſa. Et idem dicendum de Parocho ex officio, vel de Sacerdote ex neceſſitate audiente confeſſionem Mulieris, ſi ad eam confeſſionem polluatur, ſed pollutionem non velit.

Pro huius maiori intelligentia animaduertendum eſt, ex communi, & recepta Theologorum doctrina, quod effectus aliquis duplici modo dici poteſt caſualis reſpectu agentis, vno modo cum effectus nedum contingit præter intentionem agentis, ſed nec eſt ab eo præuiſus, nec præcognitus; Alio modo effectus aliquis dicitur caſualis reſpectu agentis, cum effectus ille quoq; io modo accidit præter intentionem agentis, vt ſit præcognitus, & præuiſus, adhuc tamen contingat præter intentionem agentis, quia ab agente non intenditur, & hoc ſecundo modo inuaſoris occiſio eſt caſualis reſpectu inuaſi ab eo ſe defendentis; nec ex eo, quod occiſio illa præuiſa ſit ab inuaſo ſe defendente, eſt proptereà inuaſo voluntaria, nec etiam indirectè. Nam illud eſt indirectè volitum ab aliquo, quod ab eo potuit, & debuit impediri, & tamen non eſt impeditum. Qui autem non tenetur impedire effectum aliquem etſi ab eo præuiſum, non dicitur indirectè velle illum, nec illi imputatur ad culpam; nam in moralibus, vt aliquid alicui imputetur ad culpam, non ſat eſt, quod operans potuerit illud vitare, ſed exigitur, vt etiam teneretur illud vitare, & præterea exigitur, vt operans non det operam rei illicitæ, adhibeatque omnem diligentiam, & circumſpectionem, quæ prudenter adhibenda eſt, ne effectus ille ſi malus eſt, ſequatur. Hæc autem omnia concurrunt in re præſenti, nam iniuſtè inuaſus dat operam rei licitæ, nam dat operam defenſioni ſui ipſius, non intendit occiſionem inuaſoris; & adhibet omnem diligentiam, ne mors inuaſoris ſequatur, nam defendit ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ; quæ conſiſtit, vt curet prius, ſi poteſt alijs modis mortem ſuam, & inuaſoris euitare, ſi autem non poſſit propriam mortem euitare niſi occidendo occiſorem, poteſt illum abſque peccato occidere, quia non tenetur abſtinere à moderata ſui defenſione, etiamſi

ad

ad iſtam ſequatur mors inuaſoris; quia, vt diximus, vnuſquiſque plus tenetur prouidere vitæ ſuæ, quam vitæ alienæ, & nullus interuenit conſenſus de morte inuaſoris. Hinc rectè Bannes, ait, quod in defenſione cum moderamine inculpatæ tutelæ, idem actus materialiter eſt defenſio, & eſt occiſio, & quod cauſa phyſica occiſionis paſſiuæ inuaſoris eſt ipſe defendens, qui tamen non eſt cauſa moralis occiſionis, niſi fortè ex vindicta, & odio occidat aggreſſorem, cum ſe defendit, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Debet igitur inuaſus ſuam rectificare intentionem hoc pacto. Primò debet intendere ſolum defenſionem ſui, & propriæ vitæ conſeruationem, ita vt licet præuideat, quod ſe defendendo inuadentem occidere poſſit, eam tamen occiſionem, nec intendat, nec velit, nec probet, ſed inuitus permittat, & toleret materialiter, ita vt in hoc moraliter non agat, ſed patiatur, & eam occiſionem nolit euenire, ſed quia conſeruatio vitæ propriæ aliter contingere non poteſt, non deſiſtit à defenſione ſui, ad quam ſequi poteſt illa occiſio, vndè occiſio illa eſt inuoluntaria ſimpliciter. Sciat inſuper, ſe non teneri ad deſiſtendum à moderata defenſione ſui, etiamſi præuideat ex ea ſequi poſſe mortem inuadentis, idque ob rationem ſæpiùs allatam, quod ipſe plus teneatur prouidere vitæ propriæ, quàm vitæ alienæ.

Obijcies, omne, quod licitum eſt facere, licitum eſt intendere, & velle; Vndè cum licitum ſit occidere inuaſorem defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, videtur licitum, & velle occiſionem illius, & intendere illam. Reſpondetur, quod cum dicitur licitum eſſe defendendo ſe occidere inuaſorem, ſenſus eſt, quod liceat actionem ſui defenſiuam elicere, quæ materialiter, ſit etiam occiſio inuaſoris, ſeù quod liceat actionem elicere, quæ pro effectu formaliter, ſeù ab eliciente intento habeat defenſionem ſui, & pro effectu materialiter, ſeù non intento habeat occiſionem, ſeù mortem inuadentis. Hinc actus voluntatis, quo licitè intenditur huiuſmodi actio, eſt actus, quo intenditur ſola defenſio, aliàs omnes effectus præter intentionem agentis contingentes deberent eſſe voliti ab agente; vndè ex eo, quod licitum ſit defendendo ſe inuaſorem modo prædicto, hoc eſt materialiter occidere, deduci non poteſt, niſi quod liceat velle inuaſorem occidere materialiter, id eſt præter intentionem, id autem non eſt intendere inuaſoris occiſionem, ſed potius eam non intendere.

Obijci etiam poſſet, quod licitum ſit optare malum temporale, aut mortem iniuſti perſecutoris, ac etiam ipſius inuadentis, vt ab iniuſta vexatione deſiſtat, ergò & licitū erit intendere mortē iniuſti inuaſoris, dum illum, defendendo ſe, occidit: Sed facilè reſpondetur licitum eſſe optare mortem iniuſti perſecutoris, aut inuaſoris, non tamen, vt inferendam ab ipſo optante, ſed à Deo, vel à Republica; hac autem ratione mors inuaſoris non intenditur ab inuaſo, vt medium ad conſeruationem ſui, quia non eligitur ab ipſo optante, ac proindè

dè nec intenditur, ſed optatur, vt medium eligendum à Deo, vel à Republica ad remouendum malum.

Quia verò vnus, & idem actus eſt, quo inuaſus defendit ſe ipſum ab inuadente, & quo inuadentem occidit, debet inuaſus, cum ſe ab inuadente defendit, eſſe ita diſpoſitus, vt intendat actum illum elicere, non quatenus eſſe poteſt occiſio inuadentis, ſed quatenus eſt defenſio ſui, ſeù debet actum illum elicere, quatenus habet pro effectu defenſionem ſui, non quatenus habet pro effectu occiſionem inuadentis, etſi occiſionem inuadentis ſequuturam præuideat.

Rurſus obijciunt Aduerſarij, quod in praxi difficilè appareat, quod aliquis vulnus lethale infligat alicui, & non intendat, nec velit illi tale vulnus infligere, ac proindè non velit eius occiſionem, & mortem.

Reſpondetur; quod ſicut inuaſus ſeipſum defendens, non debet, vti iam diximus, intendere, aut velle inuaſoris mortem, ita nec debet intentionem habere infligendi vulnus lethale, ſed ſolùm intendere debet propriam defenſionem, & hoc in praxi haud erit difficilè, ſi vti poteſt, ex duobus illis actionis defenſiuæ effectibus, qui ſunt ſui defenſio, & inuaſoris occiſio, eum tantum intendat, ſcilicet ſui defenſionem, quæ ſicut eſt diſtincta ob occiſione, & morte inuaſoris, & ſine hac dari poteſt, ita & ſine hac poteſt intendi: Hac ratione Colonus, qui terram fodit ad eam colendam, etiamſi ſciat, ſe in eo loco facilè inuenire poſſe theſaurum, commodè intendere poteſt, & velle ſolam terræ culturam, ita vt inuentio theſauri ſit effectus per accidens, & præter eius intentionem, etiamſi ab eo ſit probabiliter, vel etiã certò præuiſa, iuxtà ea, quæ ſuperiùs diximus. Idque in caſu defenſionis propriæ magis apparet, quo quis ſeipſum defendens, & ictus in ſui defenſionem in inuaſorem vibrans, non eſt certus, quod ictus vibratus, ſit lethalis, & quod inuaſi mors ex eo ſequutura ſit, de hoc enim certus eſſe nequit, niſi ſequuta inuaſoris morte; nam tempore antecedenti, cum ictum vibrat, & ſi re ipſa lethalis ſit, hoc tamen ictum vibranti certum eſſe nequit, ac proindè tempore illo mortem inuaſoris antecedenti, capax eſt inuaſus ad non habendam intentionem occidendi inuaſorem, & in ipſum lethales ictus vibrandi: nam incertitudo illa futuræ mortis inuaſoris, & lethalitatis ictus, iuuat ad hoc, quod inuaſus defendens ſe, poſſit non habere intentionem ipſum occidendi, & aliàs hæc intentio non eſt neceſſariò coniuncta cum intentione ſe defendendi; Quapropter cum eo tempore, quo ictus exit è manibus inuaſi erga inuaſorem, nondum ſit inflictum vulnus lethale, nec mors ſit illata, nec certus ſit inuaſus, quod per ictum illum inuaſoris mors ſit ponenda, benè poteſt habere intentionem ſolum ſe defendendi, non verò intentionem occidendi inuaſorem. Inflicto verò lethali vulnere, & iam ſequuta morte inuaſoris ita rectificare poteſt inuaſus ſuam mentem, vt non probet eius mortem, eiuſque occiſionem, ſed probet tantùm ſuam defenſionem, & de illa gaudeat, de morte verò inuaſi dolrat;

leat; & actionem per quam ſeipſum ab inuaſore defendit, probet, quæ defenſio ſui fuit, non qua fuit occiſio inuaſoris. Ea enim actio, & fuit ſui defenſio, & inuaſoris occiſio, & benè poteſt probari, vt defenſio, non verò, vt eſt occiſio. Nec inauditum eſt in Scholis, quod eadem actio ex diuerſo reſpectu poſſit eſſe bona, & mala, & approbari ſecundum vnam rationem, & ſecundum aliam rationem improbari: Sic eadem crucifixio Chriſti, vt erat à Iudæis ipſum crucifigentibus impia erat, & grauiſſimum peccatum, ac Deicidium, ac deteſtanda; ſed vt recipiebatur in Chriſto, & ab eo acceptabatur bona erat, & probanda. Et idem dicitur de actione, qua Martyres à Gentilibus cruciabantur; Sic igitur in caſu noſtro, poteſt optimè, qui inuaſorem defendendo ſe occidit, gaudere de actione illa qua inuaſorem occidit, non qua occiſio fuit, ſed qua fuit ſui defenſio.

Et ex his patet, quinam ſit ſenſus noſtræ aſſertionis, cum dicimus, quod liceat alicui defendendo ſe aliquem occidere, eſt enim ſenſus, quod liceat alicui eam actionem elicere, qua ſe defendat, etiamſi ad eam actionem ſequatur mors inuaſoris per accidens, & præter intentionem ſe defendentis, & quod mors illa ei non imputetur ad culpam; eo quod liceat ſe ab iniuſto inuaſore defendere, & quod ab ea defenſione cũ moderamine inculpatæ tutelæ præſtita, non tenetur abſtinere ad ſeruandam vitam alterius, vt dictum eſt.

Diximus autem, quod liceat alicui defendendo ſe aliquem occidere, hac enim loquẽdi formula vtitur Sanctus Thomas in titulo articuli, nam quæſtionem excitat ſub his verbis; *Vtrum alicui liceat aliquem occidere defendendo ſe*; & reſpondet affirmatiuè; nam quæſtio, & reſolutio ſub his verbis cõcepta, rem melius explicat, caſualitatẽ videlicet, & fortuitatẽ mortis inuaſoris, quàm ſi diceretur, quod liceat in defenſionem propriæ vitæ inuaſorem occidere; Cum enim dicitur, quod liceat alicui defendendo ſe aliquem occidere, per hæc ſignificatur, quod occiſio illa accidat, dum aliquis ſe defendit, ſeù defendendo ſe, ac proindè ſit fortuita: ſi verò quis dicat, quod liceat in ſui defenſionem aliquem occidere, videtur ſenſus eſſe, quod liceat eligere, & ordinare occiſionem inuaſoris, vti medium in ſui defenſionem, & conſeruationem, id enim ſignificare videtur propoſitio illa *in*, vel *ad*; quod fieri non poſſe ſuprà oſtendimus.

Nec obſtat, quod S. Thomas in argumento, ſed contra articuli ſexti, *quæſtionis 64. cit.* ex allata Exodi authoritate, concludat, quod occidere aliquem pro defenſione vitæ licitum ſit, nam Sanctus Doctor non ſemper in argumento, ſed contra quæſtionem ſoluit, nec ijs formulis vtitur, quibus quæſtio ſoluenda eſt. Id enim præſtat in corpore articuli. At aliquando in argumento, ſed contra propoſuit argumentum contrarium alijs argumentis, quæ primò propoſuit, deindè quæſtionem in corpore ſoluit. Quarè cum in prioribus argumentis authoritatem S. Auguſtini propoſuiſſet, in qua S. Auguſtinus aſſeruit, quod non liceat pro conſeruanda vita aggreſ-

greſſorem occidere, propoſuit in argumento ſed contra Exodi authoritatem, in qua haberi videtur, quod liceat pro conſeruanda vita aggreſſorem occidere: ſed quæſtionem poſtea ſoluit in corpore, & in ſolutionibus argumentorum. Ad authoritates allatas ex S. Auguſtino, reſpondet S. Auguſtinum in eis velle, non eſſe licitum aggreſſorem ex intentione occidere, ſeù aggreſſoris occiſionem intendere, & hanc intentionem deſignari per illam præpoſitionem *Pro* in verbis Auguſtini, cum ait, non licere pro his, quæ contemnenda ſunt aggreſſorem occidere, quod ſcilicet non liceat intendere aggreſſoris occiſionem. At verò in argumento, ſed contra, ex illa authoritate Exodi arguit, licitum eſſe defenſione vitæ aggreſſorem occidere, non vt ſententiam ſuam Sanctus Doctor ijs verbis exprimat, quibus explicanda erat, & poſtmodum explicat, ſed vtitur verbis contrarijs verbis contentis in primis argumentis, vt quæſtionem hinc indè argumentis vallatam proponat, eadem poſteà in corpore, & in ſolutionibus argumentorum, vt par eſt, ſoluturus.

Itaque iuxta S. Thomam cum dicitur, licitum eſſe pro defenſione, aut conſeruatione propriæ vitæ aggreſſorem occidere, ſenſus eſt, quod liceat ordinare, ſeù referre, ac eligere occiſionem aggreſſoris, vt medium ordinatum ad conſeruationem, vel defenſionem propriæ vitæ, quod eſt occiſionem illam intendere, & hoc eſſe licitum negat S. Thomas idque etiam S. Auguſtinum negare dicit. Quarè in præſenti quæſtione, non eſt ea formula vſurpanda, qua dicatur, licitum eſſe pro conſeruatione, aut pro defenſione propriæ vitæ aggreſſorem occidere, ſed ea formula vſurpanda eſt, qua dicatur, quod licitum ſit alicui, ſe defendendo aggreſſorem occidere.

Ex intentione licitum eſt ſtando in Iure Diuino ſolùm, & naturali occidere hominem noxium Reipublicæ, quia homo eſt membrum Communitatis. Et ideò ſicut licitum eſt abſcindere membrum corruptum, & nocens toti corpori, ita eſt licitum iure Diuino, & naturali hominem pernicioſum, & boni communis corruptorē interficere, & eſt notū lumine naturæ, quod maius bonum debet præferri minori bono, & priuato bono publicum bonum.

Tale autē homicidiū de iure naturali, & Diuino eſt ſolùm cōmiſsū Reipublicæ, aut publicis Magiſtratibus, & Principibus, qui habent curam Reipublicæ, vt patet ex Paulo ad Rom. 13. *Non ſine cauſa gladium portat, vindex eſt enim.*

At ex intentione occidere hominem ſemper eſt prohibitum homini priuato, nunquam enim id licet. Non enim eſt commiſſa cura publici boni defendendi, niſi publicis perſonis, ergo nulli priuato ſua authoritate licet ex intentione occidere, & multò minus licet homini priuato ex intentione occidere intuitu boni priuati, vt ad defendendam vitam alicuius, vel etiam ſui ipſius.

Omne aliud homicidium ex intentione eſt prohibitum in præcepto, *Non occides*, ſeù publicæ, ſeù priuatæ perſonæ, prærerquam in caſu præmiſſo,

miſſo, quando vita alicuius propter peccatum eius eſt pernicioſa Reipublicæ. Nam de homicidio non ex intentione, quale contingit, cum quis defendit ſeipſum, vel Rempublicam, eſt alia quæſtio, & ex motiuo naturali cognoſci poteſt.

Hinc nemo poteſt interficere ſeipſum, cum enim nemo ſit Iudex ſui ipſius, neque habeat authoritatem ſupra ſe ipſum, nulli licebit ſe interficere, etiamſi dignus non eſſet, & pernicioſus Reipublicæ.

Rurſus animaduertendum, quod defenſio ſui nedum conſiſtit in repellendo ictus Aduerſarij inuadentis, ſed etiam in infligendo oppoſitos ictus inuadenti, ipſumque contrarijs ictibus impetendo: ſi enim inuadens deſiſtere nolit ab impetendo, licitum eſt inuaſo ipſum ictibus directè impetere, directè, inquam, non quia directè intendere poſſit occiſionem inuadentis, iam enim diximus, quod occiſio inuadentis nec directè, nec indirectè poteſt licitè intendi; ſed dicimus, quod inuaſus poteſt licitè ictibus directè impetere inuadentem, hoc eſt, quod licitè poſſit inuadentem petere ictibus directè phyſicè in corpus ipſius tendentibus, ſeù quod licitè poſſit elicere actum externum, quo ſimul, & ſemel ſe defendat, & inuadentem directè impetat; Neque enim dum inuaſus iam videt veriſimile periculum vitæ ſibi imminere expectare tenetur, quod priùs ſibi ab Aggreſſore vulnus infligatur, ſed tuta conſcientia impetere poteſt Aggreſſorem deſiſtere nolentem; ita tamen, vt in hoc ipſo actu, quo Aggreſſorem directè impetit, non intendat ipſum impetere, ſed ſolùm ſe defendere; idque inſuper faciat cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Vndè non eſt quæſtio de occiſione indirecta, qualis eſt, cum quis defendendo ſe ipſum, & inuadentis ictus reijciendo, inuadens ex ſeipſo in enſem inuaſi irruens, occidatur; tunc enim inuaſus inuadentem directè non occideret, ſed inuaſus ſeipſum occideret, temerè in enſem inuaſi irruens. In hac enim occiſione nulla eſt difficultas, quod nulla interueniat culpa inuaſi, & de hac occiſione nulla vnquam mota eſt quæſtio inter Doctores.

Difficultas igitur eſt de occiſione directa, An videlicet alicui liceat occidere directè inuaſorem defendendo propriam vitam, hoc eſt, an liceat per actum directè tendentem ad occiſionem aliquem occidere, vibrando directè enſem, eiuſque ictum in inuaſorem, defendendo propriam vitam.

De hac igitur directa occiſione loquendo, dicimus licitum eſſe directè occidere inuaſorem defendendo propriam vitam, non quidem intendendo inuaſoris occiſionem, ſed ſolùm ſui defenſionem, itaut etiamſi inuaſus impetat directè inuaſorem per ictum ad eius necem tendentem, & præuideat inuaſorem per talem ictum forte occidendum, non intendat tamen illius occiſionem, ſed ſui defenſionem.

***

In quo conſiſtat moderamen inculpatæ tutelæ.

MOderamen inculpatæ tutelæ in eo conſiſtit, quod quis tantùm faciat, quantùm præcisè eſt neceſſarium in defenſione, & conſeruatione propriæ vitæ, & non plus; ita vt in vi, ſeù violentia non ſit exceſſus, & non plus faciat cum ſe defendit, quam ſit neceſſarium ad euitãdum malum, quod ſibi intentatur. Vnde S. Thomas ait, quòd ſi aliquis ad defendendam propriam vitam, vtatur maiori violentia, quàm oportet, erit illicitum; quia tunc non eſſet proprie vim vi repellere, ſed potius vim inferre, quod non licet. Vbi notandum, quod S. Thomas non dicit, eſſe illicitum maiore defenſione vti, quàm oporteat ad ſe defendendum, ſed ait, eſſe illicitum vti maiori violentia, quàm oporteat: ſi quis enim ſe defendat non impetendo inuaſorem, (ex quo poſſit eſſe periculum vulnerandi, vel occidendi ipſum) ſed obijciendo aliquod obſtaculum parietis, oſtij, vel armorum, aut rei cuiuſuis alterius, quo hoſtiles ictus, vel arceat, vel auertat, parum refert ſit ne maior defenſio, quàm oporteat, dummodò non adhibeatur maior vis, quàm ſit neceſſaria; ſupponit enim licitum eſſe adhibere vim, quia vim vi repellere licet: ſed ait vim, ſeù violentiam non debere eſſe maiorem, quàm oporteat ad defenſionem propriæ vitæ, itaut ſi ad defenſionem propriæ vitæ, ſit neceſſarium impedire ictum aggreſſoris etiam per inflictionem oppoſitorum ictuum in ipſum etiam læthalium, ſi hoc fieri poteſt infligendo illi vnum vulnus, non infligat illi plura vulnera, vel ſi id fieri poteſt per vulnus non adeò graue, non fiat per vulnus nimis graue.

Præterea ſecundum aliquos requiritur aliqua paritas in armis, vel ſaltem, quod non ſit inter arma inuadentis, & inuaſi diſparitas notabilis, qualis eſſet ſi inuadens percuteret pugno, & inuaſus ſe defenderet pugione, vel ſi inuadens aggrederetur gladio, aut pugione, & inuaſus defenderet ſe archibuſio. Vlterius requiritur, quod defenſio fiat in actuali conflictu, & aggreſſione, & quod occiſio ſit ad defenſionem.

At Cardinalis de Lugo *de iuſtitia, & iure tom. 1. diſput. 10. ſect. 6. nu. 151.* cum Molina ait, regulam ſeruandam tàm in externo, quàm in foro interno, ſumendam non eſſe ex potentioribus, vel non potentioribus armis inuaſi, & inuaſoris, vel ex vſu armorum ad occidendum inuaſorem, qui ſine armis aggreditur; ſed ſumendam eſſe ex neceſſitate; poteſt enim aliquis armis indigere, vt ſe defendat ab aliquo potentiori inermi, & quis dicat, puerum, vel fœminam non poſſe ferro vti ad defendendum ſe à viro, qui eos manibus velit ſuffocare.

Quinam iniuſti Aggreſſoris nomine intelligendus ſit.

EXplicandum eſt præterea quinam veniant nomine iniuſti ag-

greſſoris, cum dicitur licitum eſſe iniuſtum aggreſſorem, ſe defendendo, occidere. Et dicendum eſt iniuſti aggreſſoris nomine venire quamcumque perſonam iniuſtè aggredientem, ſiuè priuatam, ſiuè publicam, ſiuè ſubditum, ſiue Superiorem, ſeù Principem, ſiuè filium, ſiuè parentem, ſiue Clericum, ſeù Religioſum, ſiue Sæcularem, ſiue cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtentem, qui priuatè, aut ex odio priuato, & non publica authoritate, ac proindè iniuſtè inuadat, niſi fortè cum ageretur de occiſione Superioris, ſeù Principis, ex cuius occiſione magnum aliquod damnum ſequuturum eſſet in Republica; nam ſi damnum illud certum non eſſet, etiamſi timeretur damnum, non videtur quod propter damnum non certum, ſed dubium, aut probabile Reipublicæ, debeat innocens iniuſtam mortem ſubire.

De Aggreſſore iniuſto materialiter.

SVnt in his difficultates aliquæ breuiter expediendæ, & primò, difficultas occurrit de inuadente iniuſtè materialiter, id eſt, de illo, qui abſque ſufficienti notitia, vel libertate alium inuadit, qualis eſſet amens, vel ebrius, aut puer, aut qui inuincibili ignorantia laborans, putat ſe teneri ad alium occidendum. Ex eo autem dicitur inuaſor iniuſtus materialiter, quia licet ipſe non peccet inuadendo, infert tamen realiter damnum indebitum, vel ſaltem modo indebito, ac proinde ſi non inferat iniuſtum formale, infert iniuſtum materiale. De hoc igitur eſt difficultas, an talem inuaſorem poſſit inuaſus defendendo ſe occidere. Et affirmatiue reſpondendum eſt, nam quiſque ius habet conſeruandi propriam vitam contra quemcumque iniuſtum inuaſorem, ac proinde etiamſi inuaſor non peccet inuadendo, quia tamen iniuſtè inuadit, inuaſus ius habet ſeipſum contra ipſum defendendi.

Cardinalis de Lugo excipit caſum quando conſtat ebrium, vel phreneticum eſſe in ſtatu peccati mortalis, à quo poſt phreneſim, vel ebrietatem poterit reſurgere; è contrà verò moraliter credas te eſſe in ſtatu gratiæ; quia tunc verè non poteſt proximus ſibi conſulere, & ſubuenire in illa extrema neceſſitate, & periculo certo æternæ damnationis, niſi tu vitam propriam exponas pro eius remedio. Hic tamen caſus, inquit, de Lugo, rariſſimus erit, quod conſtet illum eſſe in ſtatu peccati, ob quod inæternum damnandus ſit.

Sed adhuc in huiuſmodi euentis licitè poſſe inuaſum contra tales inuaſores, propriam vitam, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vſque ad necem inuadentis defendere, ſentit Franciſcus Amicus *tom. 5. diſp. 36. ſect. 2. num.* 89. & rationem reddit, quia non eſt mihi certum, an talis inuaſor ſit aliàs vitam æternam conſecuturus, etiamſi tunc non occidatur: nec eſt mihi certum an ego ſim in gratia Dei; cum his autem dubijs certam mortem oppetere non teneor. Adde ebrium inuaſorem fuiſſe in culpa, qui ſe in huiuſmodi anguſtias coniecit. Vnde ſibi imputare debet.

Nec de amente ad tempus certum eſt, illum ad ſeipſum reuerſurum ante mortem, etiamſi nunc illam euadat. Cœterum ſi mihi certum foret moraliter, & me moriturum in gratia, & inuaſorem aliquando vitam æternam conſecuturum, omninò lege charitatis obligarer, permittere me occidi potius, quam occidere; non tamen peccarem contra Iuſtitiam ſecus faciendo, nec tenerer ad damna reſarcienda. Hæc Amicus.

De inuaſo, qui alicui inuadendi occaſionem dedit.

SEcunda difficultas occurrit de inuadente alium, qui ſua culpa inuaditur, ſeù qui cauſam occaſionemque dedit, vt inuaderetur, an videlicet talem inuadens dicendus ſit iniuſtus inuaſor, ſeù aggreſſor; ita vt is, qui ſua culpa inuaditur, poſſit ſe defendere etiam cum occiſione inuaſoris: & affirmatiuè reſpondetur. Ratio eſt, quia is, qui ſua culpa inuaditur poteſt ſe tueri etiam occidendo inuaſorem, quando non eſt aliud remedium euadendi; Quamuis autem ille, qui ſua culpa inuaditur peccet faciendo id, quod agit, iniuſtè tamen inuaditur, cum inuaſor non habeat ius ipſum occidendi, ergò inuaſus poteſt ſe tueri etiam occidendo inuaſorem. Ita Bannes 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. Syluius *ibidem quæſito* 2. Petrus Nauarra *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 362. & alij communiter contra S. Antoninum *in* 3. *par. tit.* 5. *&* 8. §. 1. & alios aſſerentes, quod licitum ſit ſe defendendo occidere inuaſorem, præterquam quando is, qui inuaditur dedit culpabilem cauſam aggreſſori, qualem dat adulter Marito in adulterio deprehenſus, & ille, qui alterum laceſſiuit conuicijs, vt ſe aggrederetur. Affertur pro eadem ſententia etiam Martinus Nauarrus *in ſuo Manuali c.* 15. *num.* 7. Sed Syluius *in ſecundam ſecundæ q.* 64. *art.* 7. *quæſito* 2. obſeruat, quod Nauarrus ibi dicit, eiuſmodi adulterum, eſſe homicidam quoad irregularitatem. Cœterùm, ſi quis ita per ſuam culpam daret cauſam aggreſſionis, vt iuſtè poſſet inuadi, peccaret ſe defendendo, & occidendo, quia non licet occidere iuſtum aggreſſorem. Verùm nunquam dicitur iuſtus aggreſſor, qui nomine priuato aggreditur; & adulter ex iniuria, quam facit Marito per adulterium non amittit ius naturale de defendenda propria vita, neque Maritus ex iniuria illa ſibi illata acquirit ius inuaſorem interficiendi.

Et confirmatur, nam ius conſeruandi propriam vitam non fundatur in eo, quod quis non ſua culpa inuadatur, ſed in eo, quod quiſque ius habet conſeruandi ſuam vitam contra quemcumque, qui non inuadit publica authoritate, ergò ſiue ipſe inuaſus dederit, vel non dederit cauſam, dum priuata authoritate inuaditur, ſemper ius habet à natura ſe contra talem inuaſorem defendendi. Obſeruat tamen Bannes, quod ſi adulter, vel laceſſitor præuidit pericula mortis futuræ ex actione propria, peccat certè peccato homicidij in corde ſuo, quando tale periculum præuidens, nihilominùs ſtatuit ſe in illo conſtituere. At verò poſteà in ipſo periculo poſitus non amittit ius

ſe

ſe defendendi, immò tunc illi eſt maior ratio ſe defendendi; donec doleat de peccato, quod non eſt ita facilè in illo conflictu, & perturbatione animi.

Idem ius conſeruandi vitam habent Malefactores contra eos, qui priuata authoritate ipſos inuadunt, qui proinde aggreſſores iniuſti dicendi ſunt; vnde poteſt publicus malefactor defendendo ſuam vitam aggreſſorem occidere ante latam ſententiam, & publicam poteſtatem occidendi factam; nam iure vitam ſuam poſſidet, proindè iure poteſt illam contra quemcumque iniuſtum aggreſſorem tueri.

Quænam fuerit S. Auguſtini de Inuaſoris occiſione ſententia.

PLures propter aliqua loca, quæ mox adducemus putarunt Sanctum Auguſtinum negaſſe eſſe licitũ occidere inuaſorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, quorum nonnulli S. Auguſtini authoritate moti eamdem ſententiam ſubſcripſere, vel ſaltem probabilem exiſtimarunt. Hi ſunt Auguſtinus Triumphus Auguſtinianus *in lib. de poteſtate Eccleſiaſtica quæſt.* 52. *art.* 3. Toſtatus *in c.* 5. *Matth.* 9. 109. Vaſquez *cap.* 2. *de reſtit. dub.* 6. *num.* 18. Auguſtinum eam ſententiam ſequutum fuiſſe affirmat, quam, inquit, quidam ex Canoniſtis amplectuntur, Molina *diſput.* 3. *num.* 3. ait, *vehemens ſuſpicio eſt Auguſtinum eius fuiſſe ſententiæ*. Idem pro errore Sancto Auguſtino tribuit Adamus *cap.* 3. *pag.* 585.

Loca verò S. Auguſtini, quæ ſententiã hanc videntur exprimere, ſunt ſequentia: Primus locus eſt *lib.* 1. *de libero arbitrio cap.* 5. vbi diſputat, *poſſit ne citra culpam interfici hoſtis irruens, vel inſidiator ſicarius, ſiue pro vita, ſiue pro libertate, ſiue pro pudicitia*, & poſtquam dixit, lege Romana graſſatores poſſe impunè occidi, dum vitam alteri ſtricto mucrone auferre tentant, ait: *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, ſed quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt, non inuenio*.

Et rurſus in eodem *cap.* ſic ait. *Legem quidem ſatis video eſſe munitam contra huiuſcemodi accuſationem, quæ in eo populo, quem regit, minoribus malefactis, ne maiora committerentur, dedit licentiam; multò enim mitius eſt, eum, qui alienæ vitæ inſidiatur, quàm eum, qui ſuam tuetur, occidi*. Ibi autem quærit: *Vtrum homines, quibus ciuiles leges inuaſoris occiſionem permittunt, aliqua vehementiore, ac ſecretiſsima lege teneantur tales non occidere*.

Rurſus eodem *cap.* hæc ait S. Doctor. *Quomodo apud Diuinam prouidentiam à peccato liberi ſunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet humana cæde polluti ſunt?* Eas autem res dicit eſſe contemnendas, quas homines inuiti amittere poſſunt. Horum autem præcipuum eſt vita corporalis, ergo iuxta Auguſtinum pro conſeruanda vita corporali, nulli licitum eſt, hominem occidere.

Præterea *epiſt.* 154. *ad Publicolam*, ſic ait. *De occidendis hominibus, ab eis quiſquam occidatur, non mihi placet conſilium, niſi fortè ſit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro ſe*

hoc

hoc faciat, ſed pro alijs accepta legitima poteſtate, ſi eius congruat perſonæ.

Dicendum tamen eſt S. Auguſtinum communem, & veram ſententiam perpetuò docuiſſe, quod ſcilicèt inuaſo liceat inuaſorem ſe defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, & ab hac ſententia nunquam receſſiſſe. Ita clarè oſtendit Henricus Norius Auguſtinianus *in vindicijs Auguſtinianis* §. 9. ex his, quæ Sanctus Auguſtinus habet *tom.4 quæſt.84. in Exodum*. Ibi enim S.Doctor docet, quod in dubio, An fur me velit occidere poſſum iuxta legem Diuinam citra peccatum homicidij illum occidere, potiori iure eumdem potero interficere, ſi certam mihi mortem ſtricto mucrone intentet:nec enim fas eſt dicere, Deum permiſiſse peccatum, & veluti lata lege non improbaſſe; etenim licet lex illa lata eſſet ad firmandam ciuilem Rempublicam Hebræorum, patet tamen Diuinam voluntatem permiſiſſe homicidium, vti permiſere mundani Legiſlatores, & ſicut occidens inuaſorem non agit contra voluntatem Legiſlatoris ciuilis, ita neque contra Legiſlatoris Dei voluntatem agere dicendus eſt. Hæc Norius.

Ibi autem ad illa Exodi verba. *Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis, quod ſi orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur.* Ibi enim S. Auguſtinus diſparitatem aſſignat, cur nocturnus fur citra homicidium interfici poſſit, non verò diurnus, ita inquiens. *Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium ſi fur nocturnus occiditur, ſi autem diurnus pertinere &c. poterat quippe diſcerni, quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis ſæcularibus*(ff.ad l. Aquil.l.4.) *Quibus tamen iſta eſt antiquior, inuenitur, nempe occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem ſi ſe cum telo defenderit, iam enim plus eſt quàm fur.* Hæc Sanctus Auguſtinus.

Ex quibus conſtat illum in ea eſſe ſententia, vt cenſeat licitum eſſe alicui defendendo propriam vitam inuaſorem iniuſtum occidere, ſiquidem & furem nocturnum occidere licitum eſſe dicit in dubio, an fur me velit occidere.

Ad loca verò eiuſdem Auguſtini à principio allata, in quibus videtur oppoſitum ſentire, variæ ab Authoribus adhibentur expoſitiones. Nam aliqui volunt S. Auguſtinum ſolùm velle non eſſe licitum præuenire volentem occidere ipſum occidendo. Quæ intelligentia videtur congruere authoritati allatæ ex epiſtola ad Publicolam: nam Publicola quæſiuit ab Auguſt.Primò; *Vtrum quis iuſtè poſſit interficere malos, ne ipſi alios occiderent?* Et reſpondet, quod non, niſi ſit miles, vel poteſtas, qui faciat non pro ſe, ſed pro vtilitate aliorum, &c. occidere autem malos, ne ipſi alios occidant, eſt malos præuenire occidẽdo.

Alij volunt quod S. Auguſtinus loquatur de eo, qui abſque moderamine inculpatæ tutelę inuaſorem occidit.

Alij dicunt Auguſtinum loqui de illis, qui ex liuore, odio, aut vindicta inuadentem occidunt.

Norius verò loco citato ait eam Aggreſſoris occiſionem ab Auguſtino improbari, quæ à libidine dominante deriuetur, eo quod cum aggreſſus aggreſſorem occidit, non ratio, ſed cupiditas, & libido illi dominatur.

Et quod in libro illo primo de libero arbitrio loquutus fuerit vti Philoſophus ſupra omnia corporea animum hominis ad veri ſui boni cognitionem erigens.

Eo etiam pacto Norius Auguſtini ſententiam explicat, vt quando aggreſſoris occiſionem peccatum appellauit, intellexerit moralem defectum actionis, in quem incidit, qui relicto actu longè perfectiori, imperfectiorem eligit, vnde ex inſipientia operari dicitur; at qui ſe permittit occidi, nec curat, cum poſſit nece hoſtis vitam redimere, excellentiorem quouis infortunio animum ſe habere monſtrat, haud in bonis reputans vitam, quam amittere paratus eſt, & non habere paratior, &c.

Illud etiam addit idem Norius, quod S. Auguſtinus ex Sacris litteris, quas cum ſcriberet librum primum de libero arbitrio parum ſe calluiſſe teſtatur, poſtea peritiorem in eiſdem effectum, oppoſitam ſententiam ex eiſdem Sacris litteris tradidiſſe.

At S. Thomas 2.2. *queſt.64 art.6.* vbi firmauit licere alicui occidere aliquem ſe defendendo, cum duo illa loca S. Auguſtini ſibi obieciſſet ſic reſpondet. *Ad primum dicendum, quod auctoritas S. Auguſtini* (primo loco allata) *intelligenda eſt in eo caſu, quo quis intendit occidere hominem, vt ſeipſum à morte liberet; in quo etiam caſu intelligitur authoritas inducta ex libro de libero arbitrio; vnde ſignanter dicitur. Pro his rebus, in quo deſignatur intentio, & per hoc patet reſponſio ad ſecundum.*

Verùm hæc expoſitio non arridet Luiſio Turriano Societatis IESV, nec Henrico de Noris Auguſtiniano, qui dicunt expoſitionem D. Thomæ in Auguſtinum non quadrare. Afferemus, & ſoluemus vtriuſque argumenta. Turrianus igitur *tom. 1 in 2.2 D. Thomæ diſp. 27. dub. 1.* Obijcit, quod Auguſtinus planè dicat, leges quæ contendunt facultatem occidendi, ſolùm permittere minora mala ad vitanda maiora. Secundò, quod Auguſtinus dicat ſe non videre, quomodo illi inculpati ſunt (ſcilicet occiſores inuadentium) licét leges ſint inculpatæ. Quod abſolutè verum non eſſet, inquit Turrianus, ſi Auguſtinus putaret, poſſe priuatum hominem ſe defendere per occiſionem inuadentis ſine peccato, etiamſi ſolùm intendat defendens propriæ vitę conſeruationem. Tertiò, quod Auguſtinus dicat, ſe non inuenire, quomodo hos homicidas poſſit defendere. Et tamen ſi de intentione loqueretur Auguſtinus facilè poſſet dicere, illos excuſari, quando ſolùm intendant conſeruationem propriæ vitæ. Denique epiſtola illa 154. ſolùm excipit eos, qui authoritate publica occidunt alios, vt patet ex illis verbis. *Niſi forte miles, aut publica functione teneatur.* Hæc Turrianus.

Verùm hęc non obſtare expoſitioni allatæ à D.Thom. euidés eſt. Nam quod Auguſtin. loquatur de illis, qui occidũt inuaſores ex intentione occidendi,

dendi, vt propriam vitam conſeruent, ideſt de illis, qui pro conſeruanda vita propria inuaſores occidunt, ac proindè loquatur de illis, qui volunt occiſionem, & mortem inuaſoris, vt propriam vitam conſeruent, patet ex verbis ipſius Auguſtini, vt optimè obſeruat S. Thomas; nam Auguſtinus ait. *Quomodo apud Diuinam prouidentiam à peccato liberi ſunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet humana cæde polluti ſunt.* Inter res verò contemnendas recenſet, & vitam; ſignanter enim dicitur (inquit S. Thomas.) *Pro his rebus*, nam in hoc deſignatur intentio. Vnde ſenſus D. Auguſtini eſt hic, quod apud Diuinam prouidentiam à peccato liberi non ſint illi, qui pro vita conſeruanda homines occidunt, ſeu qui occidunt homines, vt vitam conſeruent, ac proindè volunt, & intendunt occiſionem hominum, vt propriam vitam conſeruent. Id enim crimen eſt, nam, vt dictum eſt ſupra, non licet homini priuato intendere, aut aſſumere vti medium ad conſeruandam vitam occiſionem, ſeu mortem alterius. Eſt igitur euidens, quod Auguſtinus eos apud Diuinam prouidentiam non excuſari dicat, qui occidunt alios, vt ſe conſeruent; & eſt euidens id non licere. Nam aliquem occidere alios, vt ſe conſeruet, eſt velle occiſionem alterius, vt conſeruet ſeipſum, & ideò non licet. Hoc poſito nil obſtant, quæ opponit Turrianus; nam Auguſtinus bene dicit legem permittentem occiſionem inuaſoris ad conſeruandam vitam inuaſi dare licentiam minoribus malefactis, ne maiora committantur. Quia videlicet lex permittit vnicuique defendere ſeipſum; & permittit etiam, vt qui inuaditur, occidat inuaſorem, vt ſeipſum conſeruet, ac proinde permittit vti minus malum, hoc, quod eſt inuaſum velle, & intendere occidere inuaſorem. Quia minus malum eſt, inquit, Auguſtinus, eum, qui alienæ vitæ inſidiatur, quam eum, qui ſuam tuetur, occidi, etiam cum intentione occidendi; vnde ex hac parte, quatenus videlicet lex permittit minus malum ad euitandum maius malum, dicit Auguſtinus, ſe legem non reprehendere. Sed tamen addit, ſe non inuenire quomodo defendat illos, qui interficiunt, ideſt, qui interficiunt eo pacto, quo iam Auguſtinus ſe declarat, vt ſcilicet pro conſeruanda vita occidant, ideſt, velint, & intendant inuaſoris occiſionem.

Et hanc eſſe mentem Auguſtini, patet etiam ex his, quæ habet in epiſtola illa 154. ad Publicolam. Ibi enim ait. *De occidendis hominibus, ne ab eis quiſquam occidatur, non mihi placet conſilium, niſi fortè ſit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro ſe hoc faciat, ſed pro alijs, accepta legitima poteſtate, ſi eius congruat perſonæ.* In his enim verbis primò notandum eſt, quod ait; *De occidendis hominibus, ne ab eis quiſquam occidatur, non mihi placet conſilium.* Hoc enim idem eſt, ac dicere, non mihi placet conſilium, quod quis alium occidat, vt conſeruet propriam vitam. Quod rurſus idem eſt, ac dicere, non mihi placet conſilium, quod quis velit, & intendat alium occidere, & de facto occidat, vt propriam vitam conſeruet. Idem non licet ob rationes ſuperius allatas.

Secundò notanda ſunt alia illa verba. *Niſi fortè ſit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro ſe hoc faciat*; vt enim rectè obſeruat S. Thomas *art.* illo 7. ei, qui habet publicam authoritatem licitum eſt intédere occiſionem alterius, vt ſeipſum defendat, nam qui habet publicam authoritatem intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet, inquit S. Thomas, in milite pugnante contra hoſtes, & in Miniſtro Iudicis pugnante contra latrones. Illud ergo ait S. Auguſtinus quoad occiſionem alterius non licere homini priuato, quod licere aut militi, aut perſonæ, quæ publica fũctione teneatur. Quod autem licet militi, aut perſonæ publica functione gaudenti, eſt, quod intendat occidere hominem in ſui defenſionem, nam hoc refert ad publicum bonum, ac proinde cum perſona priuata, vt talis non poſſit occiſionem alterius referre ad publicũ bonum, hoc ipſum, quod eſt intendere occiſionem alterius, non eſt ei licitum. Quod ergo negat, & improbat Auguſtinus in perſona priuata eſt, quod velit, & intendat occiſionem alterius, vt propriam vitam conſeruet. Id autem non contingit in ſententia vera, & communi, qua diximus licitum eſſe defendendo ſe inuaſorem occidere, nam iuxta veram ſententiam, non licet intendere, nec vti medium, occiſionem alterius ad conſeruandam propriam vitam, ſed ſolùm licet intendere defenſionem ſui, etiamſi ad hanc ſequatur præter intentionem defendentis, occiſio inuaſoris, & hæc ſequutura præuideatur.

Quod autem ciuilibus legibus permitti dicit Auguſtinus, ſcilicet, vt aggrediens ab aggreſſo occidatur etiamſi forte animo, & intentione occidendi occidatur, quia interiora cordis leges ciuiles non attendunt, hoc ipſum bene dicit Augnſtinus ſecretiſſima Dei lege prohiberi, nam Dei lex prohibet, quod quis aliquem occidat animo & intentione occidendi.

Et hic eſt verus proceſſus diſcurſus Auguſtini; qui autem aliter illum diſcurrere putant, præpoſterè Augu. ſtinum intelligunt.

Ex his patet quantùm à veritate diſtent Authores illi qui aſſerunt, licitum eſſe velle, atque intendere occiſionem inuaſoris, vt medium ordinatum ad defenſionẽ inuaſi; id enim non licet, vt conſtat ex rationibus ſuperius allatis, & improbatur manifeſte à S. Auguſtino.

At verò Henricus Noris §. citato, vbi retulit expoſitionem Angelici Doctoris, ſubdit illius ſententiam vix poſſe in praxim reduci, eo quod inſurgente ira, animoque in ſui defenſionem ſubito erecto, illa intentio haberi non poſſit. Mox addit explicationem Sancti Thomæ non eſſe ad mentem Auguſtini, nam Auguſtinus occiſionem aggreſſoris inde eſſe malum probat, quia oritur ex cupiditate ſeruandi vitam, quæ non debet amari, ſed contemni. *Quomodo enim*, inquit, *apud eam* (Diuinam prouidentiam) *ſunt iſti à peccato liberi, qui pro ijs rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt*? Et antea. *Non enim lex eos cogit occidere, ſed relinquit in poteſtate; liberum eis itaque eſt nemi-*

nem necare, pro ijs rebus, quas inuiti poſſunt omittere, & ob hoc amari non debent. At S. Thomas vult (inquit Noris) ex inſtinctu naturæ amare vnumquemq; ſuam vitam, quantùm poteſt, ex quo amore ſequatur defenſio ad illam conſeruandam, etiam cum morte inſidiantis. Inter illa verò, quæ contemni debent, ibidem vitam reponit Auguſtinus, eo vtens dilemmate, de vita animæ, dum corpus interimitur. *Si auferri poteſt contemnenda eſt, ſi non poteſt nihil metuendum*. Et Angelicus Doctor, illam intentionem ex ira contra hoſtem infici malitia opinatur; at Auguſtinus nimia concupiſcentia, & immoderato amore erga ſe occiſionem illam vitiari exiſtimauit. Hæc Norius.

Verùm quod Angelici Doctoris allata poſitio, pugnet cum poſitione Auguſtini, vt adeo confidentèr pronunciat Noriſius, non video. Nec enim iſta duo inter ſe pugnant, ſcilicèt. Quod occidens inimicum pro conſeruatione propriæ vitæ peccet, quia hoc facit ex libidine, & immoderato amore vitæ, quam deberet contemnere, vt vult Auguſtinus; & quod occidens aggreſſorem pro conſeruatione propriæ vitæ peccet, ſi occidat ex intentione occidendi, quia videlicet intendat occidere, & non ita actionem occiſiuam eliciat, vt intendat ſolùm ſui defenſionem, etſi per accidens, & præter intentionem ſequatur aggreſſoris occiſio, etiam præuiſa. Hæc duo, inquam, inter ſe non pugnant, immo rectè cohærent. Nam quod aggreſſus ex immoderato amore propriæ vitæ moueatur ad occidendum aggreſſorem, non excludit, immo compatitur hoc, quod ſcilicet idem aggreſſus ex intentione occidendi, velit aggreſſorem occidere. Quis enim dicat, hæc duo inter ſe pugnare? Immo duo hæc nedum ſunt compatibilia in eodem homine, ſed ſunt omninò, ac neceſſariò connexa: nam qui ex intentione occidendi aggreſſorem ipſum occidit ad conſeruandã propriam vitã, ex immoderato amore propriæ vitæ id facit, nam qui non fertur immoderato amore erga propriam vitam, cum inuaditur ab aliquo, & ſe ab eo defendit, contentus eſt defenſione ſui, & defenſionem ſui tantùm intendit, non verò occiſionem inuadentis. Qui verò immoderato amore fertur erga propriam vitam eò ducitur, vt occiſionem aggreſſoris intendat, eamque velit vt propriam vitam defendat. Cum ergo S. Auguſtinus ſupponat occidentem aggreſſorem ex immoderato amore propriæ vitæ illum occidere, in hoc ipſo inuoluit intentionem occidendi: poſita verò intentione occidendi, actio illa probanda non fuit à S. Auguſtino: nam intentio occidendi aliquem in priuata perſona propter bonum priuatum, eſt intrinſecè mala, & illicita, vt conuincunt argumenta ſuperius allata; nec ad ea, niſi verba inutilia ab Aduerſarijs afferri animaduerti. Inficitur ergo occiſio illa inuaſoris ex immoderato amore propriæ vitæ, & ex intentione occidendi, nec iſta duo pugnant inter ſe, vt putat Noriſius, ſed benè ſimul compatiuntur; immò connexa ſunt, vt oſtendimus. Et hanc eſſe mentem Auguſtini conſtat ex his quæ habet in laudata epiſtola ad Publicolam; nam in ea habet, ſe occiſionem

nem alterius, ne quis occidatur ſolùm in eis probare, qui ſunt publicæ perſonæ, quæ ſcilicet nomine Reipublicæ, & authoritate à Republica habita occidunt, vti ſunt milites, & Magiſtratus, hi enim poſſunt intendere priuatæ perſonæ occiſionem, cum id ordinare poſſint in commune bonum Reipublicæ ex facultate ſibi à Republica conceſſa, quæ vtique intendere poteſt occiſionem priuatæ perſonæ propter bonum commune, vndè quæ publicis perſonis conuenire dicit Auguſtinus, id priuatis perſonis negat: Igitur priuatis perſonis negat Auguſtinus occiſionem cum intentione occidendi peractam, nam occiſionem alterius defendendo ſe, ac præter intentionem præſtitam, licitam eſſe dicit loco citato in Exodum.

Rurſus nec diuerſa ſunt, aut inter ſe pugnantia, vt Norifius putat, quod S. Auguſtinus doceat, aggreſſum aggreſſorem occidere ex immoderato amore ſuæ vitæ, & S. Thomas doceat, aggreſſum ex inſtinctu naturæ ſe defendere, quatenus ex inſtinctu naturæ ſe ipſum, propriamque vitam vnuſquiſque diligit. Nam aliud eſt, quod quis ex inſtinctu naturæ ſe diligat, propriamque vitam ab aggreſſore defendat, & in hoc non peccat, idque vult S. Thomas; aliud verò eſt, quod quis ex immoderato amore ſuæ vitæ aggreſſorem occidat, quem amorem immoderatum tunc adeſſe arguitur, cum quis ex intentione occidendi, aggreſſorem occidit, & in hoc peccari, ait Auguſtinus, idque S. Thomas non negat. Itaque cum quis immoderato amore vitam propriam diligit, intendit aggreſſoris occiſionem, & ideò illum occidendo peccat: qui verò non immoderato amore propriam vitam diligit, ſed ſolùm inſtinctu naturæ in eam fertur, non intendit aggreſſoris occiſionem, ſed ſolùm ſuæ vitæ defenſionem, ideò non peccat, etiamſi defendendo ſe, aggreſſorem occidat. Quare cum eo loco S. Auguſtinus aggreſſoris occiſionem damnat, eam damnat aggreſsoris occiſionem, quæ fiat ex intentione occidendi aggreſſorem.

Vndè loca omnia S. Auguſtini optimè inter ſe conſonant, ità vt opus non ſit ad alias expoſitiones recurrere, quæ Sancti Doctoris mentem non attingunt.

Et mirum eſt, quod Authores præfati confidenter, & veluti ex tripode definiant, expoſitionem, qua Angelicus Doctor, Sanctum Auguſtinum explicat, non eſſe ad mentem Auguſtini, quaſi ipſi peritiores ſint, ac fœliciores, quàm Angelicus Doctor in penetranda mente Auguſtini, cum tamen Angelicus Doctor Auguſtini lingua, & calamus appellatus ſit, quod nonniſi Auguſtinum in ſuis operibus, ac præſertim in ſumma redoleat.

Ad illud verò, quod ait idem Norifius ſententiam de non intendenda inuaſoris occiſione vix poſſe in praxim reduci, quod ſurgente ira, animoque in ſui defenſionem, illa intentio haberi non poſſit. Reſpondetur negando intentionem illam in eo caſu haberi non poſſe, poteſt enim facilè haberi, ſi inuaſus velit, vti poteſt ſolam defenſionem ſui intendere,

etiam cum Aduerſarium vulnerat. Sed & eadem, & maior difficultas occurrit in ſententia, quæ, aſſerit occiſionem inuaſoris intendendam eſſe vti medium ad ſui defenſionem, videtur enim difficilè, quod qui actualiter cum Aduerſario confligit diſtinguere poſſit inter medium, & finem; Vndè facilius eſt, ſi cum hoſte congrediens ità ſuam voluntatem diſponat, vt decernat ſolùm ſe defendere, & ſolùm defenſionem ſuam intendat, non verò Aduerſarij occiſionē, etiamſi futuram illam præuideat. Eadem difficultas etiam eſſe poſſet de moderamine inculpatæ tutelæ, ſeù de moderata defenſione, qua vti debet ille, qui cum Aduerſario decertat, videtur enim difficilè in actuali conflictu menſurare ictus, eiſque modum præſcribere, ne ſe defendens maiori vi vtatur, quàm oportet, & tamen certum eſt, inuaſum ſe ab inuaſore defendentem in ſui defenſione, moderata defenſione vti debere. Non eſt igitur vera difficultas ea, quæ obijcitur aduerſus expoſitionem D. Thomæ, cum argumentum à difficultate petitum, omnes teneantur ſoluere in difficultate, quæ occurrit in adhibenda moderata defenſione.

De Authoritatibus Sanctorum Ambroſij, Anſelmi, & Baſilij, quos proſe afferunt Aduerſarij.

OBijciunt ſecundò. Aduerſarij S. Ambroſium *lib. 3. offic. c. 4.* vbi de Chriſtiano dicit, quod etiamſi in Latronem armatum incidat ferientem, referire non poſſit, & in *cap. 22.* Lucæ, vbi ait: *Lex referire vetat, & ideò fortaſſe Petro duos gladios offerenti, ſat eſt, dicit* (Chriſtus) *quaſi licuerit vſque ad Euangelium.*

Reſpondetur cum Syluio *in Commentario art. 6. quæſtionis 64. in 2. 2.* quod Ambroſius priori loco docet iniuriam non eſſe iniuria propulſandam, neque nobis licere repercutere eum, qui nos percuſſit, quando id non eſt ad noſtri defenſionem neceſſarium, vt ſi is qui percuſſit percutere ceſſet, velle enim talem repercutere, manifeſtè pertinet non ad neceſſariam defenſionem, ſed ad priuatam vltionem. Vndè S. Ambroſius non vtitur verbo defenſionis, aut æquiualenti, ſed referiendi. Referire autem in ſui notione, non defenſionem ſignificat, ſed potius vltionem, quamuis & pro defenſione interdum ſumatur. Poſteriori loco Ambroſius docet maiorem perfectionē in Euangelio conſuli: Cum enim in lege non prohibeatur iuſta defenſio, Euangelici tamen Conſilij eſt ab ea abſtinendo ferre patienter iniurias. Hanc reſponſionem iuuat, quod poſtquam Ambroſius ea dixit, quæ obijciuntur ſubiungit, *Vt ſit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.*

Obijciunt tertiò. S. Anſelmum, qui ſuper verba illa Apoſtoli ad Rom. 12. *Non Voſmetipſos defendentes Chariſſimi*, ità ſcribit: *Si quis vos aggreſſus fuerit, non percutientes eum, ſed ſinite iram perſecutoris in vobis expleri.*

Re-

Reſpondetur in verbis Apoſtoli non defenſionem propriè dictam, ſed vltionem prohiberi, eamque prohibibet, ſicut cum dicit, *nulli malum pro malo reddentes*, ac etiam cum addit, *non Voſmetipſos defendentes*, ſeù vt in Græco eſt, *Vlciſcentes*, quomodò verbum *defendendi* ſumitur etiam *Iudith.* 1. *v.* 2. *Iudith.* 2. *v.* 1. *Iudith.* 9. *v.* 2. De illo enim, qui publica poteſtate fungitur *c.* 13: ſcribit, quod *Dei Miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum egit*. Cum ergo dicit; *Sed date locum iræ*, Diuinæ ſcilicet, ſenſus eſt, *vltionem Diuino iudicio relinquite, Dominus enim dicit, mihi vindicta*, hoc eſt ad me ſpectat officium vlciſcendi iniurias; Ego reddam, officium illud exequens, ſiuè per me, ſiuè per meos Miniſtros, quando mihi videbitur. Et idem vult Chriſtus Dominus cum Matth. 5. dicit, *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo*; vult enim, vt illatas iniurias patienter feramus, nec velimus priuata authoritate vlciſci, & malum pro malo reddere. Hoc modo & Anſelmum loco citato eſse intelligendum manifeſtum eſt; poſteà enim ſubdit hæc verba, *Non Voſmetipſos defendentes*, proindè valere, ac ſi Apoſtolus dicat, *Quid opus eſt vos ipſos veſtras vltum ire iniurias? Quin potius, quod in vos peccatur, quaſi fratribus, & proximis ex corde remittite*.

Obijciunt quartò. S. Baſilium *to.* 2. *in Ethica, ſeù morali Regula* 49. *cap.* 2. cuius titulus eſt. *Quod nullo modo debet Chriſtianus cum aliquo pugnare, aut ſeipſum defendere, ſed aduerſum omnes, ſi fieri poſſit ex mandato Domini pacem ſeruare*. Et in ipſo *cap.* 2. *in corpore*, ſic ait. *Audiſtis, quod dictum eſt, oculum pro oculo, & dentem pro dente; Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi, & alteram, & quæ ſequuntur; Charitatem habete in vobis, ſed & pacem habete inter vos. Nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona coram omnibus hominibus, ſi fieri poteſt, quod in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes: Non Voſmetipſos defendentes Chariſſimi, ſed date locum iræ, ſeruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe erga omnes*.

Reſpondetur S. Baſilium intelligendum eſse ſicut & Anſelmum; quod videlicet velit, nos illatas iniurias patienter ferre, nec alijs iniurijs eas vlciſci. Quod patet etiam ex his, quæ ſubdit *cap.* 3. cuius titulus eſt, *Quod neque etiam cum iniuria alter afficiatur, volentem illum vlciſci debemus*. Idque in corpore eiuſdem *cap.* ſuadet exemplo Chriſti, qui Petro, qui exempto gladio percuſſit ſeruum Principis Sacerdotum dixit, *Conuerte gladium tuum in locum ſuum, &c.*

Vel etiam dici poteſt Baſilium loqui in ſenſu, quo S. Thomas 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *ad* 2. ex Auguſtino *lib.* 1. *de Sermone Domini in Monte cap.* 34. *&* 35. dicit intelligenda eſse verba illa Chriſti Domini Matth. 5. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo*. Quod videlicet hæc pertineant ad præparationem animi, vt ſcilicet homo ſit paratus non reſiſtere malo, vel non ſe defendere, ſi opus fuerit. Vndè quod ſequitur, *Si quis te percuſſerit in*

dex-

dexteram maxillam, præbe illi & alteram, conformiter eſt accipiendum, vt ſignificetur eo nos animo eſſe debere, vt parati ſimus ad alteram iniuriam recipiendam ſi inferatur, potius, quàm ad vindicandam priorem.

Poſſent obijci authoritates aliorum Patrum, ſed loquuntur de vindicta, vt Cyprianus *lib.3. Epiſt.1.* & Cyrillus Alexandr. *lib.11. in Ioannem cap.35.*

Illud Matth.26. vbi Dominus Petro volenti ſe, & ipſum defendere dicit (*omnes qui acceperint gladium gladio peribunt.*) Et illud ad Rom. 12. *Non vos defendentes Chariſſimi*. Intelligendum eſt, quod Petrus reprehenditur primò, quia defenſio illa habebat potius ſpeciem vindictæ, quàm defenſionis: non enim erat probabile tantam turbam tali modo poſſe repelli. Secundò; quia erat contra Domini voluntatem, cuius reſponſum debebat expectare. Tertiò. Quia Dominus non habebat opus tali defenſore, nec decebat eum tali modo defendi. Quartò. Quia erat contra Patris ordinationem, qui volebat, vt filius eorum vini iniquam non defugeret. Videatur Auguſtinus *tract.112. in Ioannem.*

Illud verò ad Rom. 12. *defendere*, ibi accipitur pro *vlciſci*, vt patet ex Græco. Simili modo Iudith. *cap.1. & 2.* accipitur.

Reliquæ Aduerſariorum obiectiones ſoluuntur.

OBijciunt etiam, quod inuaſorē occidendo infringatur Dei lex, *Non occides*, in qua hic, & nunc non apparet clara exceptio.

Reſpondetur, quod cum aliquis defendendo ſe aliquem occidit, nullatenus infringit legem Diuinam de non occidendo; Nam præceptum Diuinum de non occidendo prohibet occiſionem, quæ moraliter ſit occiſio, ad hoc autem requiritur, vt intendatur occiſio ab occidente, nam ſi occiſio non intendatur ab aliquo, ſi occiſio ſequatur actualiter, & ſi præuiſa ab eo, qui non tenebatur abſtinere ab actu, ad quem ſequitur occiſio, actus ille non eſt occiſio moraliter, ſed tantùm phyſicè; nam actus humani ſumunt ſpeciem moralem ab eo, quod per ſe intenditur. Vt autem dictum eſt ſupra, qui defendendo ſe alium occidit, ſi ſolùm intendat, vti poteſt, defenſionem ſui, cum non teneatur abſtinere ab actu propriæ defenſionis, ad euitandam mortem alterius, quia plus tenetur prouidere vitæ ſuæ, quàm vitæ alienæ, actus ille, quo ſe defendit, quoque ſolam defenſionem ſui intendit, moraliter eſt ſolùm defenſio ſui, quæ eſt actus licitus, licet phyſicè ſit etiam occiſio, quatenus eiuſdem actus effectus intentus eſt defenſio agentis, & effectus præter eius intentionem eſt occiſio paſſiua, ſeù mors inuadentis. Non ergo huiuſmodi occiſio infringit legem, aut præceptum Diuinum

de

de non occidendo, nam huiuſmodi actus non habet malitiam occiſionis, ac proindè non prohibetur per legem Diuinam. Et hæc eſt vera, & germana ſolutio argumenti allati, deſumpta ex viſceribus, vt ita dicamus ipſius rei, & ex doctrina D. Thomæ, qua, vt vidimus oſtendit licitum eſſe alicui defendendo ſe aliquem occidere.

Obijciunt prætereà, ſecundum ordinem Charitatis debemus præferre ſalutem proximi ſpiritualem noſtræ corporali; Cum autem aggreſſor, ſi occidatur, amittat ſalutem ſpiritualem, & quidem irreparabiliter, videtur quod inuaſus potius debeat permittere ſe occidi, ne alter damnetur.

Reſpondetur ex doctrina apud omnes recepta, quod ordo Charitatis, ſecundum quem debemus ſalutem proximi ſpiritualem præferre vitæ noſtræ corporali, non obligat, niſi in caſu neceſſitatis, quando ſcilicet vita noſtra corporalis neceſſaria eſt proximo ad ſalutem ipſius ſpiritualem; ita vt niſi vitam propriam periculo exponamus, proximus non poſſit conſequi, vel tueri ſalutem ſuam ſpiritualem; Aggreſſor autem non eſt in aliqua ſimili neceſſitate, ſed ipſe ſponte, & ex mera malitia ſe conijcit in periculum, è quo etiam ſe poteſt eripere, ſi ceſſet inuadere, & vulnerare, abſque eo quod inuaſus permittat ſe occidi. Deinde is, qui inuaditur, non eſt certus de ſua ſalute ſpirituali, caſu quo permitteret ſe nunc occidi.

Eadem habet Cardin. Caietanus in *Comment. dicti artic. 7.* his verbis. *Ad hoc dicitur, quod licet magnæ charitatis eſſet, vt is, cuius vita non eſt neceſſaria alienæ ſaluti ſpirituali, priuari ſe pateretur vita præſenti, vt inuaſor haberet ſpatium pœnitentiæ, & ſic ſe Deo redderet, ad hoc tamen non tenetur, quoniam ponere vitam pro anima proximi, non eſt actus charitatis, ad quem de neceſſitate tenemur, niſi in caſu, quo tenemur eius ſaluti prouidere;* Conſtat autem, quod hic non eſt caſus talis, quoniam iſte in nullo eſt neceſſitatis, ſed iniquæ voluntatis articulo conſtitutus. Quia igitur defenſori incumbit cura prouidendi ſaluti propriæ vitæ, nec tenetur prouidere vitæ corporali, aut ſpirituali inuaſoris, conſequens eſt, vt cum ordinata dilectione charitatis amet magis ſalutem ſpiritualem proximi, quam vitam propriam, & tamen hunc actum tutelæ non prætermittat, cum conſequente damno vtriuſque vitæ alterius: Quia ad hunc effectum non tenetur, niſi in caſu, quia non eſt ſibi commiſſa cura de illo, ſed de corpore proprio. Et ſic ratio, quæ ſuper cura ſuæ corporalis vitæ fundatur, ſtat ſolida, & tantò plus, quantò ſatis à remotis, hoc eſt per accidens effectus illius defenſionis. Poteſt enim in inſtanti pœnitere, & eſt alterius ordinis ab effectibus corporalibus, qui etiam per accidens ſunt à defenſione illa. Hæc Cardinalis Caietanus.

Eadem habet *Soto de Iuſtit. & Iure lib. 5. q. 1. art. 8.* vbi eidem argumento reſpondit his verbis: Ad argumentum ergo, conceditur ordine Charitatis magis eſſe diligendam ſalutem ſpiritualem proximi, quam no-

noſtram corporalem, hæc autem Charitatis lex ſolùm obligat, vt quoties ad eiuſmodi ſpiritualem ſalutem mea fuerit temporalis ſimpliciter neceſſaria, debeam illam periculo offerre. Exempli gratia. Laborat Ciuitas aliqua, vel perſona, ignorantia vincibili, quam ego ſolus poſſum tollere, deberem certè ordine charitatis, cum periculo vitæ veritatem detegere; Item ſi mihi incumbit ex officio; Nam tempore peſtis tenetur Prælatus, & tempore belli Princeps non deſerere Populum, quia hoc ſecundo caſu non ſola Charitas, verùm & Iuſtitia concurrit; Vbi autem vita mea non eſt neceſſaria, ſed ipſi ſciant ſe malè agere, & poſſunt ceſſare, & ſua culpa non ceſſant, ego non teneor: ſed ad perfectionem Charitatis quandoque id pertineret. Et hoc expreſsè docet S. Thomas *art. cit. in ſolut. ad 3. & quæſt. 25. eadem 2. 2. art. 8.* ait, quod licet dilectio inimici in præparatione animi ſit neceſsaria, quando neceſſitas occurrerit, tamen extra talem neceſſitatem diligere inimicum non eſt niſi de perfectione Charitatis. Ad propoſitum ergo vt deſcendamus; Qui me vi armata priuatim adoritur ſua culpa id facit, quare mea vita non eſt illi neceſsaria, & ideò non teneor illi ſuccumbere. Aliàs occaſio porrigeretur nefandis hominibus iuſtos inuadendi, nempè dum certi eſſent ab illis ſe non eſſe occidendos: ſimili enim audacia Machabæorum hoſtes Sabbatis eos adoriebantur, arbitrantes eos tunc non poſse pugnare. Quare vt legitur *1. Machab. 2.* decreuerunt, diebus etiam illis ſanctis ſeſe armis defendere. Haud ergo eſt conſequens. Teneor diligere ſalutem proximi ſpiritualem præ mea corporali, ergo teneor illam extra caſum neceſſitatis plus ſeruare. Vnicuique namque mandata eſt cura ſuæ vitæ, ſuorumque bonorum, non autem alienorum, etiamſi pretioſiora ſint. Sicut ſeruare Pater tenetur magis filium ſuum, quam exterum, longè meliorem. Hæc Soto.

Tandem Ægydius Gabrielis obijcit, quod nullus Chriſtianus eſt, qui ſic occidat, quem conſcientia non torqueat, & ideò confiteatur occiſionem ſuam, & nullus eſt, qui audeat mori ſine tali confeſſione, ſi ſaltem eſt timoratus. Ex quo colligitur, inquit, non eſse euidens in Chriſtianiſmo, quod liceat ſic occidere.

Reſpondetur eſse adeò euidens, quod liceat alicui defendendo ſe aliũ occidere, vt cum id ſit conforme omni iuri etiam naturali, idque vnanimiter affirmetur à Theologis cum D. Thoma, & cum omnibus Iuriſtis, oppoſitum ab aliquibus iudicetur temerarium, vt ſupra vidimus.

Ad motiuum igitur propoſitum. Reſpondetur, quod quando quis eſt certus, quod defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ inuaſorem occidit, cum hac ratione non peccauerit, non debet id vti peccatum confiteri; Quia tamen aliquando quis dubitat, an ſe defenderit cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel etiam certus eſt, ſe moderamen inculpatæ tutelæ non adhibuiſse, ideò id in Confeſſione exprimit, quia prout ſic non eſt immunis à culpa.

Ex dictis conſtat ſententiam aſſerentem licitum eſſe alicui defendendo

do ſe inuaſorem directè occidere, non eſſe ſolùm multorum modernorum, vt ait Aegydius Gabrielis, ſed eſſe generaliter omnium Theologorum cum ſuo Principe Diuo Thoma, & omnium Iuriſtarum, & pro ea ſtare omnia iura, & ius ipſum naturale: Nec pro ſententia oppoſita ſtare D. Auguſtinum, aut alios Patres, ſed Auguſtinum pro communi ſententia ſtare, & alios Patres nullatenus à communi ſententia recedere, vt iam oſtenſum eſt. Quarè immeritò opinio negans licitum eſſe alicui defendendo ſe inuaſorem directè occidere, inter opiniones tutiores ab eodem Ægydio recenſetur.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum liceat alicui futurum Aggreſſorem præuenire illum occidendo.

Futuri Aggreſſoris nomine ille hic intelligendus eſt, qui diſpoſitus eſt, ac expeditus ad aggrediendum, etſi de facto non aggredietur. Nam de illo, qui ſupponitur, quod certò aggredietur, cum verificari nequeat, quod non aggredietur, cum contradictoria verificari nequeant, nugatoriè quæreretur, vtrū liceret illum præuenire. Igitur futuri aggreſſoris nomine, ille intelligitur, qui diſpoſitus eſt, ac expeditus ad aggrediendum, & in propoſito aggrediendi permanet. Hic enim verè dicitur aggreſſor futurus. Nam futurum non ſolùm eſt, quod erit, ſed etiam, vt communiter dicitur à Philoſophis, ac Theologis, futurum eſt, id, quod habet determinationem in ſuis cauſis ad hoc, vt ſit in aliquo determinato tempore, aut duratione ſubſequente illud inſtans, pro quo dicitur eſſe futurum, vndè futurum diſtinguitur à re præſenti in hoc, quod hæc dicit exiſtentiam de præſenti, illud verò connotat negationem prædictæ exiſtentiæ in ſeipſo habitæ in eo inſtanti, in quo dicitur eſſe futurum. A re verò præcisè poſſibili ſecernitur in hoc, quod poſſibile, vt tale, non eſt determinatum ad hoc, vt ſit in ſeipſo in aliquo certo, & determinato tempore; Dictum eſt autem illud etiam dici futurum, quod habet determinationem in ſuis cauſis ad hoc, vt ſit in aliquo determinato tempore &c. Non verò ſolùm id, quod erit in aliquo determinato tempore: quia ad rationem futuri ſatis eſt, & requiritur illud priùs. Vndè Ariſtotiles 2. *de Generat. Text. 64.* dixit, quod *futurus quis incedere, non incedet*. Et S. Thomas *p. 1. q. 19. art. 7. ad ſecundum*, inquit: *Multa ſunt in virtute, & ſcientia, & voluntate*

tate Diuina, quæ non continentur ſub ordine cauſarum inferiorum, ſicut reſuſcitatio Lazari, vndè aliquis reſpiciens ad cauſas inferiores dicere poterat, Lazarus non reſurget, reſpiciens verò ad cauſam primam Diuinam, poterat dicere Lazarus reſurget. Et vtrumque horum Deus vult, ſcilicet, quod aliquid quandoque ſit futurum ſecundum cauſam inferiorem, quod tamen non eſt futurum ſecundum cauſam ſuperiorem, vel è contra: Idem dicit de veritate *q.* 12. *art.* 10. *ad* 7. vbi explicans teſtimonium illud, quod eſt Ariſtotelis nuper adductum, inquit: *Aliquod poteſt dici eſſe futurum, non ſolùm ex hoc, quod ita erit, ſed quia ita ordinatum eſt in cauſis ſuis, vt ſic ſit futurum. Sic enim Medicus dicit, iſte ſanabitur, & iſte morietur; & ſi aliter contingat, non falſum dixit, ſic enim tunc futurum erat ex ordine cauſarum, quod tamen poſſibile eſt impediri, & tunc quod futurum erat, conſequenter non erit futurum. Vndè Philoſophus dicit in 2. de generatione, quod futurus quis incedere, non incedet.* In re noſtra igitur futurus Aggreſſor, de quo quærimus, vtrum liceat illum præuenire, dicitur ille, qui exterius, & interius diſpoſitus eſt ad aggrediendum.

Eſt autem quæſtio inter Doctores, vtrum liceat præuenire inimicum, illumque priuſquam aggrediatur occidere.

In qua re aliqui volunt licitum eſſe inimicum præuenire, ipſumque occidere, quando ille aliquid egerit, vel agat, quod cenſeri poſſit aggreſſio, vel aggreſſionis inchoatio. Cuius plura afferuntur exempla.

Primum eſt, Si quis in Oppidulo, vel domo aliqua concluſus, vndè nullum pateat effugium, ſed neceſsè ſit ei tranſire per manus inimici ipſum expectantis, vt interficiat.

Secundum eſt, ſi vxor in eodem cubiculo concluſa deprehendat pugionem ſub ceruicali, certoque ſciat, quod per eum ſit à Marito interficienda.

Tertium. Si Dominus vocet famulos, qui te ſint abſque vllo dubio interfecturi, niſi tu ipſe illum priuſquam aduenerint, interficias.

Quartum. Si quis falſis criminibus apud Iudicem agat in mortem alterius, neque aliàs ſit ſpes effugij, quàm per mortem talis accuſatoris, aut falſorum Teſtium.

In primo caſu licitum eſſe inimicum præuenire, ipſumque occidere tradunt Dominicus Soto *lib.* 5. *de Iuſtitia, & iure quæſt.* 1. *art.* 8. & nonnulli alij.

Itē in ſecundo caſu licitū eſſe affirmāt Nauarrus *in Manuali c.* 15. *n.* 3. Bannes *in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. Tolet. *in Summa lib.* 5. *cap.* 6. Lopez *par.* 1. *cap.* 62. Petrus Nauarra *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 349. Molina *de Iuſtitia, & iure diſp.* 12. & ſpeculatiuè hanc ſententiam probabilem putat Leſſius *dub.* 8. *num.* 47. & valdè probabilem Bonacina *diſput.* 2. *de reſtitut. q. vlt. ſect.* 1. *punct.* 9. *num.* 7. eamque amplectuntur alij recentiores, & alij quos congerit Diana *par.* 5. *tract. de homicidio reſolut.* 7. Eamdemque ſententiam nonnullis argumentis probat Cardinalis de Lugo *tom.* 1. *de Iuſtitia, & iure diſp.* 10. *ſect.* 7. *num.* 165. *& ſequen.* quamuis in fine addat; quod in praxi vix poteſt occurrere caſus, in

quo

quo ſit neceſſarium, & licitum calumniatorem occidere.

At in quæſtione, vtrum liceat inimicum præuenire tria dicit Cardinalis de Lugo *ſect. cit. num.* 156.

Primum, non eſſe licitam præuentionem, quando ille alius nondum decreuit te occidere, ſcis tamen, quod cras decernet, vel ex certa reuelatione, vel coniecturis humano modo certis, quia ſcis cras habiturum notitiam de offenſa aliqua à te illi irrogata, v. g. de tuo adulterio, & attenta eius natura, & ingenio, certum moraliter eſt, quod volet ſe vindicare, nec eius manus poteris effugere. In his caſibus, inquit de Lugo, non licet præuenire, quia verè adhuc eſt innocens, nec cœpit de hoc cogitare: Vndè nonniſi tyrannicè fecerunt aliqui Principes, qui leguntur tentaſſe occidere infantes, quos ex oraculis, vel prædictionibus nouerāt Regnum vſurpaturos: Offenſa enim futura, dum cauſa nullo modo poſita eſt, non dat ius ſe defendendi ab eo, qui nihil adhuc contra ſe machinatur.

Secundum, quod de Lugo ait, eſt. Certum videri, non requiri, quod ille iam incæperit te lædere; nam defenſio inquit, non eſt in ordine ad offenſam factam, ſed ad impediendam futuram, ne fiat: Quare ſi iam præparauit arma, vel quid aliud fecerit ad exequendum decretum te occidendi, iam incepit te inuadere, & potes te defendere. Sic Rex certò ſciens, alium Regem adornaſſe claſſem, vel præparare exercitum, vt eum inuadat, poteſt præuenire, vt eius cauſam impediat, quia iam aduerſarius incepit offendere, dum contra eum neceſſaria diſpoſuit, vt lædat.

Tertium. Quod ſi ad defenſionem cum detrimento aduerſarij ſufficit (vt videtur ſufficere) quod decreuit te occidere, idque aliquibus amicis confidenter manifeſtauit, ſufficeret etiam decretum merè internum habere, & ſi tibi ex Dei reuelatione, vel alia via conſtaret; quia per illam manifeſtationem amico factam non fit inuaſor, ſed ſolùm eſt manifeſtatio inuaſionis, vel decreti inuadendi, ergò non magis inuaderis in vno caſu, quàm in alio. Re tamen vera in vtroque inuaderis aliquo modo, quia iam ille ſe incepit mouere ad lædendum: primus enim, & præcipuus motus eſt, quo voluntas ſe ipſam mouet, & profert ſententiam contra te, quia iam poſuit primum principium, & imperium totius exequutionis ſubſequentis, quod eſt principium totius belli iniuſti, quod tibi inferendum eſt.

Et addit. Quod licet ad pœnam à Iudice, vel à lege humana infligendam non ſufficiat delictum internum, quia Iudex humanus attendit ſolùm ad regulam humanam, & viſibilem, & ideò non poteſt de merè internis iudicare, cauè punire, quia ſunt extrà ſphœram ſuæ iuriſdictionis, & ſui finis; ad defenſionem tamen procurandam ſufficit voluntas efficax Aduerſarij de te occidendo; quia ius, quod iure naturæ habes ad te defendendum, non eſt ad puniendum; nam licet ille alius non peccet, quia amens eſt, potes te iure naturali defendere; ſed ordinatur omninò ad defenſionem tuam: Defendere autem non

eſt propriè loquendo aduerſus eum, qui te lædit (hæc enim prout ſic erit vindicta) ſed aduerſus eum, qui te lædere vult. Solùm ergo reſpicit voluntatem lædendi, vt poſſis te defendere, & impedire effectum: ſiuè ergò voluntas illa interna manifeſtetur per ſignum externum, ſiuè per reuelationem Dei, iam datur totum id contra quod ius naturale te armat ad defenſionem tuam, nempè voluntas efficax te lædendi. Nec refert, quod non dicendus ſit inuaſor externus: defenſio enim, & ius ad ipſam non magis oritur ex actu externo, quàm ex interno inuaſionis, cum vterque actus conſtituat te in æquali periculo, à quo nonniſi per tale medium effugere non poteris.

Hinc infert, quid dicendum ſit, quando ſcis aliquem petere tuam vitam, & conueniſſe cum alijs, vt te ex inſidijs occidat, quas aliter effugere non poteris, niſi illum, qui per aſſaſſinos te vult delere, interfici cures. Et poſt relatam Banneſij ſententiam affirmantem ait, id etiam Leſſium affirmare, quando periculum ſit iam præſens, vt ſi actu mandet, vel ſuadeat famulo, vel ſicario, vt te occidat; Parum enim refert, inquit de Lugo, quod per ſe, vel per alium inuaderet: & hanc ſententiam ipſe non reprobat. Si verò periculum eſſet longinquum, vt ſi coniurauit in tuam necem, iamque cum ſicarijs egit, vt opportunitatem quærant te occidendi, ait, Leſſium non probare eam doctrinam in praxi propter periculum abuſus, & quia perrarum eſt, vt non ſemper ſuppetat alia ratio mortis euadendæ. Addit tamen de Lugo, caſum illum etſi rarum, non tamen metaphyſicum eſſe, & ſe non credere naturale ius homines abſque remedio reliquiſſe aduerſus iniquiſſimos aggreſſores. Et concludit, Molinam vniuerſaliter docere, fas eſſe interficere eum, qui nos interficere decreuit, quando aliter non patet via, graue periculum euadendi, quod nobis ex illo decreto imminet. Per quod Cardinalis de Lugo videtur inclinare in eamdem ſententiam.

Pro quæſtionis reſolutione ſit.

ASSERTIO VNICA.

In nullo ex prædictis caſibus, aut conſimilibus, immò nunquam, licitum eſt alicui inimicum præuenire, quantumuis ille aliquid egerit, aut agat in ordine ad aggreſſionem, ſi actu, & phyſicè perſonam alterius in actuali conflictu non aggrediatur, ſeù non inuadat.

Ratio eſt. Quia quicquid aliquis agat, aut egerit ad alium inuadendum, niſi actu illum aggrediatur, & inuadat in actuali conflictu non eſt verè, & propriè inuaſor, ſeù aggreſſor, nec actiones illæ ſunt veræ inuaſiones, aut aggreſſiones, immò nulla ex illis actionibus eſt aggreſſionis inchoatio. Aggreſſio enim, ſeù inuaſio tunc contingit, cum quis actu,

actu, & phyſicè agit in perſonam alicuius, ipſique vim phyſicè infert, & inchoatio aggreſſionis eſt huiuſmodi actionum inchoatio; Iura verò non permittunt, quod aliquis alium vi repellat, niſi cum ille per vim phyſicam actu agit, vel agere incipit in alterius perſonam, cum illa actu confligendo, eamq; actualiter per ſeipſum, vel armis impetendo; Et hoc pacto Doctores communiter intelligunt illud, quod iure naturæ vim vi repellere liceat, in actuali ſcilicet conflictu, & conſtat *cap. ſignificaſti 2. de homicid.* vbi dicitur, *quamuis vim vi repellere omnes leges, & iura permittant; idque debere fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad iniuriam propulſandam.* Certum eſt autem, quod vis alicui non infertur, niſi cum agitur phyſicè in eius perſonam, & iniuriam non propulſari, niſi quando actu infertur.

Et *cap. ſi verò de ſent. excomm.* dicitur: *Si Clericum vim ſibi inferentem vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem Apoſtolicam transmitti, ſi incontinenti vim vi repellat. Cum vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittant.* Vbi etiam dicitur ſecundum iura licitum eſſe vim vi repellere, ſi incontinenti vim vi quis repellat, quod quidem non fit, niſi cum actu, & phyſicè infertur vis in perſonam alicuius. Vndè ſupponitur vti neceſſarium ad licitam defenſionem, vt vis ſit illata; certum eſt autem, quod vis non infertur, niſi cum inuaditur phyſicè perſona. Vndè re vera actio, qua quis agit in eum, qui adhuc perſonaliter non læſit, nec lædere incepit, non eſt defenſio, ſed aggreſſio, hæc autem non eſt licita.

De quarto caſu, in quo iuxta Authores prædictos licitum eſt occidere illum, qui falſis criminationibus apud Iudicem agit in mortem alterius, ſi non ſit alia ſpes effugij niſi per mortem accuſatoris, aut falſorum Teſtium, notandum eſt opinionem iſtam damnatam fuiſſe in decreto Alexandri Septimi Summi Pontificis 24. Septembris 1665. nam inter propoſitiones in eo decreto damnatas, decima octaua hæc eſt (*Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam iudicem à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare*) Hæc autem propoſitio eſt illa, quam in quarto caſu docent prædicti Authores.

Immò in damnatione huius propoſitionis videntur aliquo pacto damnatæ reliquæ propoſitiones de præuentione inimici in reliquis caſibus recenſitis, & in quocumque alio caſu. Nam & falſus accuſator, & falſi teſtes, iam aliquid egerunt aduerſus accuſatum, illum falsò accuſando, & contra eum teſtificando apud Iudicem, & Iudex ipſe aliquid contra accuſatum egiſſe ſupponitur, proceſſum ſcilicet, & alia neceſſaria ad ſententiam ferendam, quæ propter hoc imminere dicitur; & tamen damnata eſt opinio, quæ aſſerit licitum eſſe tales accuſatores, & teſtes, talemque Iudicem occidere, etiam antequam iniquam ſententiam ferat, & accuſatum morti tradat, ergò iuxtà hæc non eſt licitum inimicum præuenire, & occidere, etiamſi aliquid egerit in ordine ad aggreſſionem alterius.

Nec ea, quæ pro contraria ſententia

tia affert Cardinalis de Lugo ſunt alicuius momenti. Nam quod ait; certum videri, non requiri, quod ille iam inceperit te lædere, eo quod defenſio non ſit in ordine ad offenſam factam, ſed ad impediendam futuram, ne fiat, & hinc ſi iam præparauit arma, vel quid aliud fecit ad exequendum decretum te occidendi, iam incepit te inuadere, & potes te defendere, eſt falſum: nam dicendum eſt potius, oppoſitum certum eſſe. Nam vt quis ab alio ſe defendat, debet vim pati ab illo, vt conſtat ex dictis, ac proindè requiritur, quod ille iam inceperit te lædere; Non enim poteſt quis pati vim ab aliquo, niſi ille incipiat eum lædere. Nec verum eſt defenſionem eſſe in ordine ad impediendam offenſam futuram: nam ex ipſis terminis patet, id falſum eſſe; defenſio enim dicitur per ordinem ad offenſionem, & cum defenſio ſit in actu, & conſiſtat in actu ſecundo, reſpicit vt correlatiuum offenſionem actualem, & præſentem, & in actu ſecundo poſitam, aliàs defendens ſeipſum non defenderet ſe ab offendente, ſed à præparante ſe ad offendendum, & actio illa non eſſet defenſio, ſed aggreſſio. Quare licet defenſio non ſit in ordine ad offenſam factam, & completam, eſt tamen in ordine ad offenſam inceptam; offenſio autem non dicitur incepta, niſi cum perſona in ſe, aut in ſuis bonis offenditur, ac proindè falſum eſt, quod qui præparauit arma, vel quid aliud fecit ad exequendum decretum te occidendi, iam inceperit te inuadere, & poſſe te ab illo defendere.

Explicatur magis hoc ipſum, & confirmatur aſſertio noſtra contra Cardinalem de Lugo. Nam defenſio eſt ad repellendam offenſionem, quæ actu, & præſentialiter fiat, non ad impediendam offenſionem futuram; nullus enim dicitur ſe defendere ab eo, à quo nondum offenditur, ſed offendendus eſt; Hallucinatio autem Cardinalis de Lugo contingit ex eo, quod non diſtinguat niſi offenſionem factam, & futuram, cum præter has offenſiones ponenda ſit offenſio, quæ incepit, & continuatur in aliquem; hæc enim eſt offenſa illa, à qua quis defendit ſeipſum, ita vt ſi ſit à perſona priuata, poſſit offenſus ſe ab ea defendere, etiam cum offendentis occiſione, ſi hac via, & non alia necem ſibi intentatam poſſit euadere. Nec iuſtè quis poteſt dici illum in perſona, aut in eius bonis offendere, qui eum in his nondum læſit, & ſi lædere decreuerit, & neceſſaria ad læſionẽ præparauerit; vndè nõ diſtinguit de Lugo læſionẽ, & offenſam futurã à præſenti, cũ tamen hæc diſtinguenda ſint, & vti diſtincta attendenda; Quis enim dicet præparationem ad læſionem, eſſe læſionem, ſi præparans ſe ad lædendum nondum læſit, & adhuc poſita præparatione ad lædendum poteſt mutare ſententiam, & non lædere? Quare ſicut contra æquitatem eſt, vt is lædatur, qui nondum læſit, ita contra æquitatem eſt, vt is offendatur, & lædatur, qui decreuit lædere, & præparauit neceſſaria ad læſionem, ſi nondum realiter læſit. Poteſt quidem is, quem aliquis offendere decreuit, & contra quem inimicus præparauit neceſſaria ad offendendum, præparare ſeipſum ad defen-

fenſionem, ſeque ipſum munire, ne ab aduerſario offendatur; ſed non poteſt aduerſarium nondum offendentem offendere. Sic falsò addit de Lugo, quod Rex certò ſciens alium Regem adornaſſe claſſem, vel præparare exercitum, vt eum inuadat, poſſit præuenire, vt eius cauſam impediat, quia iam aduerſarius incepit offendere, dum contra eum neceſſaria, diſpoſuit, vt lædat; falsò, inquam, hæc addit de Lugo, nam ſi Rex ille nondū à Rege aduerſario ſit læſus in ſe, vel in ſuis bonis, aut in ſuis ſubditis, neque aliqua iniuria ſit affectus, non poteſt illum præuenire lædendo, cum ille nondum læſerit, ſed nec lædere cœperit. Hinc Theologi communiter docent, cauſam iuſtam ad bellandum vnam tantùm eſſe, ſcilicet iniuriam illatam, nec reſartam; & ratio eſt, quia bellum iuſtum offenſiuum eſt ad iuſtam vindictam, ad ſatisfactionem de hoſtibus capiendā: ſed iuſta vindicta eſſe non poteſt, vbi vel nulla præceſſit iniuria, vel ſi præceſſit, eſt ſufficienter reparata. Vndè Auguſtinus *quæſt. 10. ſuper Ioſue*, ait, *Iuſta bella ſolent definiri, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi gens, vel Ciuitas plectenda eſt, quæ vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere, quod per iniuriam ablatum eſt.*

Sub cauſa verò iniuriæ variæ cauſæ continentur. Prima eſt, recuperatio eius, quod debetur Principi. Secunda, ſi Rex aliquis graui ignominia affecerit Legatos alterius. Tertia, ſi præbeat auxilium bellantibus iniuſtè contra ipſum. Quarta, ſi tuetur impios contra bonum publicum, ne iniuſtè puniantur. Quinta. Si violauerit pactum magni momenti. Sexta. Si Tributarij negent iuſtum tributum. Septima, ſi ſubditi, rebellent, vel ad hæreſim declinent. Octaua, ſi Rex, aut Princeps gerat bellum ad opem illis ferendam, qui cum vel iniuſtè opprimantur, vel cauſam iuſtam tueantur, opem eius implorarunt. Nona, ſi ad impediendum, ne innocentes Idolis immolentur, & occidantur. Decima, ſi infideles impediant Euangelij prædicationem. Vndecima, ſi negent tranſitum innoxium; Vndè Auguſtinus *quæſt. 44. ſuper Numeros*, ait (*Notandum eſt, quemadmodum iuſta bella gerebantur, innoxius enim tranſitus negabatur, qui iure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat*) Addunt aliqui duodecimam, ſi gentes aliquæ negent peregrinationem, habitationem, nauigationem, piſcationem gemmarum, aut commercia; putant enim iſta eſſe omnibus iure gentium communia; Verùm hoc non ab omnibus conceditur. Poſtquam enim iure gentium facta fuit rerum diuiſio, non videtur iniuſtum, ſi vna Reſpublica neget alteri mercatum, habitationem, aut vſum rerum ſui loci, modò non ſint neceſſaria.

Sic ergò non dicitur offenſus Rex aliquis, ſi alius Rex nulla cum iniuria affecerit; Certum eſt autem, quod decernere bellum, & præparare neceſſaria ad illud, nondum ſit Regem illum iniuria afficere. Quare benè poterit Rex, aduerſus quem alius claſſem adornauit, aut exercitum præparauit, aliam claſſem adornare, aut exercitum præparare, vt ſe

ab

ab illo, cum inuaſerit, defendat; At non licet ipſum inuadendo præuenire, nam prout ſic non ſeruaretur æquitas, & proportio, & eſſet offenſio, non defenſio. Vndè nec priuato licet inimicum occidendo præuenire, aut ei damnum inferre, ſi ille tantùm decreuit aliquem occidere, idque alteri vel per reuelationem, vel alia via conſtet, ſi nondum læſit, aut lædere incepit phyſicè, & actu per perſonam alterius, aut eius bona.

Quod verò addit de Lugo in caſu, quo quis coniurauerit in tuam necem, iamque cum ſicarijs egit, vt opportunitatem quærant te occidendi, ſe non credere, quod naturale ius homines abſque remedio reliquerit aduerſus iniquiſſimos aggreſſores, nullatenus vrget; nam remedium, quod naturale ius in eo caſu hominibus præſcripſit, eſt quod caueant ab inimico, ſeque circumſpectè cuſtodiant, ac muniant, vel fugiant, aut alio ſe transferant, & quod ſi actu inuadantur, licitè poſſint ſe ab illis defendere, etiam cum illorum occiſione, ſi hac via, & non alia poſſint mortem euadere, idque agant cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt dictum eſt ſuprà, & per hæc patet ad alia, quæ pro ſe affert Cardinalis de Lugo.

In vno dumtaxat caſu videtur Aduerſarius poſſe præueniri, & eſt cum aduerſarius arcum tetendit, & in alium dirigit, vt iam ictus immineat, tunc aduerſarius videtur præueniri poſſe, & occidi, ne alius occidatur, vt enim ait Cardinalis Toletus in Summa, ridiculum eſt dicere, quod vt quis licitè ſe defendat expectare debeat, vt alius arcum remittat, tunc enim non poſſet amplius ſe defendere; immò tunc non eſt propriè aduerſarium præuenire, ſed illum iam aggredientem occidere; iam enim aduerſarius eſt in actu ſecundo offendendi, ac proindè poteſt alius contra ipſum ſe defendere, ipſum contrario ictu appetendo, ſi aliàs ille non poſſit ſe tueri, vel alia via mortem euadere.

Verùm & hoc, difficultate non caret apud aliquos Theologos. Nam negant, archibuſium, vel arcum in aliquem dirigentem, phyſicè cum eo actualiter confligere, cum non adſit contactus phyſicus actualis, quo illum immediatè per ſeipſum, vel per arma contingat, & non ſit certum, quod is, qui in alium archibuſium, vel arcum direxit, habeat intentionem eum impetendi, & occidendi, cum fieri poſſit, vt ea directione ſimulet, ſe alium occidere velle, & ſolùm arcum dirigat ad eum perterrefaciendum; Vndè negant licere homini ſic inuaſo præuenire aduerſarium eo pacto inuadentem. Quod ſi contingat eo pacto inuaſum ſic occidi, erit per accidens; nam ea occiſio non ſequitur neceſſariò, & infallibiliter ad eam actionem, qua quis arcum in alium direxit, cum etiam ea poſita, potuerit non ſequi occiſio. Id autem non contingit cum quis actualiter cum alio confligit, & vterque mutuis ictibus impetitur, nam in hoc caſu inuaſus, ſi ſe non defendat cum inuaſoris occiſione, infallibiliter occidetur. Et cum præceptum de occidendo ſtrictiſſimum ſit, occidendi licentia præſumi non poteſt, niſi in

caſu

caſu ineuitabilis, & maximæ neceſſitatis, qualis non apparet in caſu poſito, ad quem proindè non debet extendi. Et licet occidens alium, qui in eum archibuſium direxit, ſecundum leges ciuiles non ſit reus homicidij, apud Deum tamen, & in foro conſcientiæ reus homicidij videtur, cum non ſit illi permiſſum occidere, niſi actualiter ipſum ictibus impetentem. Sed tamen iuxtà priorem ſententiam, dici poſſet, quod qui archibuſium in alium dirigit, iam eum phyſicè, & actu aggreditur, ſicut qui dirigit ictum pugionis in aliquem, dicitur illum inuadere per directionem ictus præcisè, etiam antequam ictus ad illum perueniat, ſic & qui archibuſium in alium dirigit, eum per directionem illam inuadit etiam antecedenter ad exploſionem, & ictum. Et quia licet ſe defendere ab actuali inuaſore in actuali conflictu, etiam cum illius occiſione, licebit eo modo inuaſo inuadentem propriam vitam defendendo occidere.

Ad hæc tamen iuxtà poſteriorem ſententiam dici poteſt eum, qui archibuſium etiam cum glãde in alium dirigit, nondum verè illum phyſicè actu inuadere, per eam arcus, aut archibuſij directionem, nec eam archibuſij directionem dici poſſe actualem vtriuſque conflictum, nec certum eſſe, quod ictus ad eum, in quem dirigitur peruenturus ſit. Præterquamquod is, in quem archibuſium dirigitur, poteſt pluribus modis declinare ictum, vti eſſet mouere ſe in vtramque partem, vt ictus ad ipſum non perueniat, vel cum ille archibuſium iam exploſurus eſt, proſternendo ſe humi, & ſic ictum fugere, vel etiam fugam arripiendo, vel inclinando ſe, ne ictus ad ipſum perueniat &c. Vndè eſt diſpar caſus, cum duo manibus, vel pugionibus, aut enſibus confligunt, cum enim quis enſem, aut pugionem in alium dirigit, vt eum vulneret, eſt conſtitutus in neceſſitate, ſeù infallibilitate ictum manifeſtum recipiendi, nec poteſt ſemper ictum declinare, ac proindè niſi eo pacto inuadentem occidat, non poteſt propriam vitam conſeruare. Quare abſolutè ſecunda ſententia relata, quæ dicitur inuaſum per archibuſij in ipſum directionem non poſſe tali modo inuadentem præuenire, ipſumq; occidere, videtur probabilior, ac tutior.

Extrà hunc caſum omnes aliæ præparationes ad inuadendum, cum ſint remotæ, non ſufficiunt, vt poſſit quis aduerſarium occidere.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum iuſtè ad mortem damnatis liceat ſe contra Iudices, aut exequutores defendere.

ASSERTIO VNICA.

Iuſtè ad mortem damnatis non licet ſe contra Iudices, aut exequutores defendere.

ITA S. Thomas 2. 2. *q. 69. art.* 4. Licitum eſt enim Iudici eos reſiſtentes impugnare, etiam per exequutores. Vndè relinquitur, quod ex parte illorum ſit bellum iniuſtum, ac proindè indubitanter peccant reſiſtendo.

Prætereà, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ipſe ſibi damnationem acquirit, ait Apoſtolus *Rom.* 13. ſed iuſtè condemnatus ſe defendendo poteſtati reſiſtit, quantùm ad hoc, in quo eſt Diuinitùs inſtituta ad vindictam malefactorum; laudem verò bonorum, ergò peccat ſe defendendo.

Nec dicatur, quod naturæ inclinatio eſt ad reſiſtendum corrumpentibus non ſolùm in hominibus, & animalibus, ſed etiã in inſenſibilibus. Id autem ad quod natura inclinat ſemper eſt licitum, quaſi de iure naturali exiſtens. Nam reſpondetur cum Diuo Thoma *art. cit. ad* 1. quod ideò homini data eſt ratio, vt ea, ad quæ natura inclinat, non paſſim, ſed ſecundum rationis ordinem exequatur. Et ideò non quælibet defenſio ſui eſt licita, ſed ſolùm, quæ fit cum debito moderamine.

Poteſt tamen iuſtè ad mortem damnatus fugere; non enim, qui ad mortem damnatur, regulariter damnatur ad manendum in carcere vſque ad executionem ſententiæ. Nam vt ait *art. cit.* S. Thomas ad 2. nullus ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat (nec etiam indirectè) mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur. Et ideò non tenetur facere id vnde mors ſequatur, quod eſt manere in loco, vnde ducitur ad mortem; Tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur, quod iuſtum eſt eum pati; ſicut etiam ſi aliquis condemnatus ſit, vt fame moriatur, non peccat ſi cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat, quia non ſumere eſſet ſeipſum occidere; Indirectè videlicet; Cum enim regulariter, qui ad mortem damnatur, non damnetur, vt faciat actum, quo ſeipſum indirecte occidat, ideò, inquit S. Thomas, quod nullus ita condemnatur, vt ipſe ſibi inferat mortem, hoc eſt indirecte. Certum eſt enim, quod manere in loco, vnde quis ducendus eſt ad mortem, nõ eſt ſeipſum directe occidere; ſicut nec eſt ſeipſum directe occidere abſtinere à cibo ſibi oblato. Aliàs verò certum eſt poſſe ali-

aliquem condemnari, vt maneat in loco, vnde ducendus eſt ad mortem, & vt abſtineat à cibo ſibi oblato. Solùm enim damnari nequit, vt ſeipſum directè occidat. Vnde cum S. Doctor ait ad mortem condemnatum poſſe fugere, nec teneri ad manendum in loco, vnde ducitur ad mortem, id eſt intelligendum, niſi hoc ſpecialiter iniungatur, & niſi ſententia mortis contineat expreſse mandatum, quo reus iubeatur manere in carcere; tunc enim damnatus tenetur obedire; Si enim reus per ſententiam Iudicis poteſt ipſa vita priuari, cur non etiam aliquo actu, quo alioquin potuiſſet eam ſeruare? Nam non conſeruare vitam, non ita pugnat cum inclinatione naturali, vt vel non liceat alicui prætermittere conſeruationem ſuæ vitæ, à fuga abſtinendo, vel hoc ipſum nequeat per Iudicem ſtatui.

Poteſt prætereà reus iuſtè ad mortem damnatus abſque peccato vincula, & carceres rumpere, vt fugiat. Nam id faciendo vtitur iure, quod habet ad fugiendum, & nulli facit iniuriam. Non enim carceres, aut compedes ſunt iniuriæ capaces. Ipſis autem Iuſtitiæ Miniſtris nihil (vt ſupponitur) facit. Neque id facere eſt reſiſtere Iuſtitiæ Miniſtris, aut cum ipſis pugnare, nam ſicut fugere è carcere, non eſt illis reſiſtere, aut cum ipſis pugnare, ita nec vincula, & carceres rumpere, eſt illis reſiſtere, aut cum eis pugnare, ſed eſt ſe à continentia carceris, & vinculorum abſoluere.

Hæc autem omnia multò magis, abſque peccato facere poteſt iniuſtè ad mortem damnatus, cum hic ius fortius habeat ad fugiendum, quàm habeat iuſtè damnatus.

Nec contra id, quod diximus de fuga licita de carceribus reo iuſtè ad mortem damnato, facit, quod ſi reus fugiat, erit cauſa damni Cuſtodibus, qui propterea punientur; Nam vt Caietanus, Bannes, & alij reſpondent, damnum, quod Cuſtodibus ſequitur ex fuga eius, qui in carcere detinebatur, per accidens, ſeù præter intentionem fugientis, ſequitur; & propterea cum ipſe vtatur iure ſuo, detque operam rei licitæ non ei imputatur, nec debet à tali actu abſtinere, vt euitet damnum alterius, ſed ſibi imputent Cuſtodes, quod & tempus, & locum fugæ non impediuerint. Supponendum eſt autem nullum interceſſiſſe pactum rei de fuga non capienda, ſi enim interceſſiſſet, deberet illud ſeruare. Et ſimiliter ſi quis iuſtè morti adiudicandus, eam deprecaretur, ipſique tandem mutaretur pœna mortis in perpetuum carcerem, non videtur, quod liceret ei fugere, quia tacitè videtur renunciare iuri, quod habere poſſet ad fugiendum, per hoc, quod peroptat pœnam carceris loco ſupplicij mortis. Si verò ad permanentiam perpetuam in carcere damnetur, extra caſum permutationis pœnæ mortis in perpetuum carcerem, dicendum eſt, quod reus adhuc poſſet fugere; nam ſecundum communem modum intelligendi, reus non condemnatur, vt ſponte maneat in carcere, ſed vt in eo detineatur; Si tamen Iudex non ſolùm damnaret quempiam ad carcerem, ſed etiam mandaret, vt

in eo maneret, verius videtur, quod obligaretur ad manendum, ſi eius crimina talem pœnam commeruiſſent.

Contra verò id, quod diximus iuſtè ad mortem damnato, licitum eſſe carceres, & compedes effringere non facit, quod iuſtè condemnatus non poſſit reſiſtere Iuſtitiæ. Nam reſpondetur cum Syluio *loc. citato quæſtio 2.* non eſſe licitum reſiſtere Iudici, Iuſtitiæque Miniſtris, ita vt perſonis ipſorum aliqua vis inferatur, licere tamen tum vincula, tum carceres, quæ ſunt res inanimatæ, atque adeò violentiæ ſeù iniuriæ incapaces, rumpere, ſi reus non poſſit aliter ſibi conſulere. Neque Iudex debet exiſtimare, ſibi ipſi vim inferri, nam vis illata creaturis irrationalibus non ſic redundat in Authorem, vel Dominum illarum, vt ipſe dici poſſit paſſus fuiſſe vim, ſeù quod vis fuerit ei illata. Si enim Prælatus Eccleſiaſticus quépiam conijciat in vincula, ipſe autem ea per vim frangat, & fugiat, effractor iſte non erit excommunicatus. At ſi Iudici vim inferret, in excommunicationem incideret. Similiter ſi damnatus ad beſtias, cum eis pugnaret, eaſque occideret, nulla cenſeretur vis illata Iudici, vti nec ſi damnatus ad ignem, eum extingueret. Cœterùm ſicut leuitas materiæ in alijs peccatorum generibus excuſat à mortali, ſic & in propoſito, & propterea ſi reus vim exiguam inferat Cuſtodi, vt ſi dormienti manus alliget, ſi obſiſtentem fugæ à ſe excutiat, in terramque proſternat, ſine læſione, non peccat mortaliter.

Quæ autẽ diximus de reis iuſtè ad mortem damnatis intelligenda ſunt, non ſolùm de reis ad mortem damnatis, qui detinentur in carcere in ordine ad Iudicem, alioſque Iuſtitiæ Miniſtros, ſed eadem intelligenda ſunt de reis ad mortem damnatis extra carcerem manentibus, qui ſunt contumaces, & diffidati, & in ordine non ſolùm ad Iudicem, & alios Iuſtitiæ Miniſtros, ſed etiam in ordine ad alias perſonas priuatas, quæ eos aggrediuntur, vt pœnam contra dictos reos ſtatutam exequantur: ac proindè dicimus contumacibus extra carcerem degentibus non licere ſe à Iudice, & alijs Miniſtris Iuſtitiæ defendere eos occidendo, aut vulnerando, ſed neque id eiſdem licere in perſonas priuatas, quæ eos inſequuntur, & aggrediuntur, vt illos capiant, & Iudici ſiſtant, vel vt eos in exequutionem impoſitæ pœnæ vita priuent. Ratio eſt, quod poſita iuſta ſententia de morte alicuius, nullus ex prædictis eſt iniuſtus aggreſſor, nam omnes illi authoritate publica, & à Republica collata, reum illum ad mortem iam damnatum aggrediuntur, ac proindè reus ille, etſi extra carceres ſit, & perſonæ, quæ eum aggrediuntur, priuatæ perſonæ ſint, non poteſt ſe defendendo illos occidere, vulnerare, aut notabiliter lædere; Hæc enim licita ſunt, & præſtari poſſunt ſolùm aduerſus iniuſtos aggreſsores, vt dictum eſt ſupra.

Porrò Sanctum Thomam in hac etiam ſententia eſſe, colligitur ex his quæ docet *artic. 4. quæſtionis 64. & art. 6. quæſtionis 69. citatis*, nam articulo illo 4. ſolùm iniuſtos aggreſſores licitum eſſe alicui defendendo ſe occidere,

dere, docet; quales eſse addit priuatas perſonas publica authoritate non fungentes; priuatas autem perſonas publica fungentes authoritate, quales dicit eſse milites aduerſus hoſtes, vel Iuſtitiæ Miniſtros aduerſus Latrones pugnantes, non eſse alicui licitum occidere docet, eo quod aduerſus hoſtes, & latrones ex publica pugnent authoritate, idque ad publicum referat bonum; Priuatæ autem perſonæ, quæ capitales bannitos aggrediuntur, vt eos capiant, vel occidant, æquiparantur Iuſtitiæ Miniſtris, quia collata eis à Republica poteſtate id præſtant, idque referunt ad publicum bonum; Vndè ſicut non licet priuatis perſonis Iuſtitiæ Miniſtros eos aggredientes vulnerare, aut occidere, ita nec bannitis licet priuatas perſonas eos aggredientes vulnerare, aut occidere, etiamſi priuatæ illæ perſonæ eos ex odio, vel vindicta aggrediantur; nam id ſolùm probat, quod perſonæ aggredientes peccent, inquit S. Thomas, non verò quod illicitè aggrediantur, ac proindè non licet inuaſis eas occidere. Et hanc eſſe Sancti Doctoris mentem ſuadent etiam rationes, quas idem S. Doctor affert *art. 6. cit. quæſtionis 69.* nam ibi docet, non eſſe poteſtati reſiſtendum ex illo Apoſtoli, *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*; Cum autem priuatæ perſonæ facultatem habeant à publica poteſtate capitales bannitos capiendi, ac occidendi, ſi eas iſti vulnerent, aut occidant, poteſtati reſiſtunt, ac proindè Dei ordinationi, quod non licet. Rurſus alia ratio in eodem articulo à S. Doctore adducta idem probat, nam ſi contumax ad mortem damnatus, reſiſtat perſonæ priuatæ ipſum aggredienti; licitum eſſet Iudici, eum ſic reſiſtentem, & occidentem maiori pœna punire, maioremque pœnam imponere; Vndè argumentum deſumitur, quod ille non poſſit vulnerare, aut interficere aggredientem.

Hanc autem ſententiam communem eſſe inter Doctores affirmant Layman. *oper. moral. Tom. 1. lib. 3. de Iuſtitia tract. 3. par. 3. cap. 2. num. 3.* Anton. de Ballis *varior. tractat. lib. 3. caſu 1. num. 119.* & Farinac. *in Prax. Crim. quæſt. 103. num. 129.* qui & longam Authorum ſeriem eam ſententiam tenentium affert.

Libet autem argumenta hic afferre, quibus tres Authores præfati hanc ſententiam propugnant, vt eorum authoritate, ac ratione ſententia hæc firmata maneat.

Igitur Layman. hoc argumento communem ſententiam firmat. Nam ſi aggreſſor, velut publicæ Iuſtitiæ Miniſter ius habet occidendi proſcriptum (quod ſupponimus, & omnes fatentur) conſequens eſt, quod proſcriptus ei iniuriam inferat, & publicæ poteſtati reſiſtat, ſi ſe defendendo aggreſſorem mutilet, vel occidat. Non enim eſt permiſſa defendēdi facultas, vbi offendendi eſt data libertas, aiunt Doctores *in l. 1. Cod. quando liceat vni. unq; ſine iudice ſe vindicare*. Confirmat primò. Nam alioquin fateri cogemur, licitum eſſe reo publicos lictores, vel Carnificem à quibus ad carcerem, vel ſupplicium ducitur propriæ vitæ ſaluandæ cauſa occidere, quod nemò vnquam dixit. Confirmat ſecundò. Alioquin fateri

co-

cogemur dari poſſe bellum ex vtraque parte per ſe, ac formaliter iuſtum ſecluſa ignorantia: quod omnes negant. His addit quod *l.1. & 2. Cod. facultas vnicuique concedatur occidendi eos*, qui itinera inſidijs aggreſſionis obſederint: Et milites deſertores capiendi, ſin autem reſiſtant occidendi. Hæc Layman.

Farinacius verò eo vtitur argumēto ad eamdem ſententiam firmandam, quod occidens bannitum reputatur Miniſter Iuſtitiæ, & ſicut bannito non eſt permiſſa defenſio aduerſus Miniſtrum Iuſtitiæ volentem ipſum occidere, ita nec etiam aduerſus priuatum.

Id autem multò magis procedere dicit, quando ſtatutum daret licentiam occidendi bannitos, vel cum præmio homines ad illos occidendos inuitaret, & multo magis ſi ad profligandum, & perſequendum, prout faciunt noſtræ Conſtitutiones in certis caſibus, cogeret, & compelleret &c. Immò addit, quod ſi iſto caſu bannitus aggreſſorem occiderit, puniri deberet ordinaria pœna *legis Corneliæ de Sicar. &c.*

At Ballius loco citato, etſi loquatur de bannito reſiſtente ijs, qui eum capiunt, eius tamen argumenta probant bannitum reſiſtere non poſſe quibuſcumque perſonis quæ illum, nedum ex officio Miniſtri, quod gerunt, capiunt, & occidunt, verùm etiam de quibuſcumque alijs perſonis, quæ bannitum capturæ ſunt, aut occiſuræ, etiamſi Miniſtri officium non gerant. Eius autem argumenta præcipua pro hac re hic afferemus. Primum igitur ex præcipuis argumentis, quæ Ballius affert illud eſt. Quod vbi aliquid permittitur, reſiſtere illi actui eſt prohibitum, & ideò vbicumque offenſio eſt iure permiſſa, prohibitum erit huic actui reſiſtere, vt omnes Doctores vnanimiter admittunt *in l. vt vim.*

Aliud Balli, præcipuum argumentum deſumitur ex *textu in l. 4. §. fin. ad l. Aquil.* vbi furem diurnum, ita demum lex permittit occidere, ſi ſe telo defendit, & ita ibi, quia lex permittit actum offenſionis, id eſt, apprehenſionis ipſius furis, idcircò defenſionem denegat: ſic ergo vbi offenſio eſt licita, defenſio denegata videtur, vndè ſequitur, quod ſi ſtatutum permittit bannitum occidi, defenſionem denegare videtur.

Tandem id ipſum probat *ex textu 2. in l. C. quando ſic ſine Iud.* vbi iure permittitur Prouincialibus facultatē apprehēdendi, & reſiſtētibus occidendi, & ſic probat, quod defenſio eſt prohibita, vbi offenſio eſt permiſſa. Ex quibus concludit Ballius, quod hæc ſententia ſit veriſſima, quam tenuerunt *in d. l. vt vim* Bar. Paul. Dec. & alij. Nell. *de bannitis in 2. par. 2. tempor. quæſt.* 49. Et communiter teſtatur Claud. *num.* 23. quem refert Iul. Clar. *in § homic. verſ. in hoc etiam*, com. dicit Io: Bolognet. *ibi num.* 15.

Oppoſitam ſententiam tenuere Baldus, & Mar. Salomon. qui ambo afferunt rationes pro, & contra, & concludunt pro affirmatiua; Marian. Soccin. Zabarell. Duent. Canerius locis relatis à Farinac. *d. quæſt.* 115. *num.* 114. *verſ. contrarium.*

Horum argumenta refert, & ſoluit Ballius *loc. cit.* & nos ea hic afferemus,

mus, & cum eo ſoluemus.

Obijciunt igitur primò, Quod defenſio eſt de iure gentium, & naturali, vt dicunt Doctores *in l. vt vim, & in l. 1. cum Arietes ſi quat. paup. fec.* dicta iura autẽ ſunt immutabilia *§. pen. inſt. de iur. nat.* Igitur defenſio tolli non poteſt per diſpoſitiones Iuris ciuilis permittentes bannitos occidi poſſe; comprobatur hoc *in Clem. paſtoralis §. cæterum de re iudic.* vbi expreſsè dicitur neque ab Imperatore defenſio tolli poteſt, & *text.* loquitur de iudiciali defenſione, multò fortius in defenſione de iure naturali competente, vim vi repellendo, quæ ipſa natura comparatur *d. l. 1. §. cum arietes*, & diximus ſupra.

Secundò arguunt ex *text. in l. 1. §. vim vi in fine ff. de vi, & vi arma. & l. pen. § qui cum aliter ad l. Aquil.* vbi vim vi repellere licet, hocque omni iure, vbi quis aliter tueri non poteſt; idem dicitur *in cap. ſignificaſti 2. de homic.*

Tertiò. Statutum permittens occiſionem banniti, non loquitur de eius defenſione prohibita; igitur non prohibere videtur, nam verba ſtatutorum ſtrictè ſunt accipienda, & ab eis non recedendum *l. quod conſtitutum de milit. teſta. l. Conſtitutionibus in fin. ad muni.* & nullam admittunt extenſionem, *C. fin. de iniur.* & præſertim cum ſint pœnalia, *cap. odia, & cap. in pœnis de reg. iur. in 6.*

Quartò. Vbi illicita eſt offenſio, permittitur defenſio *d. l. vt vim*, & ibi omnes communiter, nam hic eſt offenſio illicita, quia iure Diuino ſcriptum eſt, *Non occides:* Igitur ſtatutum in contrarium non valet, & per conſequens, qui occidit, illicitè facit; *cap. vlt. de conſuet.* lex quæ ſine peccato ſeruari non poteſt, ſeruanda non eſt *cap. vlt. de præſcript.* Eatenus lex valet, quatenus eſt honeſta *cap. erit 4. diſt.* Si ergo hoc ſtatutum inducit homines ad peccandum non valet. Et licet lex, ſiuè ſtatutum impunitatem permittat, negari non poteſt, quod occidens, non ſit delinquens, Bald. *in l. 1. & 2. ff. ne quis eum qui in ius voca.* & *in l. decuriones Cod. ex quibus cau. infam. irrog.* idem vult Bar. *in l. 1. ff. de his quib. vt indign.* & quamuis aliqua ſine pœna fieri poſſint, non tamen carent vitio, aut dedecore *cap. nec vi 13. diſſin.*

Quintò hanc partem tenet Scipio Gentilis in annot. ad Torquatum Taſſum de Hyeruſalem liberata ſtantia prima. Mouetur, quia defenſio eſt legis naturæ, & authoritate Liuij, ex dicto *cap. Sanitiori*, ibi, iuſtum eſt bellum quibus neceſſarium, & pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes, confidens in opinione Alciati, qui reiecta opinione Legiſtarum vult, quod ex vtraque parte bellum eſt iuſtum, vt ibi per eum.

Sed has rationes communi ſententiæ non obſtare bene oſtendit Ballius *loco citato*. Non obſtat, inquit, prima ratio, in contrarium adducta, nec & ſecunda, quod defenſio non poteſt tolli, quia procederet ante condemnationem, hic iam eſt condemnatus per Statutum, ideo non poteſt ſe defendere, ne delicta remaneant impunita. *L. Si ita vulneratus, in fin. ad leg. Aquil.* & licet defenſio non tollatur, intellige ſine cauſa, ſed vt delicta puniantur, & Statuta non ſint elu-

eluſoria, tolluntur: nam iura, quæ permittunt defenſiones, loquuntur, vbi offenſio eſt illicita, ſecus vbi permiſſa; quia à contrario prohibetur defenſio, & omnes ſic concludunt in *l. vt vim*.

Non obſtat quod Statutum non loquitur de defenſione, ideo non extendendum, quia in caſu iſto non fit extenſio, immò neceſſariò ex verbis Statuti colligitur, quatenus enim permittit offenſionem, tollit neceſſariò defenſionem.

Non obſtat quartum, quod Statutum ſit illicitum contra præceptum, *Non occides*, & per conſequens, quod offenſio ſit illicita, aduerſus quam poteſt fieri defenſio per *not. in dicta l. vt vim*, quia offenſio eſt facta, & permiſſa legis authoritate, nam ius naturale poteſt per leges humanas diſtingui, & declarari, vt volunt omnes in *L. vlt. C. Si contra ius vel vtil. publ.* & *in cap. Quæ in Eccleſiarum*, & quod dicitur, *Non occides*, intelligitur ſine legis permiſſu, *cap. Reos in fine qu.* 5.

Vel aliter dicas, quod tale Statutum non militat; nec corrigit ius naturale, vel Diuinum: ſed adimplet voluntatem Diuinam, exequitur, & coadiuuat ordinatum de iure Diuino, quo iure eſt Statutum, ne malefici patiantur viuere ſuper terram *cap.* 22. *Exodi*; & idem Dominus iubet coeuntem cum beſtijs, adulteros, & blaſphemos lapidari, abſque miſericordia, & morte mulctari ex eodem *cap.* 28. & Deuter. *cap.* 17. ex eodem 32. & fuit reputatum ad iuſtitiam ei, qui transfixit gladio coeuntem cum Madianita *num.* 23. præceptum eſt igitur, vt interficiantur malefici, & ad hoc ſunt poteſtates ordinatæ, tamquam Miniſtri, & vltores Dei: *cap. Non ſolum, cap. Qui malos,* 23. *qu.* 5. Quibus præcepit Dominus omnem animam eſſe ſubiectam, aliàs morte moriatur, *cap.* 2. *de maior. & obed.* Ergo meritò Statutum licitum contra maleficos: vera eſt igitur concluſio, Bannitum non poſſe ſe defendere: vbi à Statuto, ſeu lege permittitur offenſio.

Non obſtat quinta ratio, quia loquitur in bello generali; nos loquimur in particulari, & vbi eſt expreſſa lex permittens homicidium Banniti, & illi legi particulari reſiſti non poteſt ſecundum communem opinionem Doctorum.

Ioannes de Lignano in tractatu *de bello quæſt.* 86. & Nellus *de Bann. in* 2. *par.* 2. *tempor. quæſt.* 49. Diſtinguunt in hac re aſſerentes, quod ſi Statutum permittat bannitum occidere, hoc caſu cenſeri ſublatam defenſionem; ſecus ſi Statutum diceret, Bannitum impunè offendi, tunc non eſſe denegatam defenſionem, & rationem diuerſitatis dicunt eſſe, quia primo caſu actus occidendi eſt licitus, ideo defenſio denegatur. In ſecundo caſu eſt impunitus, non licitus, quaſi quod tolleratur, non permittitur, & laudatur, & hoc longè minus eſt, quàm facere homicidium licitum.

Sed hæc diſtinctio, inquit Ballius ſuſtineri nequit, nam effectus verborum Statuti eſt inſpiciẽdus, quia verba accipiuntur ſecundum ſubiectam materiam, *L. Si vno ff. loca, cum ſim. l. cap. intelligentia de verb. ſignific.* Cum ergo mens Statuti ſit, vt bannitus tanquam hoſtis occidi poſſit, parui

refert,

refert, quomodo eius verba concipiantur: quia cum vtroque modo permittat actum, qui aliàs ſui natura erat illicitus, dicendum eſt, quod eumdem actum fecerit licitum; & ita Statutum non tollerat, ſed inducit id, quod ante non erat, ergo actus eſt licitus, aliàs ſequeretur abſurdum, quod lex induceret, quæ ſunt illicita cum tamen illicita à lege puniantur. *L. 1. & 2. in fin. leg. &c.* Hæc & alia plura pro hac re apud Laudatũ Balliũ.

Nos verò addimus, quod ex illo principio: *Defenſio ſui eſt de iure naturæ*, nullum contra noſtram ſententiam deſumi poteſt argumentum. Animaduertendum eſt enim aliud eſſe quod aliquid ſit de Iure naturæ, & aliud eſſe, quod aliquid ſit de inclinatione naturæ, aliqua enim ſunt de inclinatione naturæ, quæ non ſunt de iure naturæ; nam ius naturæ eſt illud, quod ratio naturalis immediatè dictat, ac proinde iuſtum eſt, ac æquum: non autem omne, quod eſt de inclinatione naturæ dictatur à ratione naturali, immò ratio naturalis plura corrigit in homine, quæ ſunt de illius inclinatione phyſica, & naturali; ſic igitur hoc, quod eſt, iuſtè damnatum ſe defendere, & reſiſtere Iuſtitiæ Miniſtris, aut alijs publica authoritate pollentibus, eſt quidem de inclinatione naturæ, quia natura inclinat naturaliter ad repellendum nociua; ſed hoc ipſum non eſt de iure naturę, quia non dictatur à recta ratione, immo recta ratio dictat, vt reus damnatus obediat legibus, & Iudici eiſque non reſiſtat; nam cum reus iam iudicatus eſt, & damnatus, iam non eſt capax defenſionis, & ideò defenſio ſui ipſius, tunc non eſt de iure naturæ, licet aliquando & in aliquo, vel iniuſtè damnato, vel in damnando iuſtè, ante condemnationem defenſio ſit de iure naturæ, & ideo S. Thomas loco ſupra citato docet, quod non valet dicere, quod naturæ inclinatio ſit ad reſiſtendum corrumpentibus, non ſolùm in hominibus, & animalibus, ſed etiã in inſenſibilibus, & id ad quod natura inclinat ſemper eſt licitum, quaſi de iure naturali exiſtens. Nam ideò inquit S. Doctor: *Homini data eſt ratio, vt ea, ad quæ natura inclinat, ne paſſim, ſed ſecundum rationis ordinem exequatur*, & ideò non quælibet defenſio ſui eſt licita, ſed ſolùm, quæ fit cum debito moderamine, quare in re præſenti malè intelligitur, & applicatur ab Aduerſarijs principium illud: *Defenſio ſui eſt de iure naturæ*, confundendo id, quod eſt de inclinatione naturæ, cum eo quod eſt de iure naturæ, vnde lex non corrigit ius naturæ, ſed ratio naturalis corrigit inclinationem naturalem in his in quibus eſt corrigenda.

Quamuis ergo in caſu de quo agimus, defendere ſe, & reſiſtere ſit de inclinatione naturæ, non tamen eſt de iure naturæ: nam in eo ſtatu, & in illis circumſtantijs, æquum non eſt reſiſtere: erecta autem ratio non dictat, nec dictare poteſt, quod hic, & nunc æquum non eſt, vnde proſcriptus non poteſt licitè reſiſtere. Quare axioma illud, *Defenſio ſui eſt de iure naturæ*, non eſt ita admittendum, vt abſolutè, & in omnibus caſibus admittendum ſit, ſed diſtinguẽdi ſunt caſus, & circumſtantiæ; aliàs

Mm nimis

mis probaret; nã probaret, quod iuſtè damnatus etiam ad mortem, dum actualiter ad eam ducitur, poſſit reſiſtere Miniſtris, eos occidẽdo, ſi hoc pacto poſſit vitã ſeruare, quod non licet.

Quapropter, vt ea, quæ ſunt de inclinatione naturæ, ſint etiam de iure naturæ, ac proinde licita, immò debita, exigitur, vt ſint conformia rectæ rationi, & nonniſi iuxta dictamen rectæ rationis procedant: & ſic, vt defenſio ſui, ſit de iure naturæ, ac proinde licita, exigitur, vt ſit conformis rectæ rationi, & nonniſi iuxta dictamẽ rectæ rationis procedat, aliàs erit illegitima, & irrationabilis. At recta ratio dictat vt homo non ſe defendat aduerſus eum, qui ſupra ipſum legitimam habet poteſtatem, cuiuſmodi ſunt Præſides, eorumque Miniſtri; vnde eſt contra ius naturæ, & contra Ius Diuinum eis reſiſtere, iuxta illud Apoſtoli: *Qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit*. Rurſus recta ratio dictat, vt homo aduerſus eum, qui ſupra ipſum legitimam poteſtatem non habet, ſe ipſum defendat, ſed cum moderamine, ita vt ſe defendendo non adhibeat maiorem vim, quàm oporteat, vt diximus ſupra, ac præterea recta ratio dictat, vt cum quis aduerſus iniuſtum aggreſſorem ſe defendit illius occiſionem non intendat, etiamſi hæc ſequutura ſit, eamque ſe defendens ſequuturam præuideat, vt conſtat ex dictis.

Nec verò in præſenti locum habent, quæ de iniuſti aggreſſoris occiſione diximus ſupra, quod nempe liceat iniuſtum aggreſſorem occidere, intendendo tamen ſolam ſui defenſionem, non verò aggreſſoris occiſionem, hæc, inquam, in præſenti locum non habent: nam cum in præſenti non ſit quæſtio de iniuſto aggreſſore, ſed de aggreſſore iuſto, ac de illo, qui publica polleat authoritate in malefactorem, non poteſt malefactor iam ad mortem damnatus ſeipſum aduerſus eum defendere actione, quæ coniunctam habere poſſit illius occiſionem, aut læſionem, etiamſi eius occiſionem, aut læſionem non intenderet; nam cum ſit iuſtè damnatus ad mortem, non licèt ei vllo modo iuſtum aggreſſorem occidere, id eſt, nec per actionem defenſiuam, ad quam præter eius intentionem ſequi poſſit aggreſſoris occiſio, aut læſio; nam non tenetur iuſtè damnatus ad mortem conſeruare ſuam vitam aduerſus iuſtum aggreſſorem, ac proindè non licèt ei actionem præſtare, quæ ſit iuſti aggreſſoris occiſiua: eatenus enim diximus, licitum eſſe alicui occidere iniuſtum aggreſſorem ſe defendendo, quatenus eſt iniuſtus aggreſſor, id eſt, perſona nulla publica authoritate in ipſum pollens, cuius vitæ proindè debeat inuaſus propriam vitam præferre: at ſi aggreſſor non ſit iniuſtus, nec priuata perſona, ſed ſit perſona publica, & publica pollens authoritate, non tenetur inuaſus propriam vitam præferre vitæ illius, ac proindè non habet vnde licitè ipſum occidere, vel lædere poſſit ſe defendendo.

Poteſt tamen ad mortem proſcriptus, fugere perſecutores, & quantùm poteſt eos declinare, ne ab ipſis capiatur, vel ſe domi claudere, & alia impedimenta apponere, & rurſus

cum

cùm inuaditur ictus inuadentium repellere, & inuadentibus reſiſtere, citra tamen omnem læſionem, & occiſionem inuadentium.

Nec facit contrapræceptum, *Non occides*, qui ex Principis edicto occidit ad mortem proſcriptos, ſicut nec Reſpublica, aut Princeps, qui malefactores occidi mandat contra illud præceptum facit; nam de occidendis malefactoribus impoſitum eſt præceptum à Deo, nam idem, qui Exodi 20. dixerat: *Non occides*, cap. 22. ait, *Maleficos non patieris viuere*, & Leuit. 20. *Adulteros*, cap. 24. *Blaſphemos*, Deut. 19. *Homicidas*, c. 11. *Filios contumaces* iuſſit morte puniri, generaliter cap. illo 21. pronunciat. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti, appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno*; ſed & Dauid Pſalm. 100. generatim ait: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Et Apoſt. ad Rom. 13. *Si malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in irã ei, qui malum agit.* Sic ergo eum Princeps, aut Reſpublica poſſit malefactores occidere, facultatem eos occidendi alijs committere poteſt, & hi ſunt eorum Miniſtri, & alij; vnde qui proſcriptos occidit, ſimpliciter quidem eſt priuata perſona, ſed in eo facto, ſeu caſu habet authoritatem publicam cõceſſam à Principe, qui ſi eſt ſupremus poteſt huiuſmodi proſcriptiones facere, quando ſatis conſtat de crimine, neque vel malum impendens, alia via impediri poteſt, vel peccator, quem omninò expedit de medio tolli, aliter nõ poteſt haberi

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum iniuſtè ad mortem damnato liceat ſe per vim defendere cum occiſione Iudicis, qui ſententiam iniuſtam tulit, ſi alia via nequeat mortem euadere.

QVAESTIO eſt, de damnato iniuſtè, vel quia damnatus ſit ſine proceſſu, vel quia in cõdemnatione Iuris ordo non ſit ſeruatus, vel quia condemnatus ſit contra allegata, & probata, nam de innocente ſecundùm allegata, & probata reo inuento, & condemnato eſt alia difficultas de qua ſequenti quæſtione.

In præſenti autem quæſtione affirmatiuam ſententiam ſuſtinẽt Molina *de Iuſtitia, & Iure tr. 3. diſp. 12. num. 3.* Cardinalis de Lugo *tom. 2. diſp. 40. ſect. 4. num. 38.* Vaſquez *in 1. 2. D. Thom. tom. 2. diſp. 174. cap. 1.*

 num. 3.

num. 3. vbi ait. Certum eſſe, quod iniuſtè damnatus ad mortem, ſi ei conſtet de iniuſta ſententia, aut quia pœna inflicta per ſententiam culpam excedat, aut quia culpa non fuit ſufficienter probata, poteſt ſe ipſum armis defendere ab iniquo Iudice, etiam eum occidendo, & ab iniquis Miniſtris, eo quod per iniquam ſententiã ipſum iniuſtè aggrediantur; iniuriam autem imminentem iniuſtæ mortis, quiſque propulſare poteſt, etiam occidendo inuaſorem. Quod autem aliquis aggrediatur aliquem armis, vel iniqua ſententia perinde eſt. Hæc Vaſquez.

ASSERTIO VNICA.

Iniuſtè ad mortem damnato non licet ſe defendere, cum occiſione Iudicis, qui ſententiam iniuſtam tulit, etiamſi hac via, & non alia poſsit mortem euadere.

IN hanc ſententiam venire omnes illos Authores neceſſe eſt, qui aſſerunt, non eſſe licitum alicui inimicum præuenire, quamuis ille aliquid agat, aut egerit in ordine ad aggreſſionem, quam ſententiam veram, ac omnino tenendam diximus. Eadem enim argumenta pro vtraque ſententia militant; nam Iudex, qui ſententiam iniuſtam aduerſus aliquem pronunciat, dici nequit inuaſor, ſeu aggreſſor illius, nec ſententiam aduerſus aliquem pronunciare, eſt illum inuadere, aut aggredi inuaſione, & aggreſſione illa, cui ſecundùm iura reſiſtentia cum vi permittitur, nam iura reſiſtentiam cum vi permittunt aduerſus aggredientem aliquem per phyſicam vim in ipſam perſonam directam, ita vt inferatur phyſica violentia perſonæ ab alia perſona, per operationes, aut ictus actualiter tendentes in eius necem in actuali conflictu; id autem non verificatur, cum Iudex ſententiam, quantumuis iniuſtam in aliquem pronunciat, quãuis enim Iudex iniuſtam ſententiam aduerſus aliquem pronunciet, ipſumque ad mortem deducendum in carcere detineat, non ideo cum illo perſonaliter, & actu confligit; & ſententiam in aliquem pronunciare, non eſt phyſicè in illum agere, ſed moraliter, & detinere in carcere non eſt confligere.

Ratio autem quare licitum ſit ſolum in actuali perſonali conflictu ſe ipſum defendendo aduerſarium occidere, illa eſt, quia tunc ſolum alicui licet ſe defendere, cum occiſione inuaſoris, cum ille ad necem inuaditur, & ita ad necem inuaditur, vt inuaſus conſtitutus ſit in extremo periculo, & mortem euadere, nequeat, niſi aggreſſorem occidat; hæc autem locum nõ habent, niſi cum quis actualiter, & perſonaliter ab Aduerſario inuaditur in actuali congreſſu; nam in caſu iniuſtæ ſententiæ à Iudice latæ, non adeſt hoc extremum periculum, tunc enim ille non eſt propriè inuaſus, & Iudex ſemper mutare poteſt iudicium, & reuocare ſententiã; Rurſus condemnatus poteſt ante ſententiæ executionem alijs vijs ſe ipſum defendere, nempe iterum, atque

que iterum proponendo iudici ſuas rationes, ſuamque innocentiam, ex quibus iudex moueri poteſt ad ſententiam reuocandam; Vnde per iniuſtam ſententiam condemnatus non impetitur, aut vrgetur phyſicè ad mortem, ſicut vrgetur, qui perſonaliter inuaditur in congreſſu actuali ab Aduerſario, tunc enim nulla alia via euadendi, aut ſe defendendi occurrit, niſi defenſio eum occiſione inuaſoris.

Et cum lex, ſeu præceptum de non occidendo ſtrictiſſimum ſit, & vix excipi poſſit in caſu iuſtæ defenſionis ſui ipſius, non eſt admittenda alia exceptio, & quæ admittitur ad nullum alium caſum præter dictum extendi debet.

Sed & ſi iudex, aut Princeps tyrannicè, & ſine proceſſu aliquem ad mortem damnauerit, eumque ad ſupplicium ducendum in carcere detineat; non poſſet ſic damnatus, & detentus in carcere Iudicem, aut Principem occidere, etiamſi hac via, & non alia poſſit mortem euadere, idque ex eiſdem rationibus, quas modò pro alio caſu de iniuſte per proceſſum condemnato adduximus, nam illæ pro ſententia negante in vtroque caſu militant.

Videtur tamen, quod in hoc ſecundo caſu poſſit ille proripere ſe de manibus lictorum, etiam cum illorum occiſione quando ad mortem pertrahitur, eiſque ſupponitur nota iniuſtitia iudicis, aut Principis; nam perinde eſt, ac ſi ille à Latronibus inuaſus duceretur ad mortem, in quo caſu certum eſt, latronibus etiam cũ illorum occiſione reſiſti poſſe, ſi ea via, & non alia, mors poſſit effugi, & lictoribus notum ſit, illum ad mortem ſine proceſſu damnatum fuiſſe.

Aliter autem dicendum eſt, cum quis per proceſſum, & per ſententiã in figura iudicij damnatus eſt ad mortem, & ad ſupplicium ducitur, non poſſe videlicet iſtum de manibus ſatellitum cum eorum occiſione, aut notabili detrimento ſe proripere, etiamſi ipſis quoque ſatellitibus nota ſit iniuſtitia ſententiæ; cum enim notitia illa, ſit notitia priuata, & non iudicialis, non poteſt condemnatus eis tanquam Miniſtris iniuſtis cum inuadentibus per vim, & cum eorum læſione reſiſtere, notitia verò iudicialis non poteſt in eis præſupponi, & ideo nullatenus eis per vim, cum eorum notabili læſione reſiſti poteſt.

Obijci poſſet contra dicta S. Thomam 2-2. *quæſt. 69. art. 4.* vbi ait, quod ſi aliquis condemnetur iniuſte, tale iudicium ſimile eſt violentiæ latronum, ſecundum illud Ezech. 22. *Principes eius in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem*, & ideo ſubdit S. Doctor, *ſicut licet reſiſtere latronibus, ita licet reſiſtere in tali caſu malis Principibus, niſi forte propter ſcandalum vitandum, cum ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur.*

Reſpondetur, quod S. Doctor non ait, in caſu iniuſti iudicij licitum eſſe reſiſtere malis Principibus, aut Iudicibus cum eorum occiſione, ſed abſolute quod liceat malis Principibus, aut Iudicibus reſiſtere: reſiſtere autem quis poteſt pluribus modis etiã citra occiſionem, aut notabilem læſionem iudicis. Poteſt enim iniuſté dam-

damnatus abſque peccato iudici iniuſto non obedire, fugere de carcere, ſi poſſit, etiam cum carceris fractione, reficiendo tamen poſtea damnum, ſi ſit notabile. Poteſt etiam aliquam vim inferre Miniſtris, & Cuſtodibus, non tamen cum eorum notabili læſione. Poteſt ſuas rationes iterum, atque iterum iudici proponere, ſuamque innocentiam oſtendere. Poteſt ad ſupetiorem iudicem recurrere, & alia huiuſmodi peragere, quæ reſiſtentiam importent fine occiſione, aut læſione notabili.

De hac ergo reſiſtentia citra occiſionem, & læſionẽ loquitur S. Thomas, cum ait, quod in caſu iniuſtæ condemnationis liceat reſiſtere malis Principibus, & de eadem reſiſtentia loquuntur, quos pro ſententia aſſerente reſiſti poſſe iudici iniuſto, qui ſententiam iniuſtam tulit plena manu congerit, & ſequitur Farinac. *Prax. crim. tom. primo par. 2: tit. de Carceribus & Carceratis quæſt. 32. & tom. 2. num. 93.* vbi ſic ait, *Iudici iniuſtè exequenti, eius Officialibus, & Executoribus, poſſe de facto reſiſti admittunt omnes: num. vero* 104. *in fine* ex Luca de Penna dat regulam, quod in omni caſu, quo dictum eſt poſſe reſiſti officiali excedenti, intelligendum ſit de reſiſtentia legitima, non autem effrenata per Text. *in cap. Ad hæc 16. quæſt. prima*, quod etiam ſcripſiſſe ait, Par. de Put. de Synd. *verb. reſiſtentia c. 2. num. 3. & tom. 2. par. 2. tit. de homicidio quæſt.* 124. *num.* 101. ſic ait *Limita primo propoſitam regulam* (*ſcilicet, quod licet illatam iniuriam nullo modo armis repellere liceat, inferendam tamen, ſi aliter quis ne inferatur effugere nequeat, & manibus, & fuſtibus comprimere non eſt illicitum*) *non procedere aduerſus Magiſtratum, qui licet iniuſtè aliquid faciat, non poteſt illi à priuatis reſiſti, quia cum iure publico vtatur, iniuriam facere non dicitur, & propterea non eſt locus propulſationi iniuriæ, quia Iuris executio iniuriam non habet, &c.*

Et quoad S. Thomam, notanda ſunt eius verba loco citato, non enim ait, iudicium iniuſtum par eſſe, aut æquiparari violentiæ latronum, ſed ait iudicium iniuſtum ſimile eſſe violentiæ latronum, ſimilitudo autem proportionem, non æqualitatem ſignificat. Vnde ex his verbis, non licet inferre, quod ſi licet latronibus reſiſtere cum eorum occiſione, liceat etiam reſiſtere iudici cum occiſione illius. Immo cum S. Doctor ſubdit (*ſicut licet reſiſtere latronibus, ita licet reſiſtere in tali caſu malis Principibus*) indicat reſiſtentiam malis Principibus faciendam, non debere eſſe eiuſdem rationis cum reſiſtentia, quæ fit latronibus, ſed ad illam inferiorem. Quamuis enim vocula *ſicut* aliquando ſignificet æqualitatem, aliquando tamen ſignificat ſolùm ſimilitudinẽ, vt Matth. 5. *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Ioann. 13. *vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. Act. 3. & 7. *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus, de fratribus veſtris tanquam me*, ſiue (vt Deuter. 18. habetur) *ſicut me*, hoc eſt, *ſimilem mei*, vt ex iſtius c. 18. *verſ.* 18. *patet*. Iuxta hæc S. Thomas *par. prima qu. 60. art. 4. ad 2.* explicans illud, quod quis naturaliter diligat alium, ſicut ſeipſum, ſic ait, (*Ad ſecundum di-*

cen-

cendum, quod ly ſicut non deſignat æqualitatem, ſed ſimilitudinem. Cum enim dilectio naturalis ſuper vnitatem naturalem fundetur, illud, quod eſt minus vnum cum eo, naturaliter minus diligit. Vnde naturaliter plus diligit, quod eſt vnum numero, quam quod eſt vnum ſpecie, vel genere. Sed naturale eſt, quod ſimilem dilectionem habeat ad alterum, ſicut ad ſeipſum, quantùm ad hoc, quod ſicut ſeipſum diligit in quantum vult ſibi bonum, ita alium diligat in quantum vult eius bonum (*&* 2.2. *quæſt.*26 *art.*4. ex hoc ipſo, quod dicitur Leuit. 19. & Matth. 22. (*Diliges proximum tuum ſicut teipſum*) deducit proximum non eſſe diligendum æqualiter cum ſeipſo, & plus diligendum eſſe ſeipſum, quam proximum. Cum enim in eo articulo quæſtionem proponat, *vtrum homo ex charitate magis debeat diligere ſeipſum, quàm proximum*, & aliqua argumenta proponat, quibus probari videtur, quod homo ex charitate non magis debeat diligere ſeipſum, quam proximum, quæſtionem reſoluit dicendo, quod homo ex charitate magis debet deligere ſeipſum, quã proximum. Et in argumento, ſed contra ſic ait (*Sed contra eſt, quod dicitur Leuit.* 19. *&* *Matt.* 22. *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Ex quo videtur, quod dilectio hominis ad ſeipſum eſt ſicut exemplar dilectionis, quæ habetur ad alterum, ſed exemplar potius eſt quam exemplatum, ergo homo ex charitate magis debet diligere ſeipſum, quàm proximum*) Sic & in eodem ſenſu accepiſſe Diuum Thomam particulam *ſicut* dicendum eſt, cum ait, *Malis Principibus reſiſtendum eſſe ſicut Latronibus*, quod videlicet ly *ſicut*, deſignet ſimilitudinem, non æqualitatẽ, nam hoc modo accepiſſe ibi particulam *ſicut* conſtat ex his, quæ ex eodem Diuo Thoma adduximus ſupra: ad probandum, quod ſolum in actuali & phyſico duorum conflictu liceat inuaſo defendendo ſe, inuadentem occidere, ac proinde; cum ait Sanctus Thomas, *Reſiſtendum eſſe malis Principibus, ſicut reſiſtitur Latronibus*, non eſt ſenſus, quod eodem modo, quo reſiſtitur latronibus reſiſti poſſit malis Principibus; ſed quod ſicut latronibus reſiſti poteſt cum eorum occiſione, ita aliquo pacto reſiſti poſſit malis Principibus: & cum reſiſtentia, quæ fit latronibus, ſit velut exemplar reſiſtẽtiæ, quæ poteſt fieri malis Principibus, & exemplar potius ſit, quam exemplatum, ex hoc deducitur, quod iuxta eũ̃dẽ S. Doctorẽ maior reſiſtentia facienda ſit latronibus, quàm malis Principibus, quibus proinde minori reſiſtentia reſiſti debet, ac proinde infra occiſionem, ac notabilem læſionem. Vnde non dixit S. Thomas, quod licet reſiſtere malis Principibus, eo modo, quo reſiſtitur latronibus, ſed dixit, quod licet reſiſtere malis Principibus, ſicut licet reſiſtere latronibus, qui modus loquendi deſignat proportionem inter vtrãque reſiſtentiam, non æqualitatem.

Obijcies S. Thomam *art.* 4. *cit. ex qu.*69. 2.2. dicentem, quod liceat in tali caſu reſiſtere malis Principibus, niſi forte propter ſcandalum vitandũ, cum ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur. Et grauis turbatio oriri non poſſit, niſi in caſu occiſionis, aut læſionis notabilis iudicis, aut Principis, ac proinde cum D. Thomas ait. Li-

ci-

citum eſſe reſiſterè malis Principibus, loquitur de reſiſtentia cum occiſione, aut graui læſione Principis.

Reſpondetur, quod etiam ex reſiſtentia ſine occiſione, & graui læſione Principis, aut iudicis poteſt oriri grauis turbatio Reipublicæ, & ideo obiectio nullius eſt momenti.

Modus autem, quo proportione ſeruata inter malos Principes, & Latrones, reſiſtendum eſt malis Principibus citra eorum occiſionem, eſt ille, quod iniuſtè damnatis à malis Principibus liceat eiſdem exprobrare illorum iniuſtitiam, & iniquitatem ob latam contra ipſos iniquã ſententiã & aduerſus eos exclamare, ac de illorum manibus, violenter etiam, ſi poſſint ſe proripere, citra tamen eorumdem dem occiſionem, & læſionem, & fugam etiam arripere, ſi poſſint, quod quidem licet etiam à iuſtè ad mortem damnatis præſtari poſſit, vt diximus, potiori iure præſtari poteſt ab iniuſtè damnatis, ob ius, quod retinent fugiendi etiam poſt condemnationem; iniuſtè verò dãnatis fugere licet etiã ob iniuſtitiam, quam patiuntur.

Poteſt etiam dici, cum S. Thomas dicit, licere ad mortem damnatis, reſiſtere malis Principibus, ſicut reſiſtitur latronibus, S. Doctorem loqui de Principibus, qui abſque forma iudicij, & more latronum innocentem ad mortem damnant; tunc enim eis reſiſti poteſt, ac ſi eſſent latrones, occidendo eorum lictores, & ſatellites, dum alligare, & adducere curant innocentem ad mortem, id enim eſt reſiſtere malis Principibus, ac ſi eſſent latrones, etiamſi mali Principes non occidantur, ſed ſolum occidantur eorum lictores, ſi damnationis iniquitas notoria ſit, & certa apud omnes alios.

Si autem quis ad iniuſtam mortem à Tyranno damnatur, licitè poteſt Tyrannum occidere, non quia illum iniuſte ad mortem damnauit, ſed quia Tyrannus eſt, ea communi ratione, quia cuilibet licet occidere Tyrannum. In hoc tamen ſupponenda eſt communis Doctorum doctrina; quod is, qui ſolo regimine eſt Tyrannus, ſiue qui iuſto titulo regnum, aut principatum obtinet, ſed tyrannicè dominatur, non licet alicui priuato illum occidere, quia huiuſmodi Tyrannus habet legitimum ius, manetque Superior: non licet autem inferioribus occidere Superiores, ſed debent eis tametſi diſcolis, piorumque perſecutoribus obedire ad Rom. 13. & 1. Petri 2. Vnde in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 15. damnatus fuit articulus dicens: *Quemlibet Tyrannum poſſe occidi per quemcumque vaſſallum, uel ſubditum* eum tamen Tyrannum, qui nullum habens ius ad regnum, illud per vim inuadit, ſeu occupat, licet perſonis priuatis interficere, quamdiu Reſpublica in eum non conſenſit; modò hæc adſint. Primùm, quod conſtet eum nullum ius habere. Secundùm, quod non eadem, aut maiora mala timeantur eo occiſo, quam tollerato. Tertium, quod non ſit aliquis ſuperior, qui poſſit adiri, ad obuiandum iſti malo. Ratio eſt, quia licet vim vi repellere. Cum ergo Reſpublica vim ab illo Tyranno patiatur, licet vnicuiq; iſtius Reipublicæ parti eam vim repellere, Tyrannum occidendo,

do, quando non ſuppetit alius modus. Immò videntur etiam iſti, qui non ſunt iſtius Reipublicæ partes poſſe eumdem Tyrannum occidere, iure defenſionis: Licet enim occidere inuaſorem innocentis, quando ipſe non poteſt aliter defendi; nec verò id eſt præuenire futurum inuaſorem, ſed eſt actualem inuaſorem Reipublicæ, ipſam defendendo, occidere. Nam Tyrannus actu, & phyſicè Rempublicam inuadit, eo ipſo, quod in eius dominio tyrannico ſe conſeruat; vndè eſt continuus aggreſſor Reipublicæ, & continuò permanet in ea aggreſſione, ita communiter Doctores in hac materia.

QVAESTIO NONA.

Vtrum innocens ad mortem damnatus per ſententiam ſecundum allegata, & probata iuſtam, poſsit abſque peccato Iudicem, qui eiuſmodi ſententiam tulit occidere, aut ei damnum inferre, ſi non poſsit aliter mortem euadere.

AFfirmantem ſententiam tenuiſſe Franciſcum Victoriam, refert Salonius *in 2. 2. D. Thomæ q. 69. art. 4. controu. 1.* Eamdem ſententiam tenet Dominicus Bannes, *in Commentario dicti artic. concl. 2.* & eamdem probabilem cenſet Ioannes Cardinalis de Lugo *ſect. 2. de iuſtitia, & iure diſp. 40. tom. 4. num. 38. & ſeq.* vbi hanc ſententiam ſequentibus probat argumentis. Primò, quia Iudex ſolùm inuadit tunc licitè ex præſumptione; ergò qui ſcit veritatem, poteſt ei reſiſtere, ſicut quando Iudex errat in perſona malefactoris, & vult occidere Petrum loco Ioannis, poteſt Petrus ſe defendere. Secundò, qui inuaditur à furioſo poteſt eum occidere, licet furioſus non peccet, ergò qui inuaditur à Iudice ignorante veritatem, & ideò non peccante, poteſt etiam ab ipſo ſe defendere. Tertiò Princeps, qui inuaditur ab alio Principe putante ſe habere iuſtam cauſam belli, licitè ſe defendit, ſi ſciat reuera ſe non eſſe dignum tali inuaſione. Item milites obedientes ſuo Principi, & putantes ſe habere iuſtam cauſam belli, licitè occiduntur ab aduerſarijs ſcien-

tibus bellum non eſſe iuſtum, ergò ſimiliter reus in noſtro caſu poterit ſe defendere tàm contra Miniſtros iuſtitiæ, quàm contra Iudicem exiſtimantes ſe habere bellum iuſtum contra reum; ſi tamen reus ſcit ſecundum veritatem ſe eſſe innocentem.

Hanc tamen ſententiam cum duabus limitationibus admitti poſſe dicit. Prima eſt, quod fiat reſiſtentia ſine graui ſcandalo, quod quidem in hac materia facilius poſſet dari, quam in alijs. Secunda, quod reus quantumuis innocens non reſiſtat eo modo, quando primò comprehenditur à Iudice, & eius Miniſtris; nam licet Iudex non poſſit punire innocētem, poteſt tamen comprehendere innocentem interuenientibus indicijs, & ſicut culpa ſe habet ad pœnam, ita indicia culpæ ad comprehenſionem: Ergò reſiſtens comprehenſioni reſiſteret Iudici procedenti iuſte materialiter, & formaliter, atque ideò iniuſte reſiſteret.

ASSERTIO VNICA.

Innocens dãnatus ad mortem per ſententiam ſecũdum allegata, & probata iuſtã, non poteſt per vim ſe defendere, nec abſque peccato Iudicem occidere, quamuis non poſsit aliter mortem euadere.

ITA Salonius *loco citato*, Soto *lib.* 5. *de iuſtitia, & iure qu.* 6. *art.* 4. Serra *in* 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *dub.* 1. & Doctores communiter.

Ratio eſt, quia iuſtè condemnato non ſolùm apud omnes id prohibetur in vtroque foro, verùm etiam non licet ei non redire ad carcerem, ſi præſtito iuramento ſe rediturum à Cuſtode carceris fuerit ad tempus relaxatus, Couarru. *libr.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 10. & hoc non alio fundamento, niſi quia iuſtitiæ, vt virtuti, & iuri publico iuſta exequi mandāti, priuatus reſiſteret, iniuſtè leges communes, & iuſtitiam conculcans ſe fouendo in delictis, & impediendo punitionem eorum iudicibus ritè, & rectè de iſtis cognoſcentibus.

Quæ ratio militat etiam in iniuſtè condemnato, quoad rei veritatem, licet iuſtè quoad allegata, & probata, nam cum iuſtitia, ſeù iniuſtitia reſpiciant leges, per quas dignoſcuntur, & iudices per quos operantur, & reos in quos exercentur, & non aliundè, quàm ex allegatis, & probatis, quæ ſunt media iudicij hominum, cognoſcantur: Totum hoc factum iudicandi metiri debet in ordine ad malitiam, aut bonitatem actus, ex iuridico, & rationabili iudicio, quod ex allegatis, & probatis fieri debet: nam Iudex eſt miniſter legis, & ius publicum habet pro ſe, ita vt hos tramites, nec per iudicium, vt priuata perſona factum, ex alias viſis, & cognitis declinare poſſit, nec allegata, & probata deſerere, vt perſonæ priuatæ partes faciat, cum in caſu præſenti iam partes Iudicis aſſumpſerit.

Hinc deducitur hanc veritatem reſultantem ex allegatis, & probatis, dici

dici formalem, quæ conſtringit iudicem: licet materialiter, & in rei veritate, quoad ipſum iudicem, vt priuatam perſonam aliter ſe habeat; nam ius publicum deferens probationi veritatis, hoc vnicum medium ſcilicet allegare, & probare inuenit, quo prælationem iudici impoſuit notitiæ ſuæ priuatæ in vtroque foro: & cum Miniſter legis ſit, hanc legem ſibi iuſtè impoſitam, & prælationem notitiæ ſuæ obſeruare debet; præcipuè cum in iudicando, vt publicus Miniſter ſe gerat, non verò vt priuata perſona, quæ vt talis notitiam propriam habet.

Cum igitur innocens damnatus formaliter ex allegatis, & probatis, reperiatur nocens, & iuſtè condemnatus, licet aliàs Iudici, vt priuato contrarium conſtet, executionem, modis prudentibus allatis à Theologis (Soto *lib.* 5. *de iuſtit.a*, *& iure q.* 6. *art.* 4. Vaſquez *tom.* 2. *diſp.* 174. *cap.* 1. Salon. *to.* 1. *fol.* 430.) Et Canoniſtis (Couarru. *vbi ſuprà*, Boſio, *in practica titulo de homicidio an.* 25. Paris *de Syndicatu, verb. carceratus, & verb. reſiſtentia*, Felyn. *in cap. conſanguinei de re iudicata*, Hippolyto *in l.* 1. *§. ſi quis vltro*, *ff. de quæſt.*, Bartol. *in l. à Diuo Pio*, *§. ſententiam Romæ*, *ff. de re iudicata*) præſcriptis, & non iuuantibus, omittere non poterit, vt præter relatos ſuprà pro omnibus tenet D. Thomas Eccleſiæ lumen *q.* 69. *art.* 4. & Couarru. *vbi ſuprà num.* 13.

Et licet communiter quæſtio ſit ſolùm de Iudice innocentis, qui aliter rem ſe habere neſciens iuxtà allegata, & probata eum condemnat, & executionem mandat; idem eſt in ſciente rem ſe aliter habere, cum differentia tamen Conſiliorum à Theologis, & Canoniſtis tali Iudici impoſitorum in locis ſuprà allegatis, vel de differendo quantum poteſt, vel de condonando, ſi eſt iudex abſolutus, & merum mixtumque imperium habeat, vel aliàs iuxtà Doctores, de quo in præſenti non eſt quæſtio.

Innocentia in rei veritate, de qua conſcius eſt Iudex, vt priuata perſona ſolùm operatur; vt prudentibus medijs executionem fugere tentet: nō tamen, vt his non iuuantibus, impedire poſſit; quia vt Miniſter legis ſolùm ex allegatis, & probatis executionem dimanantem tanquam merus executor operatur. Quoad reum ſimiliter innocentia ad aliud non ſe extendit, niſi vt modis omnibus hanc manifeſtet, tentando dilationes, fugiendo carceres ſine ſcandalo, & cuſtodum, vel Reipublicæ nimio præiudicio; non tamen cum fractione carceris violenta, & ſcandaloſa, cum Reipublicæ, & Cuſtodum nimio damno; quia tam Cuſtodes, quam Reſpublica habent reſpectiuè ſicuti Iudex fundatam intentionem contra innocentem ex allegatis, & probatis reum inuentum, Couarru. *vbi ſuprà num.* 14. Paris *de Syndicat. verb. Carceratus, & verbo Reſiſtentia.*

Dixi ſine nimio damno, vel ſcandalo: quia cum aliquo damno, obligatione tamen reficiēdi carceris præiudicium, & Cuſtodum, fugere poterit, vt permittunt innocentia impellente ſupra memorati Doctores, ſed cum nimio, id eſt impoſſibilem faciente reſtitutionem, vel ſcandalo turbante iudiciorum ordinem, adhuc

innocētia impellente facere non poterit; quia eſt priuatum bonū,& quid extraneum, vel non ſubiectum Iudici, innocentia extra iudicium, & contra proceſſum cognita priuato modo.

His ſic firmatis minimè obſtant rationes, quas præfatus Cardinalis de Lugo *in dicto num.* 39. pro contraria ſententia licitè reſiſtentiam reo concedenti in hoc caſu adducit.

Non prima ſcilicet: Quod Iudex contra reum innocentem, vt nocentem inuentum ex allegatis, & probatis, ſolùm procedit ex præſumptione; Cumque reus ex veritate innocentiæ ſuæ, reſiſtat, & veritas præſumptioni præualeat, licitè reſiſtet, ſicut quando Iudex inſequendo malefactorem, qui verè eſt Petrus, & errando vellet occidere Paulum, iſte licitè poterit reſiſtere.

Hæc inquam ratio non obſtat, quia deficit in fundamento: ſupponit enim ſolam præſumptionem, & non veritatem ex allegatis reſultare, quod in iure falſum eſt, cum apud ius, Iudicem, & ius publicum Reipublicæ veritas formalis, & non præſumptio ſit, vt per ſe patet. Quamuis enim ex allegatis, & probatis non reſultet certitudo phyſica, aut metaphyſica de admiſſo delicto, reſultat tamen certitudo moralis. Nec verò ad iudicium ferendum de delicto requiritur certitudo phyſica, ſed ſat eſt certitudo moralis, & moraliter habita: nam de humanis actibus, difficilè eſt haberi certitudinem phyſicam: falsò ergò ſupponit Cardinalis de Lugo, cum ſupponit, quod iudicium, quo Iudex innocentem ſecundum allegata, & probata nocentem inuentum damnat, procedat ex præſumptione; Exemplum autem ab ipſo allatum eſt longè diſtans ab applicatione caſus; Quia Iudex ſubitò ex aliquorum informatione extraiudicialiter ductus, inſequens Petrum, vt reum, cum Paulus ſit, erroneè procedit, & non ex allegatis, & probatis, & ideò poteſt ei Paulus reſiſtere; ſi verò Iudex ex allegatis, & probatis iudicet Paulum eſſe Petrum, etſi reuerà Petrus non ſit, idem dicendum erit, ac de innocente ſecundum allegata, & probata ad mortem damnato, quod ſcilicet in eo caſu, non poſſit Paulus Iudicem occidere, idque ex eiſdem rationibus, quibus firmauimus innocentem ſecundùm allegata, & probata damnatum, non poſſe Iudicem occidere.

Alia ratio Cardinalis de Lugo de paritate reſiſtentiæ furioſo legitimè facta ab illo, quem occidere tentat, etiam occidendo ipſum, licet furioſus non peccet: arguendo eo modo poſſe fieri Iudici licet non peccet, quia ignorat veritatem, non ſubſiſtit: quia furioſus nullo mentis, & rationis actu procedit, ſed ſolùm animali motu, vti cuiuſuis animalis vſu rationis carentis, & ſi aliter quis ab eius impulſu euadere non poteſt, occidere licitè poterit: Iudex autem cum ex allegatis, & probatis procedat, ratione iuris vtitur politicè, & prudenter: & non ignorantia, vel veritatis neſcientia, vt ſupponitur; quia aliter ſcientia rei vnius niſi ex allegatis, & probatis iuridicè non ſit, & quod ex ipſis operatur dicitur iuſtum, quare diſertiſſimè, & benè Leſſius pro

hoc

hoc ſenſu allegauit Diuum Thomam *q.69. art.* 4. qui dicit ſententiæ iuſtæ non poſſe reſiſti, quia iuſta eſt, quæ ex allegatis, & probatis reſultat, & malè carpitur à Cardinali de Lugo, quia allegat pro hac ſententia Diuum Thomam.

Alia tertia ratio de Principe iuſtè ſe defendente à bello moto contra eum ab alio Principe, quia ſcit ſine ratione moueri, nihil obſtat: quia vterque Princeps ſuis hinc indè rationibus mouetur ad exiſtimandam iuſtitiam belli, & defenſionis; Inuadens iudicat ſe ius habere ad inuadendum, inuaſus ius naturale habere ad ſe defendendum putat, quin ſciat aliud in Principe inuadente adeſſe niſi probabilitatem quoad ſe belli iuſti: In noſtro autem caſu Iudex ex allegatis, & probatis habet ius publicum pro ſe, non probabilitatem, & veritatem formalem ex probationibus reſultantem, & reus ſolùm habet pro ſe veritatem materialem, quæ in hoc caſu non ſubuertit iudicium, quia ex modis à iure diſpoſitis non apparet, & habetur à Iudice, quaſi, vt non exiſtens, vt communiter ſolet dici, *Quod non eſt in Proceſſu, non eſt in Mundo.*

Quarta ratio de militibus Principis occiſis iniuſtè ab illis, Principis inuadentis iniuſtè, & ſcientibus bellum eſſe iniuſtum, quaſi parificans, reum innocentem poſſe ſimiliter occidere Iudicem habentem (quaſi ita dicamus) bellum iuſtum ob allegata, & probata contra eum: Non adaptatur, ob iam dicta de exiſtimata iuſtitia belli quoad Principem inuadentem ob ignorantiam veritatis, vel ob aliorum conſilium, vel iurium diſcuſſionem non ità exactè factam, & ſpecialia iura belli, vt ait Boſius, *vbi ſuprà in practica tit. de homicidio n.* 10. per *Tex. in l.*2.*§. in bello, ff. de re militari.*

Et recognoſcat Cardinalis de Lugo *d. num.* 40. hanc rationem non obſtare noſtræ ſententiæ, quia reus nulli alteri niſi iuri publico ex allegatis, & probatis exequi mandanti obedire poteſt, nec ex impulſu innocentiæ reſiſtere valet: cum hæc quoad iudicium, & proceſſum non ſit, & quod non eſt in proceſſu, non eſt ſubiectum Iudici, qui iudicium de proceſſu facere tenetur.

Nec duæ illæ limitationes, quibus ſententiam hanc probabilem reddi ait Cardinalis de Lugo, illam verè probabilem relinquunt: non prima, qua dicit, reſiſtentiam faciendam eſſe ſine graui ſcandalo: nam ſi propter ſcandalum innocens ſecundum allegata, & probata damnatus abſtinere debet ab occiſione Iudicis, multò magis ab ea abſtinere debet, ex eo quod Iudex iuſtè contra eum proceſſit; nam hoc eſt fortius motiuum, & à priori, cum non liceat illum occidere, qui nec iniuſtè egit nec peccatum admiſit. Et præterea ſemper aderit ſcandalum, ſi iuſtè ſecundùm allegata & probata damnatus Iudicem occidat, nam reflecti oportet, ſcandalum non ex alio oriri, niſi quia populus videret Iudici ex allegatis, & probatis iudicanti reſiſti: ergo ſi propter ſcandalum abſtinendum eſt ab occiſione Iudicis, ſemper erit ab ea abſtinendum: ſi ergo in hoc caſu reſiſtentia non eſt legitima per Cardina-

dinalem de Lugo, & cum hac limitatione placet ipſi ſententia reſiſtentiã firmans, non inuenio in quo caſu probabilis ipſi videatur ſententia permittens reſiſtentiam liberè, in caſu innocentiæ, cum ſolùm in his terminis ſit contraria noſtræ; nam in nullo caſu deſinet eſſe ſcandalum ob reſiſtentiam, quia ſupponimus ex allegatis, & probatis procedere Iudicem, ex quo cum reſiſtentia rei prouenit ſcandalum, & hoc exiſtente, faciliter (vt aſſerit de Lugo) reſiſti Iudici non poteſt. Ergo in nullo caſu eſt contra noſtram ſententiam, nec contrariam fundat, nec probabilitas, quæ ipſi placet verificatur ex ipſius diſcurſu, licet ad illam inclinet aliquo modo ſibi practicè contrarius.

Vlterius aliam limitationem iſtius probabilitatis adducit: quod ſcilicèt reus non eo modo faciat reſiſtentiam quando primò comprehenditur à Iudice: nam licet Iudex non poſſit punire innocentem, poteſt tamen interuenientibus indicijs eum comprehendere; & tunc procedet Iudex materialiter, & formaliter iuſtè.

Nam non apparet differentia reſiſtentiæ, quam facilius concedit executioni, quàm comprehenſioni rei, dicendo in ſecundo caſu non eo modo debere fieri.

Quia ſicuti ſe habent indicia in Iudice, quoad comprehenſionem rei, ita ſe habent allegata, & probata quoad executionem ſententiæ; & ſi indicia mouent ad capturam legitimam, eſt, quia ſunt iuri conſona, ita vt reſiſtere innocens non poſſit. Ergo cum etiam iuri conſonum ſit, vt ex allegatis, & probatis detur, & executioni mandetur ſententia, nulla differentia eſt reſiſtentiæ in caſu executionis ad caſum comprehenſionis: ergo ſimiliter non poterit in executione reſiſti; cum per Cardinalem de Lugo in caſu comprehenſionis, quia iuridicè Iudex procedit, non poſſit ei reſiſti: nam & in caſu executionis etiam iuridicè ex allegatis operatur.

Quid autem facere debeat Iudex, qui ſcit aliquem eſſe innocentem, docet S. Thomas *in ſecunda ſecũdæ, quæſtione 64. articulo 6. ad 3.* ibi enim ait, quod Iudex ſi ſcit aliquem innocentem eſſe, qui falſis teſtibus conuincitur, debet diligentius examinare teſtes, vt inueniat occaſionem liberandi innoxium, ſicut Daniel fecit. Si autem hoc non poteſt, non peccat, ſecundùm allegata ſententiam ferens: quia ipſe non occidit innocentem, ſed illi, qui aſſerunt eum nocentem. Miniſter autem Iudicis condemnantis innocentem, ſi ſententia intollerabilem errorem contineat, non debet obedire; aliàs excuſarentur carnifices, qui Martyres occiderunt. Si verò non contineat manifeſtam iniuſtitiam non peccat præceptum exequendo, quia ipſe non habet diſcutere Superioris ſententiã, nec ipſe occidit innocentem, ſed Iudex, cui miniſterium exhibet.

Ex his omnibus confirmari poteſt noſtra ſententia. Poſito enim, vt poni debet, quod ſententia contra innocentem ſecundùm allegata, & probata reum inuentum lata ſit iuſta, & quod Iudex in ea ferenda non peccet, immò ad eam ferendam teneatur, licitum eſt Iudici innocentem condemnatum reſiſtentem impugnare,

re, ac proinde ex parte condemnati reſiſtentis eſt bellum iniuſtum, vnde indubitantèr peccat. Nec enim dari poteſt bellum citra ignorantiam, & deceptionem ex vtraq; parte iuſtum: daretur autem iuxta oppoſitam ſententiam; nam iuxta illam innocens ſecundùm allegata, & probata reus inuentus, & condemnatus, poſſet iuſtè pugnare contra Iudicem, vtpote conſcius propriæ innocentiæ; ex alia parte Iudex abſque ignorantia iuſtè impugnaret condemnatum illum reſiſtentem. Iudex enim priuata notitia ſiue cognoſcat hominem illum eſſe innocentem, ſiue non cognoſcat, & ſi quoad informationē decipi poſſit à teſtibus, in ferenda tamen ſententia nulla deceptione, aut ignorantia laborat: ſcit enim ſe iuſtè iudicare, & ſententiam à ſe latam iuſtā eſſe; quia ſcit, ſe iudicare ſecundum allegata, & probata, ergo daretur bellum ex vtraque parte citra ignorantiam, ac deceptionem iuſtum, quod tamen dari nequit, vt de ſe conſtat, & omnes admittunt.

Hac ratione D.Thomas 2.2.*ar.*4. probat iuſtè condemnato ad mortem non licere ſe defendere, & nomine iuſtè condemnati intelligit S. Doctor etiam illum, qui ſecundum allegata, & probata iuſtè condemnatur: tum quia loquitur de ſententia, cui ſi condemnatus reſiſteret, poſſet eum Iudex licitè impugnare; certum eſt autem, quod ſi innocens ſecundum allegata, & probata reus inuentus Iudici reſiſteret, licitè poſſet à Iudice impugnari: tum quia de illo iuſtè condemnato loquitur S.Doctor, cum ait, eum non poſſe Iudici reſiſtere, qui contraponitur iniuſtè cōdemnato per iudicium, quod ſit ſimile violentiæ latronum; Iudicium autem, quo quis licet innocens ſecundum allegata, & probata, nocens inuentus condemnatur, non eſt ſimile violentiæ latronum, immò & iuſtitiæ, & æquitati conforme; ac proindè cum S. Thomas ait, poſſe ab iniuſtè damnato reſiſti Iudici, aut Principi condemnanti, loquitur de iniuſtè omnibus modis; tale autem non eſt iudicium, quo innocens ſecundum allegata, & probata nocens inuentus damnatur.

Confirmatur vlterius, quia ſecundum iura ſolùm vim vi repellere licet. Iudex autem ſecundum allegata, & probata aliquem condemnans, non infert ei vim, cum ſententia iuſta ſit, & in ea ferenda Iudex non peccat, immò peccaret, ſi eam non ferret. Ergo innocens ſic damnatus non habet ius ad vi eum repellendum: quia non habet ius aduerſus innocentem, qualis eſt Iudex in eo caſu; vnde innocens ſecundum allegata, & probata nocens inuentus, & ideò condemnatus adhibendo vim, ex qua ſequi poſſit Iudicis mors, dat operam rei illicitæ; ac proindè ſi ex ea vi ſequatur mors, & occiſio Iudicis incurrit homicidij reatum, etiamſi non intenderetur, niſi conſeruatio propriæ vitæ; vt enim docent communiter Theologi cum D.Thoma 2.2. *q.*64. *art.*8. contingit, vt quod non eſt actu, & per ſe volitum, vel intentum, ſit per accidens volitum, vel intentum, ſecundum quod cauſa per accidens dicitur remouere prohibens: vnde ille, qui non remouet ea, ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat remouere,

mouere, erit illi quodammodo homicidium voluntarium: præſertim cum dat operam rei illicitæ, quam vitare debet: eſt autem illicitum aduerſus innocentem, qualis eſt Iudex iudicans ſecundum allegata & probata, eam adhibere vim, ex qua ſequi poſſit illius occiſio; vnde ſi hæc ſequatur vim illam adhibens reus erit homicidij. Hoc autem non contingit, cum quis iniuſtè ab aliquo inuaditur: nam cum ille iniuſtè inuadat, inuaſus habet ius defendendo ſe adhibendi eam etiam vim, ex qua ſequi poſſit inuaſoris mors, nam dat operam rei licitæ, nempe defenſioni propriæ, dummodo adhibeat moderamen inculpatæ tutelæ, & non intendat, niſi defenſionem ſui, ab hac enim non tenetur abſtinere, vt euitet mortem iniuſti inuaſoris, vt dictum eſt ſupra; immò Iudex condemnans ad mortem ſecundum allegata, & probata nocentem repertum, non offendit innocentem, vt de ſe patet; ergo innocens ille non poteſt licitè, ſe ab illo per vim defendere: nam ius per vim ſe defendendi ab aliquo locum non habet, niſi quando quis ab illo offenditur.

Dixi innocentem ſecundùm allegata, & probata à Iudice condemnatum dare operam rei illicitæ, ſi aduerſus Iudicem adhibeat vim, ex qua ſequi poſſit mors, & occiſio Iudicis: nam aliqualem vim adhibere citra mortem, aut graue damnum Iudicis, & miniſtrorum licitam eſſe innocenti eo pacto damnato, ſi per eam poſſit mortem euadere, iam diximus ſupra.

Contra hæc obijcit Bannes. Primò. Quod ſententia lata contra innocentem ſecundum allegata, & probata reum inuentum nulla eſt in foro conſcientiæ, neque confert verum ius accuſatori, aut Iudici, vt habet communis opinio, ergo per ſe loquendo poteſt condemnatus ille ſe defendere, niſi obſtet circumſtantia boni, vel mali publici.

Secundò, ſi per ſententiam ille innocens eſſet damnatus pœna pecuniaria, poterit adhibere omnem induſtriam, ne ſoluat pecunias, & abſcondere bona ſua, ergo in caſu, vbi agitur de periculo vitæ, poterit ſe defendere.

Tertiò, ſententia excommunicationis, quæ fertur ſecundum allegata, & probata, fundatur tamen in falſa præſumptione, non obligat in foro conſcientiæ & ſic excommunicatus: poteſt ſe gerere, vt non excommunicatus, ſecluſo ſcandalo. Eadem autem ratio eſt in caſu poſito.

Ex his Bannes infert, quod innocens ſecundum allegata & probata nocens repertus poſſit in ſui defenſionem Iudicem occidere ſecluſo ſcādalo. Et in ſolutionibus argumentorum tria addit. Primùm ſententiam, qua innocens damnatur ſecundum allegata, & probata eſſe iuſtam, quatenus fundatur in falſa præſumptione; ſed ſecundum rem eſſe iniuſtam.

Secundum quod Iudex ſi poteſt ſine ſcandalo ſententiam non exequi, non poſſit, nec teneatur illā exequi, tunc enim, inquit, daretur bellum iniuſtum ex parte Iudicis.

Tertium: Quod innocens ille damnatus ſi reſiſtat punietur; quia præſu-

præſumitur culpa ſaltem ſcandali,ſed abſolutè poſſit reſiſtere, quia, vt habetur in regulis Iuris, in 6. *Licitè poteſt aliquis puniri ſine culpa,non tamen ſine cauſa*.

At hæc nullius eſſe momenti patet ex dictis; vnde ad primum reſpondetur, ſententiam latam contra innocentem ſecundum allegata,& probata reum inuentum, nullam dici in foro conſcientiæ, quatenus non afficit, nec ligat in conſcientia innocentem illum ſic damnatum, nec ſupponit, aut inducit in eum aliquam culpam: at ex hoc non aliud probatur, niſi quod innocẽs ille damnatus poſſit omnes vias intentare,citra ſanguinem tamen, & mortem, aut graue damnum Iudicis, & miniſtrorum, vt mortem euadat; vnde poteſt licitè ſe defendere, vel fugiendo ſi poſſit, etiam frangendo carceres violenter ſine nimio damno, vel ſcandalo, vt dictum eſt ſupra; vel enitendo cum aliqua etiam vi,ſine ſanguine tamen, vel vulnere, vel graui percuſſione, è manibus miniſtrorum habentium illum apprehenſum ſe proripere: non tamen ex eo, quod ſententia illa non afficiat innocentem in foro conſcientiæ, ſequitur quod ipſe poſſit licitè ſe defendere cum occiſione Iudicis, aut miniſtrorum: quia licet ſententia illa vocari poſſit nulla in foro conſcientiæ, immò & iniuſta materialitèr,formalitèr tamen, & vt fertur eſt iuſtiſſima; vtpote lata ſecundum ordinem Iuris, à quo ſumendum eſt, an Iudex iuſtè procedat, & iudicet: immò ſi aliter ferretur, eſſet iniuſta, & erraſſet Iudex; & ita obligat ſubditum,ne per vim illi reſiſtat: nam ſolùm iniuſtum aggreſſorem vi repellere licet; in hoc autem caſu nec Iudex, nec illius miniſtri ſunt iniuſti aggreſsores.

Addit tamen Salonius poſse innocentem per vim, & ſanguinem ſe defendere, quando videret certo Iudici conſtare ipſius innocentiam, nec Iudicem vti aliqua ex illis vijs licitis ad eum liberandum, vel ſaltem non condemnandum; & illam defenſionem poſſe fieri citra ſcandalum: quia tunc reuera iniquè Iudex ille ageret, & à Iudice inique procedente poteſt ſubditus per vim ſe tueri, citra ſcandalum. Hæc tamen non videntur admittenda; cum nec in eo caſu Iudex actu, & phyſice congrediatur cum illo innocente; & contra idem recurrunt argumenta,quibus ſupra probauimus non eſſe licitum Iudicem occidere, a quo iniuſte aliquis ſit damnatus.

Idẽ etiã Salonius addit,quòd in dubijs nõ eſt obediendum cum propria iactura,& dãno: & ideo in dubio eſſe Iudicem admonendum de cauſis, ob quas prudenter dubitatur de Iuſtitia ſententiæ ab ipſo latæ, vt maturius conſideret, & re diligentius inſpecta, vel illam ſententiam reuocet,vel eius iuſtitiam manifeſtet; quod ſi noluerit reuocare,& ſententia maneret prudenter dubia, poteſt ſic condemnatus citra ſcandalum,ſicut ſi eſſet iniuſte condemnatus,per vim ſe defendere; quia in dubijs, quæ ſunt in damnum rei, potior eſt ſemper ratio ipſius rei, qui damnum inique pati poteſt, quam Iudicis. Hæc Salonius. Sed contra hoc idem faciunt eadem argumenta, quibus iam probauimus in actuali, & phyſico dumtaxat con-

flictu (qui non contingit in præſenti) licitum eſſe defendendo ſe aggreſſorem occidere, aut lædere.

Ad ſecundum argumentum Banneſij dicitur, quod ſicut innocens damnatus ad pœnam pecuniariam poteſt adhibere omnem induſtriam, nè ſoluat pecunias: ita & innocens ſecundum allegata, & probata nocens repertus, ad mortem damnatus, poteſt adhibere omnem induſtriam, vt ſententia executioni non mandetur: non ideò tamen poteſt iudicem licitè occidere.

Ad confirmationem pariter dicitur, quod ſi ante ſententiæ executionem conſtaret iuridicè de innocentia illius, qui ſecundum allegata, & probata reus inuentus, ad mortem damnatus eſt, ſententia non eſſet executioni mandanda; ſed non ideò Iudex, qui innocentem ſecundum allegata, & probata reum inuentum ad mortem damnauit, licitè occidi poteſt ab innocente, quando de illius innocentia iuridicè non conſtat.

Ad tertium reſpondetur; Quod nec excommunicatio ſecundùm allegata, & probata in aliquem lata, dicenda eſt fundari in falſa præſumptione, quia fundatur in veritate iuridica, ſicut diximus de ſententia, qua innocens ſecundum allegata, & probata reus inuentus damnatur. Et argumentum nil aliud probat, niſi quod ſicut excommunicatio, qua innocens ſecundum allegata, & probata, repertus nocens, excommunicatur, non obligat excommunicatum illum in conſcientia, ad gerendum ſe, vt excommunicatum: ſed poteſt, ſi non adſit ſcandalum, gerere ſe vti non excommunicatum: ita innocens ſecundum allegata, & probata nocens inuentus, ad mortem damnatus poſſit ſe gerere, ac ſi non eſſet inuentus nocens, & vt non damnatus, quantum ad ſui defenſionem, citra ſanguinem tamen, & mortem, aut graue damnum Iudicis, & Miniſtrorum, vt iam dictum eſt.

Certum igitur ex his relinquitur, non licere innocenti reo ſecundum allegata, & probata, reperto, ac damnato Iudicem, à quo ſecundum allegata, & probata damnatus eſt, occidere: Id autem nedum ſpeciales rationes adductæ probant, ſed etiam ea communis ratio aliàs adducta conuincit. Quod Iudex innocentem ſecundum allegata, & probata reum inuentum, condemnans, non eſt iniuſtus aggreſſor, immò non eſt aggreſſor, actualiter ſcilicet, & phyſicè, & per phyſicum congreſſum, ſeu conflictum, reum iſtum aggrediens; nam ab huiuſmodi tantum aggreſſione inuaſo licitum eſt, ac permiſſum defendendo ſe aggreſſorem occidere: nam ſolus eiuſmodi aggreſſus conſtitutus eſt in neceſſitate moraliter ineuitabili defendẽdi ſe per actualem, ac phyſicum conflictum, & manus conferendi; & conſequenter ſolus eiuſmodi aggreſſor conſtituit ipsũ in morali neceſſitate vi vim repellendi. In alijs autem caſibus, cum non contingat congreſſus phyſicus, & manualis duorum inuicem congredientium, & manus conferentium, non adeſt ea neceſſitas: nam in alijs caſibus non eſt adeò infallibilis mors aggreſſi; cum ſententia mortis à Iudice lata reuocari poſſit à Iudice, qui

eam

eam tulit, vel à ſupremo Iudice, ſi Iudex ille non ſit ſupremus: & in caſu, de quo hic agitur, Iudex adhibitis diligentijs, vt diximus, manifeſtare poſſit innocentiam eius, qui ſecundum allegata, & probata reus apparet.

QVAESTIO DECIMA.

Vtrum iniuſtè Aggreſſus teneatur ſe ab iniuſto Aggreſſore defendere?

Diximus, iniuſtè aggreſſo licere, ſeipſum ab iniuſto aggreſſore, etiam cum illius occiſione defendere. Hic autem vlterius quærimus, vtrum iniuſtè aggreſſus nedum licitè poſſit ſe ab iniuſto aggreſſore defendere, ſed etiam ad ſe ab iniuſto aggreſſore defendendum teneatur: itaut ſi ſe ab iniuſto aggreſſore non defendat, grauiter delinquat, vel poſſit abſque peccato ſe ipſum iniuſto aggreſſori perimendum permittere.

Quod peccet, qui ſe non defendit, ſi poteſt, ac proindè quod vnuſquiſque ad ſui defenſionem teneatur, affirmant Ioannes de Lignano *in tractat. de bello cap.* 83. Paulus de Caſtro *l. prima* §. *ius gentium num.* 9. *ff. de iuſtitia, & iure*, Hyppolitus de Marſilijs *in l. vnius* §. *cognitum num.* 56. *ff. de quæſtionibus*, Petrus à Plaza *in epitome delictorum cap.* 23. *num.* 1. *col.* 6. *verſ. & fortiſſimum*, Abulenſis *in cap.* 11. Ioſuè *quæſt.* 11. & quamuis Authores iſti (vno excepto Abulenſi, qui apertè aſſerit teneri inuaſum ſub reatu culpæ lethalis interficere inuaſorem, ſi poſſit, quando non poteſt aliter vitam ſuam conſeruare) non aſſerant expreſsè teneri vnumquemq; ad ſui defenſionem, etiam cum occiſione aggreſſoris, ſi aliter mortem euadere nequeat: id ipſum tamen videntur ſentire, cum ſentiant nemini licitum eſſe ſui occiſionem permittere, & vnumquemque ad propriam vitam defendendam teneri, poſito quod vita propria ſeruari nequeat, niſi cum occiſione aggreſſoris.

ASSERTIO VNICA.

Iniuſtè aggreſſus non tenetur ſe ab iniuſto aggreſſore defendere, ſed licitè poteſt ſe iniuſto aggreſſori perimēdum permittere.

ITa communiter Theologi, ac Iuriſtæ, Dominicus Soto *de iuſtitia, & iure libro* 5. *quæſt.* 1. *art.* 8. Cardinalis Caietanus, & Aragonius *in ſecundam ſecundæ quæſt.* 64. *artic.* 7. Syluius *ibidem quæſito* 1. & Salonius

controuerſ. 1. *concluſ.* 1. Victoria *in Relect. de Homicidio num.* 24. Bannes *in* 2.2.*q.*33.*art.*3.*dub.*4. in reſponſione ad confirmationem tertij argumẽti. Syluester *in Summa, verbo Bellum* 2. *quaeſt.* 3. Ludouicus Meſsia *in Pragmat. Taxae panis concl.* 6.*n.* 835. Simancas *in Cathol. inſtit. tit.*18.*n.*3. Couarruu. 2.*par. de Sponſalibus cap.* 8. §. 12. *n.* 17. Petrus Nauarra *in tract. de reſtitut. lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 39. *&* 62. Molina *tom.* 4. *de iuſtitia, & iure diſp.* 14.

Ratio eſt, quia omiſsio propriæ defenſionis eſſe poteſt moraliter perfectior, & laudabilior, ac magis apud Deum meritoria, etiam ex præſcripto ipſius Dei, quam ſit ipſa defenſio; Ergo iniuſtè aggreſſus non tenetur ſe ab iniuſto aggreſſore defendere: Conſequentia eſt optima, nam nemo tenetur ad actum, cuius omiſsio ſit moraliter perfectior, & laudabilior, ac magis meritoria, quam ſit actus omiſſus. Antecedens autem probatur. Nam poteſt iniuſtè aggreſſus omittere defenſionem ſui ex charitate erga Deum; tunc autem omiſsio propriæ defenſionis ex hoc motiuo conſequens, eſt moraliter perfectior; ac laudabilior, magiſque apud Deum meritoria, quam ſit ipſa defenſio, ex auctoritate ipſius Chriſti Domini Ioannis 15. dicentis: *Maiorem hac dilectione nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Amicorum autem nomine in hac authoritate, cum dicitur. *Vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, intelliguntur omnes homines, ſiuè amici, ſiuè inimici, vt benè obſeruat Cornel. à Lapide *in Commentario dicti capitis* 15. *Ioannis* ad laudata verba ſic enim ait. *Amici hic enim vocantur non qui diligunt, ſed qui diliguntur, quales poſſunt etiam eſſe inimici, maior dilectio eſſe nequit, quàm ſit illius, qui vitam ponit, & mortem appetit pro amicis, id eſt pro ijs, quos diligit, & loco amicorum habet, etiamſi ipſi reuerà eius non ſint amici, ſed hoſtes, & inimici, &c.*

Nec refert ſententiam illam potiſſimùm eſſe intelligendam de vita noſtri corporis exponenda pro ſalute proximi ſpirituali. Poteſt enim etiam generaliter accipi, vt obſeruat Syluius *loco citato*, de ſalute proximorum etiam temporali, quomodò priorem accepit Chryſoſtom. *libr.* 2. *de Sacerdotio*.

Cum igitur ex duobus illis, quæ ſunt ponere vitam propriam pro vita corporali alterius, laudabilius, ac perfectius, magiſque apud Deum meritorium ſit, vitam corporalem ponere pro vita corporali alterius; idque contingat, cum iniuſtè aggreſſus à ſui defenſione abſtinet, teneri non poteſt aggreſſus ad ſui defenſionem, ita vt peccet, ſi ſe non defendat: nam peccatum eſſe non poteſt, id quod eſt laudabilius, perfectius, ac magis meritorium.

Sed vt vis huius rationis funditùs percipiatur, & radix huius rei profundiùs attingatur. Animaduertendum eſt, quod ſi ſpectetur præcisè vita corporalis aggreſsi, & vita corporalis aggredientis, & nullum aliud motiuum aggreſſum ad ſui defenſionem omittendam moueat, quàm conſeruatio præciſa vitæ corporalis aggredientis, non licet aggreſſo ex hoc motiuo præcise, à ſui defenſione ab-

abſtinere, ſed grauiter delinqueret ſui defenſionem omittendo: nam cum paria bona ſint, vita corporalis aggreſsi, & vita corporalis aggredientis, & nullum aliud præter hæc interueniat, non eſt maior ratio, ob quam aggreſſus ponere debeat vitam ſuam corporalem pro vita corporali aggreſsoris, & aggreſſoris vita poni non debeat, pro vita corporali aggreſſi. Quare cum nullum bonum, aut cõmodum, nec etiam ſpirituale, reſultet in aggreſſo ex omiſſione propriæ defenſionis ob motiuum præciſum conſeruandi vitam corporalem aggredientis, aggreſſus ex motiuo iſto propriam defenſionem omittens, diligeret proximum ſuum pluſquam ſeipſum, præferendo ſcilicet vitam proximi vitæ propriæ. Id autem eſt contra Diuinum præceptum, quo præcipitur, vt quiſque diligat proximum ſuum, ſicut ſeipſum, id eſt inf. a ſe ipſum, vt diximus ſuprà. Et ideò S. Auguſtinus *lib. de mendacio cap. 5.* ait: *Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, iam non diligit proximum, ſicut ſeipſum, ſed plus quam ſeipſum, quod doctrinæ regulam excedit.* Et in hoc ſenſu puto Authores in principio allegatos, negaſſe licitum eſſe alicui ſui defenſionem omittere.

Præterea eſt contra naturalem inclinationem, quod quis, ex ſolo motiuo ſeruandi vitam alterius, propriã vitam contemnat, eamque pro iſto tradat: immò eſt contra charitatem; nam charitas dictat, vt propria vita non prodigatur, prodigeretur autem, ſi quis paſſim alio non exiſtente motiuo, niſi ſeruandi vitam aggreſſoris, propriam vitam traderet, ſeque ab alio occidi permitteret; motiuum enim ſeruandi vitam aggreſſoris, non eſt rationabile, & ſufficiens, vt quis licitè propriam vitam exponat; ac proindè ſic eam exponere, eſſet eam prodigere, quod non licet: cum homo non habeat dominium ſui corporis: nec ex aliquo loco Sacræ Scripturæ habetur, quod Deus probet vitæ alicuius hominis expoſitionẽ, ex hoc præciſo motiuo, vt conſeruet vitam alterius: ac proindè non poteſt homo de propria vita, eo pacto diſponere, & ita id apertè docent Bannes, Valentia, & alij communiter, & nos cum ipſis *in controuerſ. de eleemoſyna quæſt. 1. §. 7.* idem diximus.

Sic igitur motiuum præciſum ſeruandi vitam corporalem aggreſſoris, ſi in eo ſiſtatur, & vlterius non ordinetur, non eſt æquum, ac tale, ob quod licitè, & abſque peccato quis abſtinere poſſit à ſui defenſione. Vndè inquirendum eſt, an aliud aliquod motiuum occurrere poſſit, ad quod licitè ordinari poſſit omiſſio illa propriæ defenſionis, ea intermedia intentione, ne aggreſſor vitam corporalem amittat. Et dicendum tale motiuum vtique occurrere. Et eſt ipſe Deus propter ſe, ac ſuper omnia dilectus, ad quem tanquam ad finem vltimum referre poteſt aggreſſus omiſsionem illam propriæ defenſionis, & ſuæ occiſionis permiſsionem. Nam cum Deus ipſe manifeſte declarauerit, quod tradere vitam ſuam corporalem pro vita corporali alterius, ſit opus egregiæ dilectionis ergà proximum, immò talis, vt illa dilectione maiorem nemo habeat, conſequen-

quenter edixit per hoc Deus,id ipſum ordinari poſſe in ipſum Deum, eſſeque actum egregiæ charitatis ergà ipſum Deum: nam cum diligitur proximus ex charitate, diligitur propter Deum; ac proinde dilectio illa, qua quis proximum ita diligit propter Deum, vt pro ſeruanda illius vita corporali, propriam vitam corporalem tradat, reſoluitur, ac terminatur in Deum propter ſe, & ſuper omnia dilectum.

Ex his autem demonſtratur Aſſertio poſita. Nam totum hoc, quod eſt iniuſte aggreſſum à propriæ vitæ corporalis defenſione abſtinere, ne iniuſtus aggreſſor vitam ſuam corporalem amittat, ordinari poteſt in Deum; & ſi ordinetur in Deum, eſt opus egregiæ charitatis ergà proximum, ac etiam ergà ipſum Deum. Deus enim talem eſſe omiſſionem illam declarauit. Cum igitur licitum ſit, immò egregiè, ac perfectiſſimæ charitatis opus id præſtare, vtique licitum erit, ac laudabilius, quod iniuſtè aggreſſus hoc perfectum opus præſtet, & præſtat, cum à propriæ vitæ corporalis defenſione abſtinet, ſeque iniuſto aggreſſori perimendum permittit, ne iniuſtus aggreſſor vitam corporalem amittat, referendo hæc omnia in ipſum Deum, tanquam in vltimum finem, propter ſe, & ſuper omnia dilectum.

Sed & in hoc ipſo, quod quis velit propriam vitam corporalem pro alterius vita corporali ex dilectione Dei exponere, inuoluitur exercitium Fidei, Spei, & Charitatis, aliarumque virtutum, quæ ad actum illum concurrunt, proper quod licitum eſt vitam propriam exponere, ex præſcripto pariter Diuino declarante illud eſſe perfectiſſimum actum charitatis, quem profectò actus aliarum virtutum comitantur; Vndè propter charitatis, aliarumque virtutum exercitium declarauit Deus, licitum eſſe alicui propriam vitam corporalem exponere pro vita corporali alterius, vt indè homo vitam propriam ſic exponens perfectiorem gradum in ordine ſpirituali aſſequatur, & in ipſum Deum ipſe homo, & omnes eius actus ordinati remaneant: fuit autem neceſſaria ea Dei diſpoſitio, ac declaratio; quia cum homo non ſit Dominus, ſed cuſtos proprij corporis, non poteſt de iſto etiam in ordine ad ſpiritualia bona conſequenda diſponere abſque ſpeciali Dei declaratione, ac beneplacito, quo id licitum eſſe, ſibique gratum declararet. Quare quod quis poſſit licitè vitam corporalem exponere pro vita corporali alterius facit, non vt Dominus, ſed vt à Domino Deo poteſtatem habēs præferendi opus virtutis ſuæ corporali vitæ: Quo modo depoſitarius rem alienam apud ſe depoſitam poteſt alienare, ſi Dominus hoc ei permitteret, vt Syluius bene obſeruat *2. 2. q. 66. art. 1. quæſtio 7. concl. 6. in fine.*

Idem obſeruat Molina *diſp. 14.* vbi ſic ait: *Pro vita corporali proximi fas eſt periculo exponere propriam vitam corporalem; etenim licet domini non ſimus vitæ noſtræ, ſed Cuſtodes, atque adminiſtratores, Deus tamen, qui illam nobis conceſſit, quique dominium illius retinet, facultatem illius nobis non denegauit ad tam egregium virtutis actum*

in

in ipſius obſequium, in tantumque virtutis, ac meriti noſtrum bonum.

Iniuſtè igitur aggreſſus propriam ſui defenſionem omittendo ad ſeruandam aggreſſoris vitam, ſi hoc ipſum præſtet ex dilectione Dei, & ad exercitium charitatis, aliarumque virtutum, opus præſtat licitum, laudabile perfectiſſimæ charitatis, & ſummè meritorium, vndè S. Thomas 2. 2. *q.* 124. *art.* 3. ait, quod tolerare mortem non eſt laudabile ſecundum ſe, ſed ſolùm ſecundum quod ordinatur ad aliquod bonum, quod conſiſtit in actu virtutis, putà ad Fidem, & ad dilectionem Dei, &c.

Hac ratione licitum eſt, ſi duo in extrema neceſſitate conſtituti ſint, alterum alteri cedere panem, quem vnicum, & vni tantùm ſufficientem habet. Pariter quis poteſt in fuga hoſtium alteri concedere equum, vt fugiat, etiamſi ipſe pedibus effugere non poſſit. Rurſus graſſante peſte poteſt ſanus miniſtrare infectis, etiamſi putet ſe inficiendum. Poteſt etiam quis in naufragio cedere tabulam, quam poſſet occupare, & ſaluari.

Soluitur præcipua obiectio contra noſtram aſſertionem, & confirmatur eadem aſſertio.

OBijcies. Quod vnuſquiſque de iure naturæ teneatur ſe ab iniuſto aggreſſore defendere; nam & hoc recta ratio dictat, & vnuſquiſque de iure naturæ tenetur magis conſeruare propriam vitam, quàm alienam, ergo iniuſtè aggreſſus grauiter delinquet propriam defenſionem omittendo, vt iniuſti aggreſſoris vitam conſeruet; ac proindè falſum eſt, quod in aſſertione poſita dictum eſt, iniuſtè aggreſſum ad ſui defenſionem non teneri.

De iure quoque Diuino tenetur vnuſquiſque ſe ipſum magis diligere, quàm proximum: nam eſt Diuinum præceptum, quod quiſque proximum ſuum diligat, ſicut ſe ipſum, id eſt infrà ſeipſum, vt dictum eſt ſuprà; Si autem iniuſtè aggreſſus propriæ vitæ defenſionem omitteret, vt iniuſti aggreſſoris vitam conſeruet, iam non diligeret proximum ſicut ſeipſum, ſed plus quam ſeipſum, ergò &c.

Prætereà ordo charitatis poſtulat, vt corpus proprium, propriaque vita corporalis præferatur corpori, & vitæ corporali alterius; Vndè iuxtà ordinem charitatis vita propria corporalis præferri debet vitæ corporali alienæ, igitur non licet iniuſtè aggreſſo vitam alienam propriæ præferre, vti præferret, ſi à propria defenſione abſtineret, vt iniuſti aggreſſoris vitam conſeruaret.

Reſpondetur ex his, quæ diximus ſupra, vnumquemque de iure naturæ teneri ſe ab iniuſto aggreſſore defendere, magiſque propriam vitam, quàm alienam conſeruare, idque eſſe rectæ rationi conforme, ſi ſpectentur præcisè vita corporalis aggreſſi, & vita corporalis aggreſſoris: nam cum vita corporalis aggreſſi, & vita corporalis aggreſſoris, ſint bona naturalia æqualis valoris, & in vita corporali aggreſſoris nihil appareat di-

dignius vita corporali aggreſſi, contra dictamen rectæ rationis eſſet, quod ſpectatis vita, & vita, vna alteri præferretur: cum non ſit maior ratio prælationis vnius, quàm alterius; nec Deus facultatem alicui conceſſit, aut indulſit, vt præcisè pro vita corporali alterius, in ea ſiſtendo propriam vitam corporalem iacturæ periculo exponat; Et ideò peccaret, qui ſpectata præcisè vita corporali alterius, & pro ea præcisè ſeruanda, atque in hoc ſiſtendo ſui defenſionem omitteret: teneretur enim tunc ſe defendere, ac proindè defenſionis omiſſio culpabilis eſſet. At ſi iniuſtè aggreſſus non ſpectet præcisè vitam corporalem aggreſſoris, nec in conſeruatione vitæ aggreſſoris ſiſtat, ſed ſpectet id, quod Deus, vt ſupremus dominus naturæ diſpoſuit, quod ſcilicet homini liceat propter ipſum Deũ ſummè dilectum exponere propriam vitam corporalem pro conſeruatione vitæ corporalis aggreſſoris, eam conſeruationem intendendo, at in ea non ſiſtendo, ſed tantùm hoc in Deum, vt ſuper omnia dilectum referendo: ſi hoc, inquam, ſpectetur, licet alicui à ſui defenſione abſtinere, propriamque defenſionem omittere: talem enim omiſſionem probauit Deus, vti actum egregiæ charitatis, & dilectionis, cum dixit, *Maiorem hac dilectione nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Tunc enim aliquid infinitè dignius apparet vita propria corporali, ob quod periculo iacturæ exponi poſſit vita propria corporalis, ſcilicet ipſe Deus, pro cuius amore propriam vitam corporalem exponit, & exercitium charitatis, ac dilectionis erga Deum: nam & dilectio illa proximi, qua illum ita diligit, vt eius vitam propriæ præferat, tendit vltimatè in Deum. Vnde omiſſio illa propriæ defenſionis, prout ſic non eſt culpabilis; quia poſito motiuo prædicto placendi Deo talem omiſſionem probanti, non tenetur homo ad propriam defenſionem: omiſſio autem tunc eſt culpabilis, quando omittens poſſet elicere actum omiſſum, & ad illum tenetur.

Eſt tamen omiſſio hæc propriæ defenſionis, omittendi voluntaria, quia omittens, eam omiſſionem vult per ſpecialem ſuæ voluntatis actum, & licitum eſt ei talem omiſſionem velle: quia Deus eam omiſſionem, vti ad perfectiſſimam charitatem ſpectanrem probauit, & commendauit, indulſitque, vt in Dei obſequium, ac dilectionem poſſet homo propriam vitam non cuſtodire, & idem accidit in martyribus.

Quare ſi ſpectentur tantùm vita, & vita inuaſoris, & inuaſi, inuaſus nedum poteſt inuaſorem, ſeipſum defendendo, occidere: ſed tenetur ſe defendere etiam cum occiſione inuaſoris: nam cum paria ſint vita vtriuſque, inuaſus tenetur plus prouidere vitæ ſuæ, quam vitæ alienæ; vndè ſi non habeat ſufficiens motiuum, vnde moueatur, aut moueri poſſit ad poſtponendam vitam propriam vitæ alienæ, tenebitur propriam vitam defendere: & cum hanc defendere non poſſit, niſi cum occiſione inuaſoris, tenetur illam defendere, etiam cum occiſione inuaſoris, non intendendo tamen niſi ſui defenſionem. Et quia inuaſus non tenetur permittere ſe occidi

cidi ab inuaſore, etiam ex motiuo exercendæ charitatis ergà ipſum, ſeruãdo eius vitam corporalem, quamuis id poſsit, ſi velit; ita ſi nolit ſumere hoc motiuum, & velit ſpectare tantùm vitam ſuam, & vitam inuaſoris, hac deliberatione poſita, nedum poteſt, ſed tenetur defendere ſe, etiamſi ad hanc defenſionem ſequatur mors inuaſoris, non intendendo tamen, vt dictum eſt, niſi defenſionem ſui.

Cæterùm, ſi aggreſſus ea quidem intentione ſui defenſionem omittat, vt aggreſſoris vitam conſeruet, & in hoc vltimatè non ſiſtat, ſed hoc ipſum in nobiliſſimum finem referat, ſcilicet in Deum propter ſe, & ſuper omnia dilectum, quia ſcilicet per hoc quod præferendo vitam aggreſſoris vitæ propriæ Deum ſuper omnia diligit, nam hoc pacto ſe ab homine diligi declarauit ipſe Deus, cum dixit. *Maiorem hac dilectione nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Hinc eſt, quod ex hoc motiuo vitæ propriæ defenſionem omittens ad conſeruandam aggreſſoris vitam, nedum non delinquit, ſed actum perfectiſſimæ Charitatis præſtat, vt dictum eſt ſupra. Quare non repugnat, nec contradictionem aliquam implicat, quod quis ex diuerſo motiuo teneatur, & non teneatur ad ſui defenſionem. Tenetur enim ad ſui defenſionem, ſi ſpectet præcisè vitam corporalem aggreſſoris, & ad ſui defenſionem non tenetur, ſi ſpectet Deum propter quem ſui defenſionem omittit.

Ad aliud de ordine Charitatis iuxta quem diligendum eſt ab vnoquoque ptius corpus; & vita propria, deinde corpus, & vita proximi. Reſpondetur pariter hunc ordinem non peruerti per hoc, quod quis propriã vitam exponat pro alterius vita, ſi hoc faciat propter Deum ſummè dilectum, & propter alia motiua, & bona ſpiritualia illius, qui vitam ſuam exponit, vt dictum eſt ſupra: nam qui ſic ſuam vitam exponit, non diligit nec magis, nec prius vitam proximi, quam ſeipſum, & propriam vitam, ſed diligit magis, & prius Deum, quam ſeipſum: nam propter Deum ſuper omnia dilectum vitam propriam pro alterius vita exponit; & quamuis ordo ille charitatis, quo quis debet diligere prius vitam propriam, quàm vitam alterius, ſit etiam per reſpectum ad Deum, tamen & alium ordinem perfectioris gradus charitatis ipſe Deus inſtituit, per reſpectum etiam ad ipſum Deum, erga quem exerceri poſſit perfectior actus charitatis, ille ſcilicèt, quo quis propter Deum vitam ſuam pro vita proximi exponit; ideo integro manente ordine illo, quo quis debet prius, ac magis diligere ſeipſum, & propriam vitam corporalem, quàm proximum, & vitam eius pariter corporalem, dari potuit, & inſtitui à Deo altior gradus, & ordo charitatis, ille ſcilicèt, quo quis diligat magis, & prius, non quidem vitam proximi, quàm ſuam, ſed Deum ipſum ſpeciali modo, plus quàm ſeipſum: quamuis enim homo teneatur diligere Deum plus quàm ſeipſum, quatenus Deus eſt bonum commune omnium, quia beatitudo eſt in Deo, ſicut in communi, & fontali principio omnium, qui beatitu-

dinem participare poſſunt, vt ait Sanctus Thomas 2.2. *quæſt.26. artic.*3. Attamen Deum plus quam ſeipſum diligere non tenetur homo, per hoc medium, qnod eſt propriam vitam corporalem pro ſeruanda proximi vita propter ipſum Deum exponere; ad hoc enim noluit Deus hominem obligari, ſed vti opus ſupererogationis, & perfectiſſimæ Charitatis declarauit, ab his, qui voluerint præſtandum. Vnde S. Thomas 2.2.*q.*26. *art.*5. *ad* 3, ait. *Non eſt de neceſſitate Charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro ſalute proximi* (corporali) *niſi in caſu quo tenetur eius ſaluti prouidere, ſed quod aliquis ſponte ad hoc ſe offerat, pertinet ad perfectionem Charitatis.*

Sic ergo, ſicut opus maioris perfectionis & ſupererogationis non deſtruit, nec tollit opus bonum ordinarium, neque cum eo pugnat, ita cum ordine illo Charitatis iuxta quē, magis, ac prius diligere debet quis ſeipſum, & propriam vitam, quàm vitam proximi, non pugnat ordo alius maioris perfectionis, iuxta quem aliquis vitam quidem propriam pro ſeruanda vita proximi contemnit, & iacturæ periculo exponit, ſed hoc pręſtet propter Deum ſuper omnia dilectum, vel propter bona ſpiritualia ex hoc in ipſum hominem propriam vitam exponentem reſultantia; hoc enim, vt dictum eſt, non eſt, nec prius, nec magis diligere proximum, quàm ſeipſum, ſed eſt Deum prius, & plus quàm ſeipſum diligere, ac etiam eſt diligere in ſeipſo magis bonum ſpitituale, quam corporale, vt dictum eſt. Hac etiam ratione Conſilia Euangelica non repugnant cum præceptis, & integris manentibus præceptis, dari potuerunt conſilia.

Igitur propriam defenſionē omittere pro iniuſti aggreſſoris vita ex Charitatis motiuo ſeruandi, nedum eſt licitum, & laudabile, ſed eſt actus eximiæ Charitatis. Idemque perfectior eſt, ſi fiat pro ſalute ſpirituali eiuſdem aggreſſoris, ne ſcilicet aggreſſor in æternum pereat, inferatque illi damnum animæ irreparabile, vti ei inferretur, ſi eum in eo ſtatu occideret, & ipſe aggreſſus ſit in ſtatu gratiæ, quamuis enim aggreſſus ex hoc motiuo à defenſione ſui abſtinere non teneatur, liceatque ei adhuc ſe ab aggreſſore etiam cum illius occiſione defendere, quia aggreſſor ex ſua malitia coniecit ſe in ſtatum illum, cum hoc tamen bene ſtat, quod aggreſſus poſſit, ſi velit ex motiuo vitandæ illius æternæ damnationis, ab eo occidendo abſtinere, etiamſi ab eius occiſione abſtinendo propriam mortem incurrat, nam licitum eſt præferre vitam ſpiritualem alterius vitæ noſtræ corporali, hoc ipſum propter Deum ſuper omnia dilectum agendo.

Rurſus propriæ defenſionis omiſſio, adhuc perfectior eſt, ſi fiat in teſtimonium Fidei Diuinæ, vt contingebat in Martyribus, qui à propria defenſione abſtinebant, etiamſi poſſent ſe defendere, idque vt Deo in teſtimonium eius Fidei ſe ſacrificarent; hic tamen caſus diuerſus eſt à caſu præſentis quæſtionis; nam præſentis quæſtionis caſus eſt, cum iniuſtè aggreſſus propriam defenſionem omittit, vt vitam corporalem aggreſſoris

ſoris ex motiuo Charitatis præſeruet: Martyres autem à propria defenſione abſtinebant, non vt vitam Tyrannorum, eorumque ſatellitum præſeruarent, ſed vt ipſi Martyres pro Deo vitam profunderent, & ſic Fidei Diuinæ teſtimonium perhiberent; id autem non animaduerterunt Authores, qui nobiſcum ſentiunt afferendo pro noſtra ſententia confirmãda Martyrum exempla, qui cum poſſent ſe defendere à ſui defenſione abſtinebant: id enim non facit ad rem præſentem, nam hic ſolùm quæſtio eſt de aggreſſis illis, qui ad ſeruandam iniuſti aggreſſoris vitam à ſui defenſione abſtinent, vt dictum eſt.

Limitationes, cum quibus intelligenda eſt Aſſertio noſtra.

DIximus, iniuſtè aggreſſum non teneri ad ſui defenſionem, ſed licitè poſſe ſui defenſionem omittere, ſeque iniuſto aggreſſori perimendum permittere. Quia tamen id non niſi cum aliquibus limitationibus accipiendum eſt, ſequentes limitationes ſubijciemus, cum quibus prædicta Aſſertio intelligenda eſt.

Prima limitatio eſt, quod omittere propriam defenſionem licitum nõ ſit, ſi detur caſus, quod aggreſſus perſona ſit, cuius vita multùm Reipublicæ vel in ſpiritualibus, vel in temporalibus referat, ex cuius proindè iactura, magnum detrimentum in Rempublicam reſultet, tunc iſte aggreſſus non poſſet licitè à defenſione ſui abſtinere, etiamſi hæc non contingeret, niſi cum occiſione aggreſſoris, ſed tenetur ſub reatu culpæ lethalis defendere ſe, etiam cum occiſione aggreſſoris, ſi poſſet, vt vitam ſuam conſeruaret. Nam ageretur de communi maximo bono, in cuius præiudicium non poteſt aliquis ſine culpa lethali non conſeruare eo modo licito ſuam vitam. Neque ad id cenſenda eſt facta ei facultas à Deo, cuius quoad dominiũ eſt vita ipſius, nihil impediente damno aggreſſoris, in quod ipſe culpa ſua incidit.

Secunda limitatio eſt omiſſionem propriæ defenſionis licitam non eſſe in caſu, quo ex aggreſſi morte ſequeretur maximum detrimentum familiæ, vt vxori, ac filijs, quos alere tenetur. Quamuis enim cedere poſſet iuri ſuo, permittendo ſe ab aggreſſore interfici ex motiuo exercẽdæ Charitatis, & ne aggreſſor damnum mortis temporalis, & æternæ incurreret, nõ tamen poſſet cedere iuri ſuorum, quibus vita ipſius eſt neceſſaria, & quibus alimenta, educationem, ac protectionem debet, quæ à vita ipſius pendent.

Tertia limitatio eſt, ſi è contra detur caſus, quod aggreſſor ſit talis, vt eius vita multùm Reipublicæ interſit, vel talis ſit, vt ex illius morte ſequatur maximum detrimentum familiæ, tunc aggreſſus tenetur potius mortem pati, quàm in ſui defenſionem talem aggreſſorem, licet iniuſtum, interficere. Ratio, eſt, quoniam iure naturæ, & lege Charitatis tenetur præferre commune bonum ſuæ propriæ vitæ.

Nec valet dicere, quod aggreſſus poſſit occidere aggreſſorem, cuius

vita Reipublicæ intereſt, non intendendo eius occiſionem, ſed ſolùm ſui defenſionem. Non valet, inquam, hoc dicere, nam quando aggrediens eſt perſona, cuius vita intereſt Reipublicæ, non poteſt ab aggreſſo occidi, nec per actionem, qua intendat ſolam ſui defenſionem, ſi actio illa ſit occiſiua aggreſſoris, & præuideatur ab aggreſſo futuram eſſe occiſionem aggredientis per actionem defenſiuam ſui, etiamſi aggredientis occiſionem non intendat; nam in hoc caſu, cum interueniat præiudicium publici boni, aggreſſus tenetur abſtinere à defenſione propria.

Excipiendum eſt tamen, ſi aggreſſus ſit in ſtatu peccati, tunc enim non tenetur pati mortem, immò ſe defendere eum occiſione aggreſſoris, ſi alia via nequeat mortem euadere, etiamſi aggreſſor ſit talis, vt eius vita multùm Reipublicæ interſit, vel ex eius morte ſequatur maximum detrimentum familiæ: nam pro nullo bono huius Mundi, cum id ſit inferius bonum, & temporale, qualecumque illud ſit, poteſt homo exponere propriam vitam ſpiritualem, & ſalutem æternam, vt exponeret, ſi ſe in eo ſtatu occidi permitteret. Quare ex præcepto Charitatis debet præferre ſalutem æternam propriam ſaluti corporali aliorum. *Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum Mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Matt. 16.

Confirmatur. Quia id eſſet velle carere gratia, ſeu Charitate in perpetuum, qua nec ad tempus carere poſſumus velle; cum hoc fieri nequeat abſque peccato, & ſemper teneamur dare operam, ne à gratia, ſeu Charitate excidamus.

Neque oppoſitum honeſtari poteſt ex eo, quod bonum totius præponendum ſit bono partis; nam bonum partis, quod poſtponendum eſt bono totius Reipublicæ intelligi debet externum, & temporale, non autem bonum partis ſpirituale, & æternum.

Rurſus, bonum totius propter quod, periculo exponendum eſt, bonum partis, intelligitur illud, à quo bonum partis dependet, & ad quod tanquam ad finem ordinatur. Salus autem Reipublicæ non eſt eiuſmodi bonum reſpectu gratiæ, & Charitatis.

Hæ rationes nedum probant, quod exiſtens in peccato mortali, teneatur ſe defendere ab aggreſſore, qui ſit perſona publica, cuius vita multùm Reipublicæ interſit, vel talis, vt ex eius morte ſequatur maximum damnum familiæ, etiam cum illius occiſione, ſi non poſſit aliter euadere, ſed etiam à fortiori probant, quod eodem modo teneatur ſe defendere ab aggreſſore, qui ſit perſona priuata, & talis, vt ex eius morte nullum ſequatur damnum familiæ: quamuis enim liceat alicui exponere vitam ſuam corporalem pro bono ſpirituali proximi, immò & pro vita proximi corporali ex motiuo exercendi charitatē, & alias virtutes, vt iam diximus, nō tamen licet exponere vitam ſuam ſpiritualem, & ſalutem animæ æternam pro vita corporali, aut etiam ſpirituali alterius; quia ſecundum ordinem charitatis, debemus ſalutem noſtram ſpiritualem præferre ſaluti corporali, & ſpirituali proximi. Quare ſi aggreſſus ſit in ſtatu peccati, tenetur

tur ſe defendere ab aggreſſore, etiam cum illius occiſione, qualiſcumque ſit perſona illa, quæ aggreditur, ne periculo ſe exponat æternæ damnationis. Et quamuis poſſet elicere actum contritionis, cum hunc difficilè ſit haberi, non tenetur ſe huic periculo exponere pro ſeruanda vita aggreſſoris, cum nõ teneatur ad eam ſeruandam ex rationibus allatis.

Excipiendus eſt etiam caſus, quo tàm aggreſſus, quàm aggreſſor eſſent perſonæ tales, vt ex eorum morte magnum detrimentum ſequeretur in Republica, vel familia, vel etiam tàm aggreſſor, quàm aggreſſus eſſent in ſtatu peccati; Tunc enim neutri licet abſtinere à ſui defenſione, etiam cum alterius occiſione, ſed vnuſquiſque tenetur ſe defendere, etiam cum alterius occiſione, quando aliter mortem non poſſit euadere, nam non eſſet maior ratio de vno, quam de altero.

Id autem intelligendum eſt, poſito, quod aggrediens deſiſtere nolit ab offenſione aggreſſi: nam ſi aggreſſor deſiſtat ab offenſione aggreſſi, etiam aggreſſus tenetur ab offenſione aggreſſoris deſiſtere; Aggrediens tamen peccat, tum quia iniuſtè alium aggreditur, tum quia aggreditur aliũ, cuius vita intereſt Reipublicæ, tum quia exponit propriam vitam occiſionis periculo, cum tamen eius etiam vita Reipublicæ interſit, aggreſſus autem etſi non peccet defendendo ſeipſum à tali aggrediente, immò teneatur ſe defendere, quatenus eius etiam vita Reipublicæ intereſt, peccat tamen quandoque defendendo ſe cum occiſione aggredientis, cuius etiam vita intereſt Reipublicæ.

Pro quo obſeruandum eſt, quod ſi aggreſſi vita ſit notabiliter magis neceſſaria ad bonum commune Reipublicæ, quam vita aggredientis, tunc aggreſſus tenetur defendere propriã vitam etiam cum occiſione aggredientis; Si verò vita aggredientis ſit notabiliter magis neceſſaria ad bonum Reipublicæ, quàm vita aggreſſi, tunc aggreſſo non licet ſe defendere cum occiſione vitæ aggredientis. Si autem tàm aggreſſi, quàm aggredientis vita ſit æqualiter, ſed ſeorſim neceſſaria ad bonum commune Reipublicæ, ita vt ex ſingulorum morte ſequatur magnum, ſed æquale Reipublicæ damnum, tunc aggreſſo licebit ſe ab aggreſſore defendere etiam cum occiſione aggreſſoris, quia non eſt maior ratio, ob quam aggreſſus debeat præferre vitam aggredientis vitæ propriæ. Si autem vtriuſque vita ſit ſimul, & in ſolidum, vt ita dicamus, neceſſaria ad conſeruandum bonum commune Reipublicæ, etiam tunc iniuſtè aggreſſo licebit ſe ab iniuſto aggreſſore defendere, etiam cum occiſione illius, quia neque in hoc caſu maior apparet ratio, ob quam aggreſſus debeat præferre vitam aggredientis vitæ propriæ, & aliàs iniuſtè inuaditur, & prætereà cœteris paribus teneatur magis ad conſeruationem propriæ vitæ, quam ad conſeruationem vitæ alterius.

Quidam, vt quæſtione præcedenti diximus Nauarro *in manual. c.* 55. *num.*7. tribuunt, cum exiſtimaſſe, ſua culpa aggreſſum non poſſe interficere aggreſſorem, vt ſe ab eo defendat, atque adeò illum, qui in adulterio à ma-

à marito adulteræ repertus eſt, non poſſe interficere maritum adulteræ illum aggredientem, vt ſe ab eo defendat, ſed teneri potius mortem ab illo pati. Verùm quidquid ſit de mente Nauarri, id communiter improbatur, & nos ſuprà improbauimus, & nunc iterum improbamus: quia maritus non habet ius ad interficiendos adulteros deprehenſos, ſed ſolùm ciuilibus legibus permittitur, vt eos occidere poſſint propter doloris magnitudinem, quem tunc perferre moleſtiſſimum eſt, vt habetur *in l. Gracchus, C. ad legem Iuliam de adulterio, & l. marito, ff. eodem tit.* Sed his non obſtantibus certiſſimum eſt talem peccare contra præceptum, *Non occides*; & in foro conſcientiæ homicidam iudicari, ita S. Thomas *in 4. ſent. d. 37. q. 2. ad primum.* Palud. & alij *in eadem dec.* Sylueſter *in verb. Homicidium, q. 2.* Felyn. *in c. ſi verò 1. de ſent. excom.* Panorm. *in c. veniens de ſponſal.* Nauarr. *in manual. Confeſſ. c. 15. num. 4.* & poſt plures latè Couarru. *de mor. 2. par. §. 7. à num. 15.* & hæc eſt communis doctrina, & patet 33. *q. 2. c. Inter hæc*, vbi ex Nicolao Papa dicitur, quod Sancta Dei Eccleſia mundanis non conſtringitur legibus: gladium non habet, niſi ſpiritualem, quo non occidit, ſed viuificat. Vndè cum maritus peccet adulterum aggrediendo, iniuriamque illi facere intentet, quem ita interficere aggreditur, conſequens eſt, vt adulter ille ius habeat ad ſe defendendum à tali marito, atque adeò, vt ſi aliter euadere non poſſit, niſi illum interficiendo, licitè poſſit ſe defendendo illum interficere: ac proindè falſum eſt, quod adulter à marito adulteræ aggreſſus teneatur abſtinere à defenſione ſui, ſequè marito aggredienti occidendum permittere.

Iuxtà hæc dicendum eſt, & furi, qui ad furandum fuit ingreſſus, fas eſſe interficere illum ſe defendendo, qui ea de cauſa vult talem furem interficere, quando aliter eam mortem euadere nequit.

Idem dicendum de eo, qui à principio fuit iniuſtus aggreſſor, & volendo poſteà deſiſtere, idque ſignificat aggreſſo, qui eum interficere conatur; aggreſſus non vult à pugna deſiſtere. Tunc enim ſi aliter mortem euadere non poteſt, niſi interficiendo illum, non peccat ſe ab illo cum eius occiſione defendendo, dummodò id faciat cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Aliter dicendum de Milite, qui videns bellum iniuſtum eſſe ex parte ſua, & iuſtum ex parte contraria, ad illud tamen proceſſit, & iniuſtè ſcienter pugnare cœpit, ſed poſtmodùm reflectens ad iniuſtitiam belli pugnare deſiſtit, aut tergà vertit. De hoc enim dicendum cum Cardinali de Lugo *tom. 1. de iuſtitia, & iure diſp. 10. ſect. 6. nu. 145.* quod miles ille, licet mutato animo nolit amplius offendere, ſed ſe defendere, non videtur poſſe ſe defendere cum damno aduerſarij, quia iuſtè occiditur ab aduerſario ob delictum præteritum verum, & occiditur authoritate publica, quã miles aduerſarius habet ad eum perimendum. Vndè ſicut reus iuſtè damnatus non poteſt ſatellites occidere, vt pœnam iuſtè infligendam effugiat, ſic Miles poſt delictum iniuſtæ pugnæ

gnæ non poteſt ſe defendere aduerſarium occidendo, à quo iuſtè punitur auctoritate publica ob delictum commiſſum. Alioquin daretur bellum iuſtum ex vtraque parte abſque vlla ignorantia.

Idem cum eodem de Lugo dicendum eſt de Milite, qui propter ignorantiam iniuſtitiæ ſuæ cauſæ bona fide pugnauerat, poſteà quando aduertit ad ſuam iniuſtitiam, fugit, aut pugnare deſiſtit, hunc videlicet Militem, non poſſe dum fugit, aut pugnare deſiſtit, occidere aduerſarium, qui eum ad necem perſequitur: nam miles perſequens iuſtè bellans, legitimè procedit, & vtitur publica auctoritate ad puniendum delictum reuerà à Milite illo aduerſario commiſſum, licet ille propter ignorantiam excuſatus fuerit, & ideò miles perſequens in cauſa illa legitimè procedit, ac proindè miles aggreſſus non poterit illi reſiſtere cum eius damno.

De Militibus verò in bello ex parte ipſorum iuſto pugnantibus, dicendum eſt, quod poſſunt occidere milites aduerſos, etiamſi iſti inuincibiliter ignorent bellum ex parte illorũ eſſe iniuſtum; tum quia Militibus iuſtè pugnantibus, non eſt nota ignorantia inuincibilis iniuſtitiæ belli aduerſorum Militum, tum quia milites iuſtè pugnantes procedunt legitimè, & authoritate publica contra eos, qui licet ignorent inuincibiliter iniuſtitiam belli, reuerà tamen iniuſtum bellum contra eos gerunt, vndè illi habent ius contra eos ſe defendendi, etiamſi aduerſarij non peccent ex ignorantia inuincibili. Milites autem inuincibiliter ignorantes bellum ex parte ipſorum eſſe iniuſtum, nedum licitè poſſunt ſe tueri ab aduerſis Militibus etiam cum eorum occiſione, ſed etiam ad id tenentur, poſito quod pugnent, & à contrarijs Militibus ad necem inuadantur. In hoc enim caſu datur bellum iuſtum ex vtraque parte, interueniente in alterà parte ignorantia inuincibili, quo caſu dari bellum iuſtum ex vtraque parte non eſt inconueniens; quia id non eſt vtramque partem habere ius in idem, nam hoc eſt impoſſibile, ſed eſt nullam ex partibus in gerendo bellum peccare, quatenus vna pars reuerà ius habet ad gerendum bellum, altera verò licet ius non habeat ad bellum gerendum, putat tamen ex ignorantia inuincibili ſe ius ad illud gerendum habere.

Præterea licitum eſt militibus bellare, ac militare concurrentibus tribus cõditionibus, quæ iuxtà D. Thomam 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. ad iuſtum bellum requiruntur; & ſunt authoritas Principis bellum indicentis, cauſa iuſta, & intentio recta. Idque etiam probatur ex generali ratione, quod liceat vim vi repellere, ac proindè liceat authoritate publica contra iniuſtos inuaſores rerum, vel perſonarum bellum gerere, eoſque occidere.

Si verò Milites dubitent de iuſtitia belli, ſi ſint ſubiecti Principi, qui bellum indicit, poſſunt inſcribi militiæ, & inſcripti tenentur militare, nec eſt neceſsè, quod cauſam examinent. Quia in dubio præſumendum eſt pro Principe. Si autem non ſolùm de iuſtitia belli dubitent, ſed etiam dubitent, vtrum eis militare liceat in eo bello, ſtante tali dubio non poſſunt mi-

militare propter conſcientiam dubiam, ſed huiuſcemodi dubium debent deponere, & apud ſe reſoluere, quod poſſint, vel non poſſint militare. Milites verò non ſubditi, quamdiù dubitant de iuſtitia belli, non poſſunt militare; quia nullam habent neceſſitatem obtemperandi, ideoque nulli faciunt iniuriam, non militando: militando autem exponerent ſe periculo faciẽdi iniuriam alteri Principi. Vt ergò militare poſſint, vel debent inquirere veritatem, vel propter Principis, & Conſiliariorum probitatem, & prudentiam cogitare, quod bellum non mouerent, niſi eſſet cauſa ſufficiens.

Si autem bellum ſit iniuſtum, & iniuſtitia conſtet Militibus, ſiuè ſint ſubditi, ſiuè non ſint ſubditi Principi, qui iniuſtum bellum gerit, non poſſunt ſe militiæ adſcribere. Quod ſi poſtquam ſunt militiæ adſcripti, vel etiam dum ſunt in acie parati ad prælìandum, innoteſcat eis iniuſtitia belli, non licet eis præliari, ſed tenentur abſtinere à prælio, etiamſi eis immineat mors à Principe iniuſtum bellum gerente illis infligenda, quia præliari in bello iniuſto, perindè eſt, ac latrocinari, & graſſari; Vndè ſicut non liceret militibus illis latrocinari, & graſſari, etiam imminente mortis periculo ſibi à Duce ſtatutæ, ita nec eis licet præliari in bello iniuſto, dum eis de belli iniuſtitia conſtat.

De inſania Martini Lutheri, qui dixit, non eſſe reſiſtendum Turcis aduerſus Chriſtianos bellantibus.

MArtinus Lutherus impius ille à Sacroſancta Catholica Fide Apoſtatata, eo deuenit inſaniæ, vt negauerit licitum eſſe fidelibus pugnare aduerſus Turcas; quia id inquit, eſt repugnare Deo iuſtè viſitanti, ac punienti peccata, & iniquitates noſtras per illos. Sed profectò vti inſaniſſimi capitis delirium exſibilanda eſt hæc Lutheri aſſertio; Nam cum bellum ſit licitum Chriſtianis Principibus, etiam aduerſus alios Principes Chriſtianos ex cauſa iuſta, quæ profectò eſt, cum Princeps aliquis Chriſtianus proprijs bonis ab alio Principe iniuſtè ſpoliatur, aut cum vnus Princeps ſubditos alterius Principis iniuſtè vexat, vel cruciat: multò magis bellum eſt licitum Chriſtianis aduerſus Turcas, cum hi continuò conentur Chriſtianis Vrbes, & Regna eripere, inuentoſque Chriſtianos in miſeram ſeruitutem redigunt, & crudeliter cruciant, ac templa Chriſtianorum ſpoliant, & euertunt. Vndè meritò Leo X. Romanus Pontifex in Bulla contra Lutherum edita inter alios Lutheri articulos, etiam iſtum damnauit (*Præliari aduerſus Turcas eſt repugnare Deo &c.*) Quin & ipſe Lutherus, parum ſibi, vt in alijs erroribus conſtans, ita & in hoc conſentiens, de ſermone illorum, qui dicebant, non eſſe reſiſtendum Turcis,

ait (*Hic ſermo ſedit. ſus eſt, qui neque ferri, neque permitti debet*) & iterum (*Turcis reſiſtere tenemur ob multas cauſas*) nec quod Lutherus ait, vim aliquam habet, Deum ſcilicet punire iniquitates noſtras, & ideò Turcis non eſſe reſiſtendum. Nam & per incendia, peſtem, aliosque morbos iuſtè caſtigat Deus peccata noſtra; nec tamen vllus ſanæ mentis negauerit, licere vti remedijs contrarijs; ſicut enim Deus vult per huiuſmodi pœnas peccata noſtra punire, ita etiam vult nos adhibere remedia, ſic vult nos ob iniquitates noſtras, vel ad augenda noſtra merita bellis affligi, ſed non ideo prohibet, armis nos ipſos defendere, & imminentes hoſtes propulſare.

QVAESTIO VNDECIMA.

Vtrum liceat alicui propria bona temporalia defendendo, eorum raptorem occidere.

NEgant Authores illi, qui, vt vidimus, negant licere defendendo ſe aliquem occidere.

Alij volūt, tunc ſolùm licere, quando admiſcetur periculum perſonæ. Ita Couarruuias *in Clement. ſi furioſus par. 3. §. vn. co.*

ASSERTIO VNICA.

Licet alicui propria bona defendendo eorum raptorem occidere.

HÆc eſt communis ſententia, quam tenent Cardinalis Caietanus, Salon, Syluius *in 2. 2. D. Thomæ*, Syluester *verb. excommunicatio 6. §. ſciendum 4. caſ 9. verbo homicidium 1. q. 4.* Soto *de iuſt. & iu. lib. 5. q. 1. art. 8.* Medina *cap. de reb. reſtit. q. 4.* Martinus Nauarrus *in ſumma cap. 15. num. 2. & 3.* Vaſquez *de reſtitut. cap. 2. §. 1. dub. 8.* Nauarra *à num. 404.* Amicus *de iuſt. & iur. diſp. 36. ſect. 8.* Say us *l. 7. de homi. 0 ap. 1. dub. 9.* Leſſius *de iuſtit. & iure lib. 2. cap. 9. dubit. 11.* Molina *diſp. 16.* Valentia *in 2. 2. diſp. 5. q. 8. puncto 4.* Cardinalis de Lugo *diſp. 10. ſect. 9.* & alij paſſim.

Hæc tamen ſententia etſi communis non videtur probanda, niſi cum ſequentibus limitationibus. Prima eſt, tunc poſſe licitè furem occidi, quando res ab eo ablata non poſſit aliter, quàm per eius necem recuperari, vel certè nonniſi difficilè, & de hoc Dominus certus ſit moraliter. Sicut enim pro defenſione vitæ nefas

eſt occidere aggreſsorem, niſi quando aliter euadere quis nequit periculum;ſic longè maiori ratione neſas eſt defendendo bona temporalia, quæ aliter liberari poſſunt, eorum raptorem occidere. Hinc ſi fur poſſit comprehendi, ac detineri, non debet occidi. Ideò Exodi 22. dicitur (*ſi effringens fur domum,ſiuè ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis. Quod ſi orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur*) quia nempè noctis tempore per furem ablata difficilè recuperari poſſunt, ſicut & difficilè eſt noctu furem comprehendere, ac detinere.

Eſt tamen, & in hac re moderamen inculpatæ tutelæ adhibendum: Vnde fur priùs monendus eſt, ac terrendus, vt reſtituat ablata, aut ab inuaſione deſiſtat, & tunc ſi non deſiſtat, aut repugnet, licitè poteſt occidi, vndè illud Exodi, quod fur, qui noctu inuentus fuerit effringens, aut ſuffodiens domum, occidi poſſit, intelligendum eſt, ſi priùs monitus nolit à ſuffoſſione domus deſiſtere, aut bona ablata reſtituere. Quia tamen adhuc ſupponimus difficilè bona per furem nocturnum ablata, citra eius mortem recuperare, & è contra vix accidere poſſit caſus, in quo bona temporalia à fure diurno citra eius mortem recuperari non poſſint, quod non ita eſt de fure nocturno; hæc eſt ratio, quare per leges licitum ſit furem nocturnum interficere, vt rectè adnotat Sayrus *lib.* 7. *cap.* 10. quia ſcilicet præſumunt leges, non poſſe communiter citra eius occiſionem bona recuperari, non autem liceat occidere furem diurnum, quia rationabiliter præſumunt poſſe aliter res recuperari furem capiendo, aut alia via iuſta; & propterea,quia occiſio die facta non omninò neceſſaria,nec inculpatum habere moderamen intelligitur, ideò leges aliter de fure diurno, ac nocturno ſtatuerunt, vt patet ex loco allato Exodi 22. Si tamen quis aliter res ſuas recuperare non poſſet, quàm occidendo furem diurnum, & id certitudine morali cognoſcat, occidendo illum, in foro animæ à peccato excuſatur. In qua tamen re vnuſquiſque ſibi conſulere debet. Nam etiamſi pro vita defendenda occiderit, niſi id aliqua ratione probet, non erit à iudicio exteriori immunis.

Conſonat his *l. furem* iuncta gloſſa ibi *ff. ad l. Corn. de ſicarijs*, quæ ſolum permittit occidere furem nocturnum, quando ſine periculo non poteſt ei parcere. Quod Gloſſa exponit de periculo, ſiuè propriæ perſonæ, ſiuè amittendi res proprias.

Conſonat item *l ſed & ſi, ff. ad leg. Aquil.* quæ ait, *ſi quis cum furem apprehendere poſſet, maluit occidere, magis eſt, vt iniuriam feciſſe videatur.*

Conſentaneè ad hæc intelligenda eſt *l.* 4. *tit.* 23. *libr.* 8. *nouæ Collect.* quæ dum mortis pœnam ſtatuit interficientibus data opera, excipit caſum, quo quis latronem occidat, qui ſuffodiat domum illius, aut furetur, & ſe retineri non permittit, vel furto ablata reſtituere noluit.

Et quamuis D. Auguſtinus in Exodum ad verba illa *cap.* 22. & refertur *cap. ſi perfodiens* de homicidio, ea ſic intelligat, quod fur diurnus occidi non poſſit, quia poterat diſcerni, quod

quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet, idque de nocturno diſcerni non poteſt, communis tamen Doctorum illius loci intelligentia eſt ea, quam attulimus, eamque ſupponit, & amplectitur D. Thomas 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. vbi in argumento ſed contra, ſupponit verba Exodi laudata ita intelligenda, vt licitum ſit pro defenſione domus furem occidere, nam ad ea verba ſubſumit, & concludit, *ſed multò magis licitum eſt defendere propriam vitam, quàm propriam domum, ergò etiamſi aliquis occidat aliquem pro defenſione vitæ ſuæ, non erit reus homicidij.*

Secunda limitatio ſententiæ communis eſt, non pro quacumque re licere occidere furem: iniquum enim eſſet pro vno nummo argenteo, aut etiam aureo hominem perimere. Vndè à Sanctiſſimo D. N. Innocentio XI. in decreto 2. Martij 1679. damnata fuit propoſitio 31. quæ eſt hæc (*Regulariter occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei*) vt ergò furis occiſio licita ſit, debet eſſe ob furtum rei magni valoris, ita vt notabile damnum inde domino ſequatur ex illius amiſſione, & multò magis ſi res ablata ſit ei, cui eſt ablata, ad ſuæ, ſuorumque vitæ ſuſtentationem neceſſaria.

Tertia limitatio eſt, vt occiſio non fiat ex interuallo, ſed ex incontinenti; cenſetur autem quis ex incontinenti furem percutere, ſi adhuc cepta inuaſio, & defenſio continuetur, velut ſi fur cum bonis ablatis aufugiat, vt ſi fugiat cum ſuo equo, potes illum fugientem, telo, vel ſagitta occidere, ſi admonitus, & perterrefactus non deſiſtat, antequam in tutum ſe recipiat; toto enim illo tempore eſt in flagranti delicto, & ideò non modo, quando raperet, verùm etiam quando fugit, niſi alia via bona recuperari poſſint, licet latronem inſequi, & à longè, ſi poteſt antequam rem occultet occidere. Ita cum Syluestro, & Soto tenent Molina, Leſſius, & Amicus, ac alij recentiores communiter, ſi periculum ſit, ne bona occultet, vel conſumat. Non poteſt autem occidi poſtquam in domum ſe recepit, vel ad alia negotia diuertit: tunc enim deſinit eſſe inuaſor, & iam ceſſauit vis, & ſolùm eſt iniquus detentor; vndè adhibenda ſunt alia media per iuridicam actionem; natura autem, & iura non permittunt, vt iniquum detentorem, qui rem occultauit, & domi iam eſt pacificus, vel ad alia diuertit, quis occidere poſſit, ne occaſio iurgijs, & rixis præbeatur. Satis igitur eſt, quod interficere poſſit fugientem, antequã rem occultare poſſit.

Vndè non videtur admittẽda opinio Molinæ, qui etſi dicat occiſionem furis non eſſe licitam, niſi cum ſit ex incontinenti, & incontinenti res ablata recuperari poſſit; Addit tamen dari non poſſe regulam certam ad dignoſcendum, quando dici poſſit occiſionem, & recuperationem ex incontinenti fieri, ſed id arbitrio prudentis viri penſandum eſſe, ſpectata qualitate rei, de qua quis expulſus eſt, qualitate loci, potentia, & qualitate expellentis, & expulſi, alijſque circumſtantijs. Hinc addit, quod ſi facilè poſſit inuaſor expelli, recuperatio cenſebitur ex incontinenti facta, ſi fiat antequam expulſus ad alia diuer-

tat: ſi verò non poſſit facilè expelli, adhuc dicetur ex incontinenti,& non ex interuallo facta recuperatio, licet tantùm tempus interceſſerit, quantùm requirebatur ad conuocandam copiam hominum neceſſariam ad illum potentiorem inuaſorem expellendum, ad quod aliquando duo mẽſes non ſufficiunt, immò aliquando, nec decem annorum ſpatium ſufficiet. Non inquam admittenda videtur hæc opinio; nam ſi agatur de fure, qui bonum aliquod abſtulerit,non poteſt dici occiſio,& recuperatio fieri ex incontinenti, niſi ſtatim poſt rei ablationem contingat, antequam fur in tutum ſe recipiat. Si verò ſit ſermo de aliquo Principe inuadente,& auferente iniuſtè Ciuitatem, aut ditionem alterius Principis, licitum eſt etiam poſt aliquod tempus, vſque dum expoliatus milites cogat ipsũ inuadere: ſed hic eſt alius caſus à præſenti, de quo agimus,ſcilicet de fure priuato,& de furto à priuato facto; nã ſi ſit Princeps,qui poſſit bellum indicere, & aduerſariũ ſuũ armis ad reſtitutionẽ cogere,poteſt id vtique vi,& armis præſtare; Si autẽ ſit perſona priuata, non poteſt in auferentẽ ſua bona per vim agere, niſi in actuali inuaſione id faciat; poſtquam enim raptor in tutum ſe recepit, ad alia remedia iuridica recurrendum eſt; quod ſi neque per hæc poſſit ſibi ſuccurrere, patienter ferat; aliàs liceret etiam priuatis occidere, non ſolùm pro retinendis, ſed etiam pro recuperãdis bonis externis olim ablatis, quod non eſt admittendum; vndè multa licent authoritate publica, qualis in bello interuenit, quæ non licent perſonæ priuatæ.

Et multò minus admittenda videtur ſententia Gabrielis Vaſquez *de reſtitut. cap.* 5. quam probat etiam Cardinalis de Lugo *de iuſt.& iur. diſp.* 10. *ſect.* 9. qui dicunt, probabile ſibi videri, quod quando remedium non ſuppetit recuperandi rem ſuam per vires iuridicas, potes eam, ſi in ſpecie exiſtat, recuperare per vim. Sicut enim,inquiunt, fugientem latronem, dum aliud non eſt remedium,licitum eſt configere, & vim inferre,ne iacturam rei notabilis facias; cur non poteris, cum domi quietus eſt poſſidens rem tuam,illi inferre vim? Hæc enim, ſubdunt, non eſt vindicta, ſed tueri tuum ius, & te defendere à violentia, quam actu pateris. Si enim licet propellere iniuriam, qua quis actu rem tuam aufert, & eam in domum ſuam tranſportat; cur id non licebit, quando rem tuam recuperare contendis, & ille impedit? nam licet tunc non ſit inuaſor perſonæ, eſt adhuc inuaſor rei, quam continuato adhuc peccato furti violenter detinet; inuaſor enim eſt, quamdiù iniuriam infert; ergò vt inuaſor poteſt occidi.

Hæc inquam opinio non videtur admittenda. Nam ſicut iura non permittunt, quod quis pro defenſione propriæ vitæ inuaſorem occidat extra inuaſionem, & conflictum actualem, vt ſupra oſtendimus;ita nec permittunt, vt pro defenſione aliorum bonorum temporalium, quis furem occidat extra actualem illorum inuaſionem, & inuaſionis cõtinuationem; poſtquam enim fur in tutum ſe recepit, & inuaſio non continuatur, non vrget vi dominum bonorum illorum: ac proindè non poteſt tunc fur ille

per

per vim repelli, nam vi quis repelli non poteſt, niſi cum adhibet vim: & ideò ſecundum iura puniuntur, qui non incontinenti, ſed ex interuallo rem ſuam à poſſeſſore per vim propria authoritate auferunt. Nec valet, quod Vaſquez, ac de Lugo reſpondent, quando Doctores communiter dicunt, quod domi poſsidentem occidere non poſſum, ideò id dicere, quia communiter aliud eſt remediũ, immò ſemper authoritate Iudicis recuperari poteſt: ſed tamen quando omnia ſunt perturbata liceret occidere, ſicut & liceret occidere, quando nulla prorſus remaneret ſpes bona propria recuperandi. Non inquam, id valet, quia licet omnia eſſent perturbata, & nulla ſupereſſet ſpes bona ſublata recuperandi, non licet alicui furem extra actualem cõflictum, & inuaſionem rerum ſuarum occidere ex ratione adducta: & ſi non poſsit recuperare, potius debet patienter ferre, quam furem tunc occidere: nam iniuſtè illũ occideret extra actualem inuaſionem, cum id priuatæ perſonæ non ſit conceſsum.

Aſſertio noſtra ſic limitata probatur primò authoritate inducta Exodi 22. (*Si effringens fur domum, ſiuè ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis*) igitur pro defenſione facultatum, ſeù bonorum temporalium licet furem occidere. Nec obſtant verba ſequentia, ſcilicet, (*quod ſi orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur*) nam vt dictum eſt, hæc ſubduntur, quia in die ſupponitur alia via poſſe bona ſublata recuperari, quàm per occiſionem furis: ſed ſi etiam in die alia via non poſsent ablata bona recuperari, poſſet & in die fur occidi incontinenti tamen, vt dictum eſt.

Probatur ſecundò ex *cap. olim 1. de reſtit. ſpoliat.* & ex *cap. 2. de homicidio*, in quibus id licitum eſse ſupponitur: nam licet in eo *cap. 2.* dicatur, *occidiſſe, te quoque liberando*, vndè aliqui volunt, non ſufficere neceſſitatem liberandi tua, niſi neceſsè etiam ſit, te ipſum liberare: Veriùs tamen eſt, verba illa non intelligi copulatiuè, ſed diſiunctiuè, vt ſenſus ſit, *ſi interfeciſti te liberando non peccaſti, vel ſi interfeciſti tua liberando, nec etiam peccaſti*, quemadmodum interpretatus eſt Petrus Nauarra *lib. 2. cap. 3. num. 406.* & alij communiter, & quomodò eadem phraſis accipitur in *cap. Verum, tit. de iureiurando*, vbi Cæleſtinus Tertius à iuramẽto abſoluit eos, qui pro vita, & rebus ſeruandis inuiti iurauerant. Vel dicatur, quod ſenſus coniunctiuus eſt duplex, alius copulatus, vt quando prædicatum non conuenit, niſi omnibus ſubiectis coniunctim acceptis, vt (Petrus, & Paulus, & Ioannes ſunt tres) prædicatum hoc non conuenit niſi omnibus ſimul copulatim acceptis: alius copulatiuus, vt quando prædicatum conuenit omnibus, & ſingulis ſingillatim acceptis, vt Petrus, & Paulus, & Ioannes ſunt homo, de ſingulis ſingillatim hoc prædicatum verificatur. In hoc poſteriori ſenſu ſumitur coniunctio copulatiua in *cit. cap.* alioquin nunquam liceret contra iniuſtum inuaſorem cum ipſius morte ſe defendere, niſi propter tutelam vitæ: & bonorum ſimul. Quia verò in euentu, de quo

ibi

ibi Pontifex fuerat conſultus, defendendo res externas,ſimul neceſsè erat defendere propriam perſonam, eo modo fuit loquutus, alioquin, vt dictum eſt,nec ſufficeret ſola neceſſitas liberandi te,niſi adeſset neceſſitas etiã liberandi tua bona. Si autem ſola neceſſitas liberandi te, eſt quæ attenditur, fruſtrà additum eſt, *tuaque*, cum defenſio bonorum nullo modo excuſet.

Tertiò probatur. Quia plus excedit vita ſpiritualis aggreſſoris vitam temporalem tuam, quam eius vita temporalis bona externa tua, ſed potes defendere vitam corporalem propriam cum diſpendio ſalutis æternæ aggreſſoris,ergò à fortiori poteris defendere facultates tuas cum diſpendio vitæ corporalis eiuſdem aggreſſoris.

Quartò probatur à priori. Quia principium illud vniuerſaliter eſt verum, quod vim vi repellere licet,vndè ad hanc etiam materiam illud applicat Pontifex in *cap. dilecto, de ſententia excommunicationis in 6.* his verbis: *Cum omnes leges, omnia iura vim vi repellere cunctiſque ſeſe defenſare permittant,licuit ipſi Decano (ſi prædictus Baliuus eum bonis ſuis mundanis iniurioſè ſpoliare, vel ea violenter occupare præſumpſerit) contra illius violentiam iniuriamque ſe tueri.*

Si dicas licere ſe tueri armis corporalibus, ſed infra mortem furis,ſeù inuadentis.

Reſpondetur illam reſtrictionem nuſquam exprimi, quamuis requiratur, vt is, qui bona ſua tuetur, non aliud ex intentione agat, quàm quod illa ſuà bona defendat, idque ſeruato moderamine. Eamdem doctrinam inſinuat S. Thomas 2. 2. *q.64.art.7. ad* 1. docens enim pro rebus huiuſmodi, non licere aliquem interficere ex intentione, ſatis ſignificat licere interficere per modum iuſtæ, & moderatæ defenſionis, modo data opera non hoc agatur, vt quis furem interficiat, ſed vt ſua bona defendat;ſimiliter enim dicit non poſſe interfici inuaſorem intendendo ipſius mortem, vt quis ſeipſum liberet: cum tamen doceat occidere inuaſorem ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, nullam eſſe culpam.

Quintò probatur. Quia bona temporalia ſunt ad vitam neceſſaria; ergò ſicut licet vitam tueri, ita etiam hæc, quæ vitæ ſunt neceſſaria, non ſolùm præcisè, vt viuamus, ſed etiam, vt conuenienter,& honeſtè viuamus.

Sextò probatur. Nam alioqui daretur occaſio furibus, & latronibus viros probos ſpoliandi, nihil enim ab illis eſſet tutum, ſi defenſio neceſſaria non poſſet opponi: conceſſa autem defenſione, etiam conceſſa cenſetur occiſio, ſine qua ſæpè non poteſt eſſe defenſio.

Ex quibus conſtat etiam contra Panormitanum *cap. Suſcepimus* de homicidio, licitum hoc eſſe non ſolùm Laicis, ſed etiam Clericis, qualis erat ille Decanus, de quo in *cap. dilecto*, vt dictum eſt;& ideò permittitur illi vniuerſalis regula (*cunctiſque ſeſe defenſare permittant*) & ratio eſt: Quia facultas hæc de iure naturali competit, neque vnquam iure Eccleſiaſtico reuocata eſt,vt docent alij omnes communiter in locis ſuprà citatis.

Soluun-

Soluuntur Argumenta contra poſitam Aſſertionem.

CONtra poſitam Aſſertionem obij i poteſt primo, quod *cap.* 2. Exodi reputatur homicida, qui furem diurnum occidit.

Reſpondetur ex dictis, furis diurni occiſorem proptereà cenſeri reum homicidij in foro externo, in quo procedit iſta lex iudicialis Exodi 22. partim quia fur diurnus, qui non aliud agit, quam furem, ordinariè poteſt repelli abſque occiſione, ſiuè aduocando vicinos in auxilium, ſiuè aliter; partim quia res, quas auſert poſsunt in iudicio repeti, & recuperari, ac proindè ipſum occidens, ordinariè non ſeruat moderamen inculpatæ tutelæ; furis autem nocturni occiſor declaratur euadere pœnam homicidij, non ſolùm, quia fur præſumitur venire tàm ad occidendum, quàm ad furandum (incerta enim eſt eius vis, & intentio) ſed etiam quia nec tam ſecure poteſt repelli, quàm diurnus, nec tam diſtinctè agnoſci, vt rem ab eo ablatam dominus poſſit in iudicio repetere. Vndè noctu ablata ferè ſunt irrecuperabilia. Cœterum quod ad forum conſcientiæ attinet, & diurni, & nocturni furis interfector reus erit homicidij, ſi moderamen exceſserit, innocens autem, ſi ſeruauerit.

Secundò obijcitur Alexander Tertius *cap. Suſcepimus, tit. de homicidio.* vbi eos peccaſſe ait, qui pro conſeruandis rebus tranſitorijs fures occiderent.

Reſpondetur, illos, de quibus agit ibi Pontifex exceſſiſſe moderamen inculpatæ tutelæ: nam fures bona illorum non aſportauerant, ſed ſpoliauerant dumtaxat; poſt ſpoliationem verò, ab ipſis, qui ſpoliati fuerant erant ligati, & detenti. Hos autem fures, cum ipſi ſe ſoluere niterentur, vnus, qui apud eos remanſerat occidit, metuens ne ab eis occideretur, cum tamen facilè potuiſſet mortem, quam ab eis timebat, euadere fugiendo.

Tertio S. Auguſtinus *lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 5. dicit, eos non eſſe immunes à peccato, qui pro his rebus, quas contemni oportet humana cæde polluti ſunt.

Reſpondetur primò, Auguſtinum loqui in caſu, quo pro defenſione bonorum temporalium, intenditur mors inuaſoris, quod non licet, vt ſupra diximus, cum de propriæ perſonæ defenſione ageremus. Reſpondetur ſecundò Auguſtinum non aſſertiuè illic loqui, ſed diſputatiuè: neque hoc agere, vt oſtendat, eſſe peccatum occidere inuaſorem ſeruato moderamine, ſed vt inueſtiget modum ac rationem, qua poſſit à peccato excuſari. Paulò enim ante dixerat. *Quapropter legem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, ſed quo pacto illos defendam, qui interficiunt, non inuenio.*

Quartò ſecundum ordinem Charitatis tenemur vitam proximi diligere, plus quàm bona fortunæ nobis propria, ergo, &c.

Reſpondetur, quod ille ordo Charitatis, ſecundum quem debemus velle pati iacturam noſtrorum bonorum

rum ad vitam proximi ſeruandam, non obligat, niſi quando proximus eſt in vrgentiſſima neceſſitate perdendi vitam. Quod in propoſito locum nõ habet; cum ceſſando ab iniuria poſſit vitam ſuam ſolus conſeruàre: rurſus vita proximi corporalis præferenda eſt bonis externis, quando proximus extremè illis indiget, non autem quando eis non indiget, ſed ſua nequitia vult ea occupare.

Quæres vtrum quis nedum licitè poſſit bona temporalia defendendo illorum inuaſorem occidere, ſed etiã ad id teneatur.

Reſpondetur non teneri, ſed licitè, & abſque vllo peccato, poſſe bonorũ temporalium defenſionem omittere, ac illa inuaſori diripienda permittere ad ſeruandam vitam inuaſoris propter Deum, & ad exercitium Charitatis: nam ſicut poteſt quis licitè propriæ vitæ defenſionem omittere, ſeque illius inuaſori perimendum permittere, ad ſeruandã propter Deum vitam inuaſoris: ita & ad ſeruandam propter Deum vitam latronis poteſt quis licitè bonorum temporalium defenſionem omittere, & ea latroni diripienda permitrere: cum longe minus bonum ſint bona temporalia, quam vita corporalis, & homo ſit dominus bonorum temporalium, ac proindè de illis diſponere poſſit, alijſque illa tradere.

QVAESTIO DVODECIMA.

Vtrum alicui liceat, honorem, famam, aut pudicitiam defendendo aliquem occidere.

Honoris nomine hic non intelligitur teſtificatio de excellentia alicuius, quæ fit per externa ſigna, eiuſmodi ſunt inclinationes, obuiationes, & alia huiuſmodi, in quibus honor conſiſtit, vt ait S. Thomas 2. 2. *queſt.* 103. *art.* 1. ſed honoris nomine hic intelligitur honorabilitas, & æſtimabilitas illa intrinſeca, quam quilibet homo habet in ſeipſo ex propria conditione, vt creatura nobilis, & rationalis, ob quam vnuſquiſque honore aliquo, & æſtimatione dignus eſt: & eſt ſtatus, ſeu conditio honorificabilis: & præter hanc æſtimabilitatem, datur alia in aliquibus perſonis ex virtute, vel dignitate excellenti reſultans. Honorabilitas autem, ſeu æſtimabilitas conſueuit appellari honor, eo quod honore digna ſit, & honorem, ſeu venerationem mereatur. Pro eodem etiam accipitur aliquando honor, & fama, quæ à Iuriſtis definitur, quod ſit illæſæ dignitatis ſtatus, legibus, & moribus comprobatus.

Vnde fama quoque (bona) hic

non

non accipitur pro famæ, ſeu inculpatæ vitæ exiſtimatione, quæ de aliquo habetur, quæ potiſſimum conſiſtit in opinione virtutis, & ſapientiæ actionibuſque illarum: ſed ſumitur hic fama pro exiſtimabilitate, ſeu pro fundamento, quo innititur bona illa exiſtimatio de aliquo, & eſt ipſa bonitas, & inculpata vita alicuius.

Iniuria verò in triplici ſtatu conſiderari poteſt. Primò enim iniuria conſiderari poteſt antequam actu inferatur, ſed poſtquam eius illatio iam decreta eſt ab inimico, eamque inferre eſt paratus. Secundò conſiderari poteſt, quando proximè intentatur, ſed nondum eſt illata. Tertiò, conſiderari poteſt poſtquam iam eſt illata. Primus caſus eſt, cum quis v.g. decernit aliquem fuſte, vel alapa percutere. Secundus caſus eſt cum quis fuſte, vel alapa nititur aliquem percutere. Tertius, cum quis aliquem fuſte vel alapa iam percuſsit.

Iidem caſus diſtinguēdi ſunt quoad calumniam. Poteſt enim calumnia conſiderari; antequam ſit illata, ſed iam inferri decreta eſt. Secundò, cum ferri intentatur. Tertiò, cum iam eſt illata.

Quoad iniuriam decretam, ſed nondum illatam, aut intentatam, nullus eſt, qui aſſerat, ad eam auertēdam poſſe aliquem occidi. Id enim eſſet aduerſarium præuenire, quod certum eſt non licere; cum iniuriam nōdum illatam nec intentatam auertere non liceat per occiſionem Aduerſarij, qui tantùm decreuit eam inferre: cum non ſit decretum de inferenda morte, de quo aliqui dubitant, vt ſupra diximus, ſed tantùm de inferenda iniuria, quam proindè iniquum eſſet per mortem aduerſarij auertere: ſed cum neque liceat præuenire cum occiſione inimicum, qui alium occidere decreuit, vt ſupra diximus, multò minus licet præuenire cum occiſione inimicum, qui tantùm decreuit iniuriam inferre. Et idem dicendum de illo, qui calumniari decreuit, quod nempe non liceat eum occidendo præuenire.

Hinc non eſt audiendus Franciſcus Amicus, qui *tom.* 5. ſui curſus Theologici *diſp.* 36. *ſect.* 7. *num.* 118. ex obligatione, quam, vt ipſe inquit, Religioſus habet defendendi honorem, & famam, quæ ex virtute, & ſapientia naſcitur, ita concludit. *Vnde licebit Clerico, vel Religioſo calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetat, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, ea, vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, ac coram grauiſſimis viris impingere, niſi occidatur. Nam ſi tali caſu licitum eſt* (inquit Amicus) *Religioſo, ne ipſe occidatur inuaſorem prius occidere, ſi fuga non poſſit, quia ante ſe hoſtem habet, mortem euadere, licitum quoque eidem erit, ad uitandam grauiſſimam, ſui, ſuæque Religionis infamiam, ſi alius modus non ſuppetat, calumniatorem occidere; nam quo iure licitum eſt ſæculari tali caſu calumniatorem occidere, eodem iure licitum uidetur Clerico, ac Religioſo, cum in hoc Religioſus, & ſæcularis ſint omnino pares: nec minus ius in talem honorem habet Clericus, & Religioſus quàm ſæculares*

lares in ſuum, immo maius, quantò maior eſt poſſeſſio ſapientia, & virtutis, ex qua hic honor Clerico, & Religioſo progignitur, quam ſit valor, & dexteritas armorum, ex qua honor ſæcularis naſcitur. Id ipſum confirmat, quod cum licitum ſit Clericis, ac Religioſis furem facultatum occidere, ſi alius modus eas defendendi non ſuperſit: multò magis, inquit, id licitum videtur in tutelam famæ, & honoris ex virtute, & ſapientia Conſurgentis.

Hæc Amicus, qui licet hæc apud alios Authores ſcripta non legiſſe fateatur, & ſolùm diſputandi gratia, hæc ſe proponere dicat, maturo iudicio penes prudentem Lectorem relicto; in eam tamen opinionem inclinat, dum eam argumentis munire ſtudet, quæ inſoluta relinquit.

At meritò doctrina hæc à Sacra Cõgregatione Indicis damnata fuit, proſcripto Tomo quinto eiuſdem Authoris: & iterum damnata fuit in Decreto S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis 24. Septembris 1665. vbi damnatur hæc propoſitio, quę eſt decimaſeptima. *Eſt licitum Religioſo vel Clerico, calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram grauiſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.*

Eſt autem opinio hæc execranda, cum ob comminatam ſolùm calumniam, vel detractionem, occiſionem comminantis licitam eſſe velit; nam nec poſt decretam alicuius occiſionẽ, (quod maius eſt comminatione calumniæ) licitum eſt, vt diximus, occiſionem decernentem occidere: idque nec Religioſo licitum eſt, cum nulli liceat extra caſum actualis inuaſionis aduerſarium occidendo præuenire, vt ſupra firmauimus. Eſt autem alia ratio de occiſione inuaſoris, quæ contingit, cum quis ab eo ſe actualiter defendit, & niſi inuaſorem occidat, non poteſt mortem euadere, vel cum aliter bona ſua recuperare nequit, niſi cum morte latronis: nam in caſu comminationis calumniæ, nõ agitur de actuali inuaſione ad mortem, vel de bonis temporalibus iam ablatis, ſed de futura calumnia; vnde valde iniquum eſſet pro futura calumnia, quæ fortaſſis etiam non continget, mortem inferre minanti calumniam: eo magis, quod calumnia alijs modis vitari poteſt, quàm per mortem comminantis. Idque Clericis, ac Religioſis multò minus licèt, qui famam propriam non ſæculari, aut militari modo tueri debent; & ratione ſtatus, quem elegerunt, & in quo ſe Deo conſecrarunt, renuntiarunt mũdanis honoribus, profiteuturq; Chriſti, cuius veſtigijs inſiſtunt, humilitatis, & manſuetudinis ſe imitatores eſſe potius, quam mundanorum honorum ſectatores.

His ergo communiter ab omnibus reiectis, ad duas quæſtiones præſens difficultas deuoluitur. Prima eſt de iniuria perſonali, quæ iam phyſicè, & actu in alicuius perſonam intentatur: ſeu quæ eſt in fieri, vt ſi quis virum nobilem, & honoratum fuſte, vel alapa percutere nitatur. Vtrum videlicet viro illi nobili fas ſit occidere inuaſorem, qui eum fuſte, vel

alapa

alapa percutere nititur, vt ignominiam inferat, ſi aliter vitari hæc iniuria non poſſit. Altera quæſtio eſt de iniuria alicui iam irrogata, vt ſi vir nobilis fuſtè, vel alapa iam percuſſus, ad abſtergendam iniuriam, qúa eſt affectus poſſit incontinenti repercutere, vel occidere Aduerſarium.

Quoad primam quæſtionem plures, grauesque Doctores affirmant, fas eſſe viro nobili eum occidere, qui ei iniuriam aliquam realem, ac perſonalem actu, & realiter inferre conatur. Ita Syluester *in Summa* verbo *Bellum*, 2. *quæſt.* 2 & verbo *Homicid.*2.*qu.*2. *dicto* 5. Soto *de Iuſtitia & Iure qu.* 1. *art.*8. circa finem. Nauarr. *in Summa cap.* 15. *num.* 4. & 5. Toletus *lib* 5. *cap.* 6. §. *Secundus caſus*, Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *qu.* 8. *de homicidio par.*4.§.*Porro ex hac doct.ſeq.* Rebell. *lib.* 3. *de obligat. ex delicto, qu.* 12. Petrus Nauarra *lib.* 2. *cap.* 3. *num.*369. Leſſius *de Iuſtitia & Iure lib.*2. *cap.*9. *dubit.*12. Vaſquez *de reſtit. cap.*5. §.1. *dub.*9. Cardinalis de Lugo *lib.* 1. *de Iuſtitia & Iure diſp.*10 *sect.* 10. Franciſcus Amicus *tom.* 5. *de Iuſtitia & Iure diſp.*36. *ſect.*7. & alij.

In ſecunda verò quæſtione. Vtrum videlicet vir nobilis, qui vulnus, alapam, conuitium, aut aliam iniuriã accepit, qua eius honor grauiter lędatur, poſſit licitè incontinenti repercutere Aduerſarium, vel occidere ad tuendum honorem, quem amittet, ſi iniuria accepta, aduerſarium illæſum abire ſinat; affirmant id licere Nauarrus *in Manuali cap.* 15. *num.* 3. *in fine* Nauarra *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 380. Victoria Relect. *de Iure belli n.*5. Henriquez *de Irregularit. cap.* 10. vbi plures refert pro eadem ſententia, quam etiam tenet Fernandez *in exam. morali par.* 1. *cap* 9. §. 1. *num.* 16. & alij, quos refert, & ſequitur Diana *tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 1. *miſcell. reſol.* 15. & *par.* 5. *tr.* 4. *reſol.* 11. Leſſius verò, & alij dicunt eſſe ſpeculatiuè probabilem, non tamen in praxi propter magna inconuenientia, quæ in Republica ſequerentur: ſed vt rectè obſeruat Cardinalis de Lugo, ſi hæc inconuenientia per ſe ex illa ſententia ſequuntur, nec ſpeculatiuè erit probabilis ad probabilitatem enim ſpeculatiuam rei moralis, oportet, quod materia ſit talis, vt in circumſtantijs humanis non afferat inconuenientia, quæ eam redddant illicitam; ſi autem ex ſe talia incommoda affert, eo ipſo eſt intrinſecè illicita etiam ſpeculatiuè loquendo. Præterquam quod diſtinctio illa de probabilitate ſpeculatiua, & practica inanis videtur, nam quod non eſt probabile practicè, nec ſpeculatiuè probabile cenſeri debet.

ASSERTIO PRIMA.

Non licet alicui honorem, aut famam propriam defendendo, actualiter illum dehonorantẽ, conuitiantem, iniuriantem, vel calumniantem occidere.

Caſus eſt, cũ quis alapa, vel fuſtè virum nobilem percutere intẽtat, ita vt percuſſio ſit aliquo modo in actu, & vt ſic dicamus in fieri, & pa-

riter ſi quis actu, & præſente aliquo ipſum contumelijs afficiat, & conuitijs dehonoret: vel etiam ei actu, & præſentialiter detrahat, falſa ei crimina imponendo: In caſu iſto, dicimus non licere ſic dehonorato, & conuitiato, ſuum honorem defendendo dehonorantem, & conuitiantem occidere; ita vt quamuis liceat illi honorem ſuum contrarijs verbis defendere, & contra ſe dehonorantem, & conuitiantem clamare: non poteſt tamen honorem ſuum defendendo ſe dehonorantem, & conuitiantem occidere.

Aſſertio iſta eſt contra Authores relatos, ſed docet eam in primis Tannerus *tom. 3. in 2. 2. diſp. 4. quæſt. 8. dub. 4. num. 74.* vbi ſic ait. *Non etiam placet, quod abſolutè dicit Leſsius c. 9. dub. 12. num. 77. citans Sotum, Nauarrum, Silueſtrum, &c. fas eſſe viro honorato occidere inuaſorem, qui fuſtem, vel alapam nititur impingere, vt ignominiam inferat, ſi aliter vitari hæc iniuria nequit; tum quia fieri poteſt, vt ſi res in occulto agatur ea re honor parum lædatur. Tum quia etiam læſus ita honor via Iuris, aut alijs modis recuperari poteſt.*

Reſpondit Cardinalis de Lugo, quod apud homines non cenſetur ſufficienter reintegrari ille honor per Iuris remedia.

Sed contra eſt, quod apud homines probos, & prudentes ſufficienter reintegratur honor per Iuris remedia, de improbis autem, & mundanis, qui de rebus iuxta mundanas leges dijudicant non curandum præſertim à Chriſtiano. Vnde Couarruuias *tom. 1. in Clem. ſi furioſus par. 3. §. vnic. 4. in fine*, in eamdem ſententiam inclinat: nam eam defenſionem per ea, quæ tradit Alexander *lib. 7. conſ. 119.* appellat immoderatam, & inhumanam, barbaris potius, quàm viris ratione præditis, & Religione Chriſtiana inſtitutis conuenientem: quibus ipſe Couarruuias hæc addit. *Et ſanè (præter ipſum) ego conſidero iniquam eſſe hanc commutationem, ſaltem non omnino æquam, quod ob tutelam honoris proprij vitam quis adimat alteri, præſertim ob honorem ad mores probos minimè pertinentem, nec Reipublicæ vtilem, aut Religioni Catholicæ commodum.*

Et certè honor ille, qui tanti æſtimatur ab hominibus mundanis, & politicis, non eſt verus honor, ſed honoris imago; nam verus honor, ſeu vera honorabilitas lædi non poteſt, aut auferri. Quare etſi liceat furem occidere, qui ab inuaſione bonorum temporalium, non vult deſiſtere, eaque eripere tentat: non tamen licet eum occidere, qui iniuriam inferre tentat.

Vir igitur nobilis, & quiſquis alius, cui aliquis alapam impingere nititur, poteſt contraniti, ne iniuria illa afficiatur: ſi autem Aduerſarius ipſum conetur occidere, poteſt ipſe defendendo propriam vitam illum occidere: ſed tunc non occidit defendendo honorem, ſed defendendo vitam, vel perſonam ſuam.

Rationes iſtæ probant, nec etiam licitum eſſe alicui propriam famam defendendo, conuitiatorem, vel detractorem occidere. Nam & iniqua commutatio eſt, ob tutelam famæ vitam proximo adimere, cum id neque

que ſit Reipublicæ vtile, nec Chriſtianæ Religioni commodum.

Occurritur euaſioni Franciſci Amici, & Aſſertio noſtra confirmatur.

RESpondet Amicus *loco citato*, quod ipſe inuaſor ſibi imputet, qui inuaſum coegit, vt ſe ad ſui honoris iuſtam defenſionem interficeret. Cœterum ſat eſt, vt id vtile ſit ipſi innocenti, qui licitè poteſt ſuum honorem vti, & reliqua ſua bona contra iniuſtum aggreſſorem tueri. Quamquam hoc etiam mediatè redundet in bonum Reipublicæ. Hæc Amicus.

Sed contra eſt, quod is cuius honorem, & famam conuitiator, ac detractor, per conuitia, ac detractionem eripere conatur, dici non poteſt, quod propterea cogatur ad proprium honorem, propriamque famam per occiſionem, ſeù cum occiſione conuitiantis, vel detrahentis defendendum: quia poteſt per viam iuris, alijſque modis, vt mox dicemus honorem, & famam recuperare: Vndè honoris, vel famæ ablatio, non eſt malum, ſeù damnum irreparabile; ſicut è contra mors alicui illata eſt malum, ac damnum irreparabile; & ideò qui læditur in honore, vel fama, non læditur irreparabiliter, ſicut irreparabiliter læditur, qui occiditur. Vndè non licet læſo famam, & honorem defendere, cum occiſione læſoris: quia non licet remouere malum reparabile, cum damno, ac malo irreparabili, cuiuſmodi eſt occiſio læſoris. Et ideò eſt diſpar ratio de inuaſore vitæ corporalis; nam hic inferre nititur malum irreparabile, ſcilicet mortem: & propterea inuaſus poteſt propriam vitam tueri cum alio malo irreparabili inuaſoris, ſcilicet cum illius morte, modo ſuprà explicato: vndè in eo caſu non eſt iniqua commutatio. Et idem dicendum de inuaſore bonorum temporalium, ablatio enim bonorum temporalium per furem facta eſt malum irreparabile, ſi fur aufugiat, & ſecum ablata bona deferat; ideò conceditur, vt bonorum ablatorum dominus poſſit bona ſua defendendo furem occidere. Quare famæ inuaſor non coegit inuaſum ad illum occidendum, cum illum conuitijs, & calumnijs affecit, cum inuaſus alijs medijs, quam per occiſionem poſſit honorem, & famam ſuam tueri, vt dictum eſt.

Hinc occiſio illa dici nequit vtilis ipſi innocenti, & inuaſo: nam etſi videatur innocens apud Mundanos famam, & honorem recuperare, non tamen verè recuperat, cum ad eam recuperandam illicitis medijs vtatur, & grauiter delinquat ex ratione iam dicta: vndè damnum infert animæ ſuæ per peccatum. Nec id etiam mediatè redundat in bonum Reipublicæ: nam non redundat in Reipublicæ bonum, quod aliquis honorem ſuum, ac famam recuperet per medium illicitum; cuiuſmodi eſt occiſio inuaſoris famæ; immò id redundat in perniciem Reipublicæ: nam hoc modo aperitur via ad priuatas cædes patrandas, ex prætextu tuendi proprium honorem, & famam.

Qua-

Quapropter cum quis in honore, vel fama læditur, non conſtituitur in talibus anguſtijs, vt niſi læſorem occidat, non poſſit honorem, aut famam recuperare, niſi per occiſionem læſoris. Inuaſus verò quoad vitam corporalem in ijs anguſtijs eſt poſitus, vt, niſi occidat inuadentem, ipſe ab eo ſit occidendus: & ideò ſic inuaſo licet, ſeipſum defendendo, inuaſorem occidere, non autem licet in ſama inuaſo, ſeipſum defendendo, ſamæ inuaſorem occidere. Id autem ex dicendis magis conſtabit.

Soluitur argumẽtum eiuſdem Amici, & afferuntur aliæ rationes pro noſtra ſententia.

ILlud pro ſe affert Amicus, quod honor præſertim ab Illuſtribus, & honeſtis Viris pluris æſtimatur, quàm reliqua bona fortunæ: æquiparatur enim in hominum æſtimatione vitæ. Vndè ſolent communiter Doctores periculum famæ æquiparare periculo vitæ: quin multi honorem præferunt vitæ. At licitum eſt in defenſionem propriarum facultatum inuaſorem occidere. Ergò multò magis in defenſionem honoris.

Reſpondetur, quod honor, & fama ſumpta, vt in præſenti ſumenda eſſe diximus pro æſtimabilitate, & exiſtimabilitate intrinſeca, quam aliquis habet, eſſe quidem bona præſtantiora vita corporali; Id tamen tantùm probat, quod quis illa præferre poſſit propriæ vitæ, & pro illorum bonorum acquiſitione, vel conſeruatione exponere poſſit propriam vitam, niſi aliundè in aliquo caſu id repugnet; Cum enim vera æſtimabilitas oriatur ex vera virtute, & liceat præferre bonum virtutis bono vitæ corporalis, vt ait S. Thomas *in 3. ſentent. loco ſupra citato*, licebit alicui pro acquirenda, vel conſeruanda fama, vel honore vitam corporalem propriam periculo exponere. At id non probat, quod quis licitè conſeruare, vel recuperare poſſit propriam famam, & honorem cum alterius hominis occiſione, etiamſi homo ille illius honorem, & famam læſerit. Nam id fortaſsè licitum eſſet, quando quis verum honorem amiſiſſet, & illum recuperaret, læſorem ſui honoris occidendo: & aliàs nullus alius modus adeſſet, quo amiſſum honorem recuperaret: & idem dicendum de fama, quæ per detractionem ſupponitur amiſſa: quod ſcilicet ſi recuperari poſſit, & recuperetur cum occiſione detractoris, & nullus alius modus adſit recuperandi famam, liceret eam defendere cum occiſione detractoris.

Secùs verò dicendum eſt, ſi honor non ſit ablatus, & in eo caſu, quo eſſet ablatus, non recuperetur per occiſionem illius inuaſoris, vel ſi recuperetur, alius etiam adſit modus eum recuperandi; & pariter quoad bonam famam amiſſam dicendum eſt, occiſionem infamantis eſſe illicitam, ſi per occiſionem infamantis non recuperetur amiſſa fama, vel alijs modis recuperari poſſit. Et ita planè continget in præſenti. Nam ſi de honore loquamur; Certum eſt, quod verus ho-

honor non amittitur per contumelias, aut iniurias, vel conuicia, quæ quis in aliquem proferat: nam cum verus honor, prout in præſenti accipitur, conſiſtat in æſtimabilitate intrinſeca, quæ ad virtutem conſequitur, ſicut non poteſt ab aliquo auferri virtus per conuicia, & per contumelias, ita nec poteſt per hæc auferri æſtimabilitas. Et ob eamdem rationem honor hoc modo ſumptus reddi non poteſt per occiſionem iniuriantis, poſito quod eſſet ablatus: nam ſicut quis non poteſt alteri conferre virtutem, ita nec poteſt alteri conferre intrinſecam æſtimabilitatem; & multò minus æſtimabilitas hæc alicui confertur per occiſionem iniuriantis: nam per eius occiſionem homo nullam virtutem acquirit, aut recuperat, vt de ſe patet: ſed accipiendo honorem, etiam pro actuali honoratione, & obſequio, non ideò iniuria affectus honorem hoc modo acceptum recuperat, quia iniuriantem, & conuiciantem occidat: nam non propterea occidens honorabitur, aut honore dignus habebitur à viris probis, & virtuoſis; immò propter homicidium perpetratum honore indignus reputabitur ab illis, eſto quod ab improbis honoretur. Tandem dato, & non conceſſo, quod qui iniuria afficitur poſſit honorem ſuum recuperare per occiſionem iniuria afficientis, cum honorem ſuum alijs modis recuperare poſſit, vt diximus, & latius infrà dicemus, non licet ad honorem recuperandum vti malo proximi irreparabili, vt iam dictum eſt. Id enim pertinet ad moderamen inculpatæ tutelæ, quod etiam in defenſione honoris obſeruandum eſt, quod ſcilicet non defendatur honor cum occiſione inuadentis, quando alijs modis honor poſſit recuperari.

Et idem dicendum quoad famæ detractionem: quod videlicet, bona fama, quæ in præſenti conſiſtit in exiſtimabilitate intrinſeca alicuius hominis, tolli non poteſt per detractionem aliorum; ſed ſi auferretur, non poteſt reddi per occiſionem detrahentis: nam non ideò, quod infamatus infamantem, ac detrahentem occidat, recuperat bonam famam apud reliquos homines: immò, vt benè aduertit Syluius 2.2.q.64.art.7. *quæſito 9. concluſ. 2.* per occiſionem infamantis non recuperabitur honor (& idem dicendum de fama) quia ex iſtiuſmodi occiſione non habetur, quod ea, quæ fuerunt dicta, ſint falsò, aut iniuſtè dicta; ſed ſolùm, quod occiſor iniquo animo ea tulerit; Sæpè autem iniquo animo feruntur etiā illa, quæ verè, ac iuſtè dicuntur. Quin putare poſſunt hominem, infamatum occidiſſe infamantem, ne vera crimina ei in poſterum poſſet obijcere; Vndè potiùs amiſſam famam recuperaret infamatus, ſi infamans ſuū dictum retractaret; hæc autem retractatio impoſſibilis redditur per infamantis occiſionem: & cum aliàs procurari poſſet etiam à Iudice retractatio, contra proprium honorem agit infamatus, qui occidendo infamantem, iſtius retractationem impoſſibilem reddit.

Cum igitur famam, ſi eſt amiſſa, quis non recuperet, cum detractorem occidit, iam non habet occiſio illa rationem defenſionis propriæ famæ: vn-

vndè relinquitur, quod habeat rationem puri homicidij, quod eſt illicitum.

Et quidem ita dicendum videtur, tùm ob rationes allatas, tùm etiam ne oppoſitæ doctrinæ prætextu via homicidijs, ac cædibus aperiatur.

At verò ſi detur caſus, vt actualis honor, ac fama ſint omninò neceſſaria, vt Caius v. g. honeſtè alijs conuiuat, poterit proprium honorem defendendo ipſe Caius, ne cum graui nota vitam ducat, occidere eius honoris inuaſorem, qui actu nititur illum eripere, non intendendo tamen illius occiſionem, ſed honoris proprij defenſionem, iuxtà ea; quæ diximus ſuprà de occiſione inuaſoris vitæ, aut bonorũ temporalium, ſi nequeat alia ratione ipſum tueri, alijſque modis recuperare (qui tamen caſus eſt rariſſimus, & vix dabilis) tunc enim eſt mera, ac proindè licita defenſio alicuius boni, quod pluris, quàm bona fortunæ à prudentibus, & cordatis viris æſtimatur. Idquè tantùm euincere videtur argumentum P. Amici, qui tamen aliud intendit eo probare.

Vbi aduertendum ex Toleto *lib. 5. cap. 6. num.* 15. id non licere omnibus, niſi Nobilibus, & Perſonis, quæ ſuum tutari honorem maximè obligantur. Vndè nullus Clericus, aut Monachus poteſt in caſu proximè propoſito occidere, ſed tenetur fugere, aut talem iniuriam pati.

Alia argumenta pro noſtra ſententia profert idem Syluius ibidem: præcipua, præter iam allatum, ſunt hæc.

Primum eſt huiuſmodi: Vel enim is, qui eſt infamatus idoneo teſtimonio docere poteſt ſe iniuſtè diffamari, vel non poteſt: ſi priùs abſque iactura vitæ alterius recuperabit ſuum honorem, ſi voluerit; ſi poſterius exponet ſeipſum maiori periculo; poterit enim iſtius homicidij ratione trahi in iudicium, vbi ſi non poſſit probare, quod propter iniuſtam diffamationẽ illud commiſerit, reus homicidij iudicabitur, ac nihilominus remanebit infamis.

Aliud argumentum eſt. Honor, qui æſtimatur ab hominibus frequenter non eſt verus honor, ſed honoris imago, & vt verus ſit, ille non aſportatur ab infamatore, ſicut opes aſportantur à fure: Ad quid ergo pro ipſius recuperatione occidetur infamator?

Deindè etiam ſic arguit. In ſui, ſuorumque defenſione tantùm licet vim vi repellere; fraus autem, calumnia, & detractio non ſunt vis: ergò non ſunt etiam repellendæ per vim, ſed per viam iudicij.

Tandèm ſic concludit. Ex his ſequitur, quo loco ſit habendum, quod quidam ſcribunt, virum nobilem, qui à plebeo inuaditur, quamuis poſſet fuga ſe ab illo liberare, non teneri fugere, ſed poſſe talem aggreſſorem interficere; & ſi inuadatur fuſte, vel alapa poſſe gladio ferire ad ignominiam euitandam: & ſi aggreſſor inflicto vulnere fugiat, poſſe percuſſum repercutere, & inſequi, ac tanta vulnera inferre, quanta putentur ad honorem recuperandum neceſſaria. Horum enim nihil cenſemus admittendum; partim ob rationes antedictas; partim ne portam aperiamus odijs, vindictis, & cœdibus; partim denique, quia vel fugientem, vel percutere ceſſantem repercutere, non ad ne-

neceſſariam defenſionem pertinet, ſed magis ad priuatam vindictam contra illud: *Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus*, ad *Rom.* 12. & contra iſtud, *Nulli malum pro malo reddentes*, ibidem. Hæc Syluius.

Refellitur aliud Amici aſſertum, & hactenus dicta magis elucidantur.

VAldè mirùm eſt, quod Amicus ad probandam ſuam ſententiam aſſerentem, non eſſe licitum alicui occidere illum, qui occulta detractione denigrat, aut denigraturus eſt illius famam, ſicut nec etiam licitum eſſe alicui eum occidere, qui percuſſit, mirùm eſt, inquam, quod ad hanc ſuam veramque ſententiam probandam eo vtatur argumento, quod ad recuperandum honorem, alia ſuperſint media, vt ſi aggreſſor, vel detractor capiatur, & publica authoritate cogatur condignam ſatisfactionem dare: & tamen idem Amicus vult hoc argumentum non probare, quod illicitum ſit illum occidere, qui actu, & actualiter conuitiatur, aut detrahit, quia, inquit, eſt diſpar ratio de contumelioſo, qui in præſentia verbis contumelioſis innocentem aggreditur: nam huic non ſuppetit aliud medium impediendi iniuſtam inuaſionem, ne innocentis famæ, & honori contumelioſis verbis maculam inurat. Nec dicatur, ſubdit Amicus, adhuc ſupereſſe medium, quia poſtquam me contumelijs affecit, curare poſſum iſtum capi, & publica authoritate cogi ad condignam ſatisfactionem exhibendam, vti de occulto detractore, dictum eſt; nam contra eſt, inquit, quod non teneor expectare, vt mihi per contumelioſa verba, vel facta honorem lædat, illum occidere, ſicut antequam aggreſſor mihi membrum mutilet, vel vitam auferat, præuenire poſſum illum occidendo. At verò occultum detractorem præuenire non poſſum, cum priùs per dignos teſtes de illius detractione conſtare debeat. Hæc Amicus.

Verùm allatum argumentum de vtroque caſu probare certum eſt, ſcilicet, non eſſe licitum occidere occultum detractorem, nec eum, qui iam percuſſit; & rurſus idem argumentum probare nō eſſe licitum occidere actualiter, ac præſentialiter detrahentem, aut conuitiãtem, ac etiam actualiter percutientem, ſeù percuſſionem intentantem. Horum inquam, occiſionem illicitam eſſe argumento illo probatur, quo diximus. Ad recuperandum honorem alia media ſupereſſe, vt ſi aggreſſor, vel detractor capiatur, & publica authoritate cogatur condignam ſatisfactionem dare. Hoc enim argumentum probat, nec licitum eſſe, actualem, ac præſentem detractorem, nec futurum percuſſorem occidere: nam quoad occultè, & præſentialiter detrahentem, dicendum eſt, quod etiamſi actu, ac præſentialiter detrahat, famamque alicuius denigret, adhuc poſtquam detraxit, poſſit per viam iuris cogi ad retractanda, quæ contra famam alterius effudit, ſi adſint digni teſtes conteſtes; Vndè non eſt periculum in mora, ita vt fama detracta non ſit repa-

rabilis, niſi detrahentem infamatus occidat: ſicut in congreſſu manuum, quo quis contra propriam vitam corporalem ab aliquo inuaditur: In hoc enim ſecundò caſu eſt periculum in mora, vt niſi aggreſſor occidatur, occidetur aggreſſus: Vndè aggreſſus poſitus eſt in anguſtijs incurrendi damnum irreparabile, ſcilicet mortem. Si verò detractor non detraxit niſi coram illo, cuius famam detrahere voluit, is, cui detraxit, nihil famæ propriæ amiſit, ſed perindè eſt, ac ſi eum ſolitariè, ac nullo præſente conuitiatus fuiſſet. Quare cum damnum, ſi quod per detractionem illatum, alia via, quam per occiſionem detrahentis reparari poſſit, ſtat vis argumenti allati, etiam pro iſto caſu, quod non ſit ille occidendus, qui alicuius famæ detrahit, ſi damnum ab eo illatum poſſit alijs modis, vt verè poteſt, reparari; Tunc enim recurrit aliud argumentum ſuperiùs allatum, quod eſſet iniqua commutatio pro damno reparabili compenſando inferre damnum irreparabile, ſcilicet mortem; Vndè cum argumentum illud cogat ad aſſerendum, non eſſe licitum occidere illum, qui iam percuſſit, & alapam inflixit, cogit etiam, ad aſſerendum, non eſſe licitum, illum occidere, qui percuſſurus eſt, aut actualiter percutit, aut alapam infligit, aut infligere intentat. Nam nec etiam, qui percuſſurus eſt, aut qui actu percutit, ad reparandum honorem læſi occidendus eſt, cum etiam poſtquam percuſſit, & alapam inflixit, cogi poſſit per viam iuris ad condignam ſatisfactionem exhibendam, & ad pœnam luendam. Nec eſt eadem ratio de illo, qui alium aggreditur, vt ei vitam adimat, ac de illo, qui alapam intentat: nam ille, qui contra ſuam vitam corporalem inuaditur, niſi defendat ſe ipſum, etiam cum occiſione inuaſoris, occidetur, & damnum irreparabile incurret, ſcilicet mortem: is verò, cui alapa intentatur, non incurret damnum irreparabile, ſi non occidat intentantem alapam, & ideò huic non licet alapam intentantem occidere. Et idem dicendum de actualiter conuitiante, quod ſcilicet ſi conuitietur, conuitiato non licet eum occidere, vt damnum per conuitia illatum reſarciat, nam poteſt damnum, quod ei infertur per conuitia, alijs modis, quam per occiſionem reparari. Et non eſt intelligibile, quod ait Amicus, quod ſcilicet præueniendus ſit, qui detracturus, aut conuitiaturus eſt: nam vndè colligi poteſt, quod aliquis detracturus ſit, aut conuitiaturus, ſi adhuc non detraxit, aut conuitiatus eſt? Id enim colligi nequit ex eo, quod quis clamet aduerſus aliquem, aut etiam iratum in vultu ſe oſtendat. Hæc enim non arguunt ipſum eſſe detracturum, aut conuitiaturum. Quare magna iniquitas eſſet, eum occidere, qui adhuc non detraxit, nec eſt conuitiatus, ob ſolam ſuſpicionem, quod ſit detracturus, aut conuitiaturus, nullo rationabili de hoc exiſtẽte fundamento: ſed etſi conſtaret eum eſse detracturum, aut conuitiaturum, non liceret eum per occiſionem præuenire ob diſparitatem damnorum hinc indè ſuccedentium, vt dictum eſt; & rurſus, quia non licet occidendo præuenire futurum aggreſſorem vitæ, vndè

dè multò minus licebit occidendo præuenire futurum detractorem, aut conuitiatorem.

Diximus autem, non licere alicui propriam famam, aut honorem defendendo, illorum inuaſorem occidere, qualis eſt actualis conuitiator, aut detractor, aut qui aliquem alapa, vel fuſte percutere intentat. Nec diximus, non licere alicui pro famæ, aut honoris defenſione, illorum inuaſorem occidere; nam poſterior hic modus loquendi deſignaret, quod non licet alicui intendere occiſionem inuaſoris honoris &c. nam hoc abſurdius eſſet, & à nobis ſuprà iam improbatum eſt, etiam cum de vitæ propriæ corporalis defenſione ageremus; Vndè ſolùm remanet quæſtio, vtrum defendendo proprium honorem, aut famam, liceat illorum inuaſorem occidere, id eſt, vtrum liceat eam ſui honoris defenſionem præſtare, quæ ſit inuaſoris occiſiua, eſto actionem illam eliciens non intendat niſi honoris ſui defenſionem, & inuaſoris occiſio præter illius intentionem contingat: ſicut in eodem ſenſu eamdem quæſtionem de propriæ vitæ defenſione excitari diximus. Et in hoc ſenſu intelligendo quæſtionem, vti reuerà intelligenda eſt, quod in eodem ſenſu admiſimus, licitum eſſe in defenſione propriæ vitæ ab iniuſto aggreſſore, quod ſcilicet liceat iniuſtè aggreſſo propriam vitam defendẽdo aggreſſorem occidere, id eſt, quod liceat eam actionem ſui defenſiuam elicere, ad quam præter eius intentionem ſequatur occiſio inuaſoris; hoc ipſum negamus licitum eſſe in defenſionem honoris, & famæ; Idq; ob rationem allatam, nam etſi proprium honorem defendens non intenderet niſi honorem ſuum defendere, ſi tamen præuidet ex ea defenſione inuadentis mortem ſequuturam, tenetur ab ea defenſione abſtinere; & ratio eſt, quia amiſſio proprij honoris, eſt minus malum, quam amiſſio vitæ inuadentis, & rurſus amiſſio proprij honoris, eſt malum reparabile; mors autem inuadentis honorem, eſt malum irreparabile, quod non contingit in defenſione propriæ vitæ: nam in eo caſu malum imminens inuaſo ab inuaſore eſt irreparabile, ſcilicet propria mors; nec teneor abſtinere à defenſione meæ vitæ, ob ſeruandam vitam inuaſoris, quia vnuſquiſque magis tenetur ad conſeruationem propriæ vitæ, quam ad conſeruationem vitæ alterius, vt ait S. Thomas; at homo non tenetur magis ad cõſeruationem proprij honoris, quàm ad conſeruationem vitæ alterius, ſed magis tenetur ad conſeruationem vitæ alterius, quàm ad conſeruationem honoris proprij, ob rationem allatam: ac proindè in diſcrimine, ſeù periculo amittendi honorem proprium pro conſeruatione vitæ alterius, non licet præferre honorem proprium alterius vitæ. Idquè multò magis vrget contra modum, quo Authores oppoſitæ ſententiæ illam tuentur: nam volunt, quod ſi quis contumelijs ab aliquo afficiatur, aut infametur, aut percuſſio per alapam, aut fuſtem intentetur, poſſit ſtatim, ac directè illum occidere; quod quidem dici nequit, nam id eſſet dare directè operam occiſioni, non defenſioni, quod nullatenus, & in nullo caſu licet.

Igitur, vt inuaſoris occiſio licita ſit, requiritur, vt ſit cum defenſione; ſeù potius requiritur, quod actio, qua inuaſor occiditur ſit defenſio inuaſi, ita tamen, vt defenſio ſui intendatur, non verò inuaſi occiſio, ſed hæc in actione illa materialiter ſe habeat, & præter ſe defendentis intentionem, etiamſi à ſe defendente præuideatur, vt diximus ſuprà; non poteſt autem contingere defenſio, ſine mutuo vtriuſque partis congreſſu, & conflictu, ita vt caſus ſit, quod vnus offendat, & alter ſe defendat per actionem ſui defenſiuam, per actionem ſcilicet, quæ à ſui defenſione exordiatur, & ex intentione agentis non tendat, niſi ad ſui defenſionem, licet per accidens, & præter intentionem agentis poſſit habere pro effectu etiam occiſionem, & mortem inuadentis; Is ergò, qui conuitijs, aut detractionibus inuaditur, vt licitè iuxtà aduerſariorum ſententiã inuaſorem occideret, elicere deberet actionem ſui defenſiuam, quæ proindè cum à ſui defenſione exordiatur, exordiri non debet ab occiſione inuadentis, nam tũc non eſſet defenſio inuaſi, ſed mera occiſio inuaſoris, quæ non eſt licita: quàpropter iuxtà ſententiam, quam confutamus inuaſus in caſu poſito non ſe defenderet, ſed ſolùm occideret inuaſorem, & actio illa non haberet rationem aliquam defenſionis, ſed haberet rationem meræ occiſionis. Et idem à fortiori probat, nec præueniri poſſe futurum inuaſorem illum occidendo, nec occidi poſſe illum, qui iniuriosè aliquem percuſſerit: nam cum in nullo ex his caſibus adſit actualis, & mutuus conflictus, non adeſt defenſio illius, qui offendendus eſt, vel qui iam eſt offenſus; Vndè tam occiſio futuri inuaſoris, quàm occiſio eius, qui iam offendit, eſt purum, & merum homicidium, quod eſt illicitum. In caſu autem, de quo in hac prima noſtra aſſertione agimus, de illo, qui actualiter contumelijs, aut detractionibus impetitur ab aliquo, non contingit ex parte inuaſi, & offenſi actio aliqua ſui defenſiua, niſi fortè offenſus contrarijs verbis iniurias, ac detractiones refelleret: ſed etſi offendentem percuteret ad ſui defenſionem, ſi præuideat ex tali percuſſione poſſe ſequi inuadentis homicidium, tenetur ab ea percuſſione abſtinere, etiamſi illam occiſionem non intenderet: quia præuideret inuaſo inferri à ſe damnum irreparabile, vt ſe eriperet à damno reparabili, ſcilicet honoris, & famæ læſione, quæ eſt iniqua compenſatio, vt iam dictum eſt. Vndè quomodocumque conſideretur occiſio inuadentis, non eſt inuaſi defenſio, ſed merum homicidium, quod proindè eſt illicitum.

ASSERTIO SECVNDA.

Vir Nobilis, qui alapam, conuitium, aut aliam iniuriam accepit, non poteſt licitè incontinenti repercutere aduerſarium, vel ipſum occidere ad proprium honorem defendendum.

ITa contra Authores ſuprà relatos docent communiter Doctores Soto

to *libr. 5. de Iuſtitia, & iur. quæſt. 1. art. 8.* Carrerius *in pract. §. homicid. 6. num.* 110. Molina *diſp. 17. nu. 8.* Vaſquez *dub. 9. num. 37.* Rodriquez *in ſumm. tom. 1. cap. 135. num. 11.* Turrianus *diſp. 27. dub. 3.* Bannes, Salon, Malderus, & alij, quos citat, & ſequitur Cardinalis de Lugo *tom. 1. de iuſtitia, & iur. diſp. 10. ſect. 10. num. 190.* vbi obſeruat meritò Vaſquez dixiſſe, contrariam ſententiam gentilitatem ſapere, & à Christiana lege alienam eſſe, ita vt ipſimet mundani, qui pactione coacti ad recuperandum honorem offenſi, repercutiunt, vel occidunt, ſtimulante tamen conſcientia, videant, & fateantur ſe grauiter peccare, licet mundanis honoris legibus aliud facere non poſſint.

Ratio autem à priori huius ſententiæ hæc eſt. Quia occiſio, vel percuſſio priuata non licet niſi in caſu defenſionis rei, quàm aliter amittes, & eo modo conſeruabis, alioquin non erit defenſio, ſed vindicta, quæ auctoritate priuata ſemper eſt illicita, vt etiam Authores oppoſitæ ſententiæ fatentur: In caſu autem præſenti occiſio illa non conducit ad conſeruandum honorem; honor enim iuxtà illos iam destructus eſt per iniuriam illatam, ſed deſeruit ad acquirendum alium honorem, quem apud homines acquiris ob fortitudinem, qua te vindicaſti: quare non poteſt præſcindere à ratione vindictæ, quia non aliter conducit ad honorem acquirendum, niſi quatenus honorificum eſt apud homines te vindicare: Nec conſeruat, aut recuperat honorem; nam hunc ipſi volunt eſſe ablatum, quia illa erat nota exiſtimationis, quam offenſor debebat exhibere, quam quidem non exhibet offenſor percuſſus, immò nec amplius exhibere poterit, ſi occidatur: nec verò illum percutis, vel occidis, vt reddat honorem, & notam bonæ exiſtimationis de re, quam debebat dare, & iniuſtè abſtulit, ſed vt acquiras alium honorem apud cæteros, quo compenſes iacturam illius honoris, quem ab offenſore non habuiſti: Ergò illa occiſio non eſt propriè defenſio, nec eo titulo licita reddi poteſt, ſed ſemper remanet ſub ratione vindictæ, ſub qua ſola vtilis eſt ad acquirendum honorem æquiualentem, quo videaris retinere tantundem honoris, quãtùm anteà habebas, dùm pro honore, vt creditur, amiſſo, alium honorem apud homines de nouo acquiris.

Dixi honorem iuxtà opinionem illorum, qui aduerſarium repercutiunt, vel occidunt, eſſe ablatum, nam reuerà, vt anteà diximus, honor verus non eſt ablatus, ſed ſolùm mũdanus, & apud mundanos, cum quis iniuria afficitur; At ſuppoſito, quod vt illi volunt, ſit ablatus, vrget ratio allata: nam honor ille, ſi ablatus eſt, non poteſt amplius recuperari.

Hanc eamdem ſecundam aſſertionem probant argumenta, quæ pro prima Aſſertione adduximus. Probant enim hæc omnia argumenta, nedùm non licere incontinenter honoris, & famæ læſorem occidere. Sed id multò minus licere ex interuallo, & poſt aliquod tempus; immò grauius peccant, qui non ex incontinenti, ſed poſt aliquod tempus occidunt, vel occidere mandant eum, qui famam,

mam, aut honorem læſit, quam qui eumdem cum actu detrahit, aut ſtatim poſtquam detraxit, occidunt: nam qui poſt interuallum occidunt, vel occidi mandant, minori paſſione tenentur, ac maiori malitia, & peruicaciori vindictæ animo in eum, qui honorem læſit, feruntur. Ex quo patet, quam grauiter delinquant Principes illi, qui retento ad plures annos in aliquem odio, quem eorum honorem læſiſſe putant, eum occidi mandant, tantumque crimen, tantamque iniquitatem quaſi aquam bibunt, nil curantes de reſtitutione Parentibus occiſi, qui graue damnum ob eam occiſionẽ patiuntur facienda.

ASSERTIO TERTIA.

Licet Mulieri propriam defendere pudicitiam, etiam cum occiſione aggreſſoris, immò ad illam etiam cum occiſione aggreſſoris defendendam tenetur, ſi ſibi timeat cõſenſum in peccatum, & delectationem venereã, & aliter aggreſſorem repellere nequeat, ſecùs verò ſi conſenſum in peccatum, & delectationem veneream non timeat.

Prima pars huius Aſſertionis cõmunis eſt inter Doctores, Caietanus 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. §. *ex his autem*, Mercadus *cap.* 5. Syluester *in Summa, verbo homicidium* 2. *quaſt.* 5. Nauarrus *cap.* 15. *num.* 5. Petrus à Nauarra *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *num.* 593. Rodriquez *par.* 1. *cap.* 136. *num.* 14. Molina *tom.* 4. *de iuſt. & iure tract.* 3. *diſp.* 18. *num.* 10. Syluius *in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *quaſit.* 9. *concluſ.* 1. de Lugo *de iuſtitia, & iure tom.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 10. *num.* 195. *& alij*. Ratio eſt, quia ſic occidens vim vi repellit in re magnĩ momenti, cum pudicitia ſecundum ſe maius bonum ſit, quàm multæ opes, & bona temporalia: ergò ſi licet homini bona temporalia defendendo aggreſſorem occidere: & mulieri licebit ſuam pudicitiam defendendo aggreſſorem occidere, cum pudicitia ſit bonum excellentius, quam bona temporalia: idque eo magis, quod mulier non habet dominium ſui corporis, vndè ſi licet alicui propriam vitam corporalem defendendo aggreſſorem occidere, licebit & mulieri propriam pudicitiam defendere cum occiſione aggreſſoris.

Dicimus autem, licitum eſſe mulieri propriam pudicitiam, & caſtitatem defendendo, aggreſſorem occidere, vt per hæc ſignificemus, vti etiam diximus cum de propriæ vitæ defenſione ageremus, quod mulieris intentio eſſe debeat, ſe defendendi, non verò aggreſſorem occidendi, ita vt aggreſſoris mors præter intentionem ſe defendentis contingat. Et in hac ipſa caſtitatis defenſione mulier vti debet moderamine inculpatæ tutelæ; vndè priùs debet fugere, ſi poteſt, vt per fugam, ſe de manibus iniqui

qui aggreſſoris eripiat: vel ſi non poteſt, debet clamare, contraniti, reſiſtere, percutere aggreſſorem, & ſi hæc non ſint ſatis, poteſt etiam occidere (ea tamen cautela, vt non intendat niſi caſtitatis ſuæ defenſionem) etiamſi præuideat ex defenſione illa aggreſſoris mortem ſequi poſſe.

Secunda verò pars Aſſertionis, quod ſcilicet mulier teneatur propriam pudicitiam defendere etiam cum occiſione aggreſſoris, ſi timeat ſibi conſenſum in peccatum, & delectationem veneream, & aliter aggreſſorem repellere nequeat, communis etiam eſſe debet inter Doctores: quia mulier tenetur præferre propriam vitam ſpiritualem, & ſuam ſpiritualem ſalutem vitæ corporali, immò & ſpirituali alterius; nec licet ei ad ſeruandam vitam corporalem, vel ſpiritualem alterius peccatum admittere, & propriæ ſalutis ſpiritualis iacturam facere, vti faceret, ſi ad ſeruandam vitam aggreſſoris, abſtineret ab eius occiſione, & conſenſum præberet peccato, ac delectationi venereæ: ergo tenetur propriam pudicitiam defendere etiam cum occiſione aggreſſoris, ſi aliter ipſum à ſe repellere nequeat: aggreſſor autem ſibi imputet propriæ vitæ ſpiritualis, & corporalis iacturam, cum ipſe ex ſua malitia ſe in eas anguſtias contulerit, vt mulierem cogeret ad eam defenſionem præſtandam.

Cum autem dicimus mulierem teneri ad propriam pudicitiam defendendam etiam cùm occiſione aggreſſoris, non eſt ſenſus, quòd mulier teneatur velle, & intendere aggreſſoris occiſionem, ſed quod teneatur velle, & intendere ſuæ pudicitiæ defenſionem, etiamſi ad eam defenſionem, ſequatur occiſio aggreſſoris, & aggreſſoris occiſionem præuideat futuram: ita vt non teneatur ab ea defenſione deſiſtere, etiamſi præuideat ex ea defenſione ſequuturam eſſe mortem aggreſſoris.

Tertia verò pars Aſſertionis, ſcilicèt, quod mulier non teneatur pudicitiam ſuam defendere cum occiſione aggreſſoris, ſi conſenſum in peccatum, & delectationem veneream non timeat, probatur, & explicatur, quia ſi talem conſenſum ſibi non timeat, & firmum propoſitum habeat non conſentiendi delectationi venereæ, ſeu peccato, ſeque in adiutorio Dei confidens delectationi venereæ non conſenſuram putat, licitum ei erit poſt reſiſtentiam, citra occiſionem, adhibitam, abſtinere ab occiſione aggreſſoris, & ſe illi proſtituendam permittere, ne ille vitam amittat, ac præterea æternæ ſalutis iacturam faciat. Et hæc eſt ſententia Molinæ loco citato, quæ mihi probatur, ibi enim aſſerit Molina: *Poſſe puellam reluctando, ac ſe omninò continendo à conſenſu in culpam lethalem non interficere oppreſſorem, etiamſi interficere illum poſſet, idque laudabilius eſſe, ne miſer ille cum corporali vita amitteret æternam, ſempiterniſque cruciatibus adigeretur, dummodo ea mulier vires in ſe ſentiret ad reſiſtendum peccato.*

Nec obſtat, quod mulier non ſit domina proprij corporis, ac proindè non poſſit illud in eo caſu proſtitutioni inuaſoris permittere, ob quam rationem illicitum eſt ſtuprum etiam ex parte puellæ, quamuis ipſa conſentiat,

ſentiat, vt dicemus quæſtione ſequẽti. Hoc, inquam, non obſtat, nam hoc, quod eſt puellam non eſſe dominam proprij corporis ſolùm probat puellam non poſſe abſque rationabili motiuo de ſuo corpore diſponere, illudque proſtituendum, & violandum alteri, ſine præcedenti reſiſtentia; & volentem, ac lubentem, & in proprium peccatum conſentientem, permittere: qua ratione ſtuprum committit puella, quæ conſentiens, & non inuita ſe alteri corrumpendam exhibet, & in peccatum, ac delectationem veneream conſentit. At non probat, quòd peccet puella, cum poſt reſiſtentiam adhibitam certa, quòd venereæ delectationi non conſentiet, abſtinet ab occiſione aggreſſoris, qui eam eſt violaturus, ex motiuo charitatis erga eumdem, ac proindè ex motiuo charitatis erga Deum. Ad hoc enim cenſendum eſt conceſſam fuiſſe facultatem à Deo, cum facultatem conceſſit, homini, vt propriam vitam exponeret pro vita corporali alterius; ac proindè facultatem conceſſit, vt inuaſus ab inuaſoris occiſione abſtinere poſſit, etiamſi alia via propriam vitam tueri nequeat. Cum enim vita corporalis ſit maius bonum, quàm phyſica integritas virginalis, & cum Deus, qui eſt Dominus vitæ hominum indulſerit, vt quis à propriæ vitæ defenſione abſtinere poſſit, ſeque alteri perimendum poſſit permittere, ne ille perimatur, & ſalutis æternæ iacturam faciat, idque eximiæ charitatis actum declarauerit; idem dicendum eſt Deum diſpoſuiſſe de integritate virginali, ac de pudicitia, videlicet, licitum eſſe puellæ poſt ſufficientem reſiſtentiam adhibitam eius aggreſſori, ſe illi proſtituendam permittere ab illius occiſione abſtinendo ex motiuo prædicto, dummodò non adſit conſenſus in actum, & delectationem veneream. Hoc enim poſito, puella non tenetur defendere ſe ipſam cum occiſione aggreſſoris, ſed poteſt à tali defenſione abſtinere; nam adeſt rationabilis cauſa eam omittendi; quare omiſſio defenſionis cum occiſione aggreſſoris tunc non eſt puellæ culpabilis: quia omiſſio tunc eſt culpabilis, cum omittens poteſt, & tenetur præſtare actum omiſſum, quod non contingit in præſenti.

Si autem puella putet ſe delectationi venereæ conſenſuram, vel de hoc timet, vti rationabiliter timeri poteſt propter vehementiam delectationis venereæ, tunc puella tenetur ad propriæ pudicitiæ defenſionem etiam cum occiſione inuaſoris, plus enim tenetur ad propriæ ſalutis ſpiritualis conſeruationem, quàm ad conſeruationem vitæ corporalis, immò etiam ſpiritualis alterius.

Igitur mulier tenetur aggreſſori pudicitiæ reſiſtere, non tàmen ei reſiſtere tenetur cum illius occiſione, ſi abſit periculum conſenſus in delectationem veneream, etſi ei liceat aggreſſorem occidere, ſi alio modo eum à ſe repellere non poſſit.

Soluun-

Soluuntur argumenta contra tertiam Aſſertionem, & eadem Aſsertio alijs rationibus confirmatur.

Contra tertiam hanc Aſſertionem obijcies primò. Quod concurrente ſimul peccato proprio,& alieno, potius permittendum eſt alienum peccatum, quam ſponte aſſentiendum p oprio: ſed in caſu, quo puella v. g. ab iniuſto aggreſſore inuaderetur, concurreret ſimul peccatum illius l bidinis v. g. & peccatum homicidij, ſi puella oppreſſorem occideret; ergo videtur,quod potiùs teneatur permittere ſibi ab illo vim inferri, quam illum occidere.

Reſpondetur conceſſa maiori, negando ſuppoſitum minoris. Supponitur enim, quod puella ob pudicitię tutelam oppreſſorem occidens debito ſeruato moderamine, peccatum committat, quod vtique eſt falſum. In euentu enim illicitæ læſionis, & ablationis ſeu vitæ, ſeu bonorũ temporalium, ſeu pudicitiæ vtriuſque fori leges occiſionem iniuſti aggreſſoris permittunt, & quod quis, ſe defendendo, aggreſſorem iniuſtum occidere poſſit.

Obijcies ſecundò, ex duobus malis minus eſt eligendum: ſed in caſu, quo aut ſubeunda eſſet pudicitiæ iactura, aut oppreſſor interimendus, minus malum videtur eſſe, pudicitiæ iacturam pati, quàm oppreſſorem occidere, atque æternæ damnationis pœnam illi parare,præſertim cum inuitè patienti pudicitiæ iactura non imputetur ad culpam, ſed potius ad meriti, ac coronæ cumulum,iuxta illud Sanctæ Luciæ ad Tyrannum. *Si me inuitam iuſſer's violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Ergo non licet puellæ oppreſſorem interimere ſuam pudicitiam defendendo.

Reſpondetur,quod quando etiam admittendum eſſet principium illud: *Ex duobus malis minus eſt elig ndum*, adhuc argumentum ex principio illo deſumptum, nihil probaret. Nam qui caſtitatem ſuam ab aggreſſore defendit, etiam cum aggreſſoris occiſione, ſeu qui caſtitatem ſuam defendendo aggreſſorem occidit, non eligit minus malum, immò nullum elig t malum, ſed potius eligit bonũ; nam elicit actionem moraliter bonam, & meritoriam, ſcilicèt defenſionem ſuæ caſtitatis, & hanc ſolam intendit,non aggreſſoris occiſionem, quæ proindè præter eius intẽtionem ſequitur, etiamſi eam ſequuturam præuideat, & hæc defenſio, eſt ei licita.

Dixi autem id verum eſſe, ſi principium illud admittendum eſſet: *Ex duobus malis minus eſt eligendum*; nam ſi principium illud accipiatur in moralibus, eſt falſum, ac deteſtandum. Malum enim morale, & peccatum, etiamſi minus alio non eſt eligendum aut patrandum.

Si autem puella ita violenter opprimeretur ab aggreſſore, vt nullatenus reſiſtere poſſet, non peccaret, ſi ipſa peccato non conſentiret, nec in eo actu delectaretur; nam tunc ad nihil aliud tenetur, quàm ad remouendum conſenſum, ac delectationem, quæ quidem faciliùs remouebitur ſi

puella corpus ſuum non tradat corruptori, etiam cum ſpe, ac propoſito non conſentiendi, ac non delectandi, ſed faciat, quantùm poteſt, vt non violetur; & hac ratione dixit S. Lucia ad Tyrannum ei violationem cõminanti. *Si inuitam iuſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*. Vnde aliud eſt quod puella ſponte ſe periculo conſenſus, & delectationis exponat, aliud verò, quod tali periculo ab alio inuita exponatur: nam ſi ſponte ſe tali periculo exponat, vti contingeret, ſi puella ſponte hanc reſiſtentiam, ac defenſionem omitteret, faciliùs conſenſus, ac delectatio contingere poſſet. Difficilius autem ſi cõtra ſuam voluntatẽ, & inuita periculo illi exponeretur ab alio; & ideo ſi violenter opprimeretur, faciliùs abſtinere poſſet à conſenſu, ac delectatione.

Quanta verò, & qualis debeat eſſe reſiſtentia puellæ, ne conſentire cenſeatur, explicat Cardinalis de Lugo, *tom. 1. de Iuſtitia, & Iure diſput.* 10. *ſect.* 10. *num.* 197. vbi ait; in primis certum eſſe, quod non debet vllo modo cooperari componendo ſe ad turpem congreſſum. Certum etiam dicit, quod debet etiam viro per violentiam ſeminante ipſa non ſeminare: quia licet aliqui putent, ſi ipſa ſemel conſentit copulæ turpi, non poſſe poſtea pœnitentia ductam viro ſeminante, non recipere eius ſemen, quia peius eſt, & maius contra naturam non perficere copulam iam inchoatam, quàm illam perficere, quorum ſententiam probabilem reputat Thomas Sanchez *lib. 9. de Matrimonio diſp. 19. num. 7.* quamuis ipſe probabilius putet, poſſe, & debere poſtea fœminam pœnitentia ductam ſemen non recipere. Quando tamen ipſa non conſentit, ſed vir per violentiam copulam inchoauit, omnes fatentur fœminam poſſe, & debere ſemen viri non recipere; quia illa effuſio ſeminis extra vas nullo modo fœminæ imputatur, cum ipſa nullo modo cooperata fuerit, vt conſtat ex doctrina eiuſdem Sanchez ibi; vnde rurſus credo, inquit de Lugo, debere fœminam vi oppreſſam motu corporis, manibus, & pedibus, alioue modo congreſſum turpem impedire: quia ſi tenetur ſemen viri non recipere, ergo non poteſt quieta conſiſtere, & merè paſſiuè ſe habere, nam ſine ſubtractione poſitiua corporis, aut aliquo corporis motu non poſſet impedire ſeminis receptionem; tenetur ergo ſe omni motu vtili, & neceſſariò mouere, & agitare, vt congreſſum turpem impediat. Ratio autem videtur eſſe, quod illa quies, & non reſiſtentia ſit cooperatio, qualis eſſe poteſt ad congreſſum turpem: nulla enim alia cooperatio requiritur ex parte fœminæ ad eiuſmodi actum, niſi quod immota ſit, & non reſiſtat poſitiuè viro: ſi ergo fœmina tenetur nullo modo cooperari, cõſequens eſt, vt teneatur corporis agitatione, & motu, ac reliquis modis, quibus poteſt congreſsũ, & copulam impedire. Hactenus Card. de Lugo. Cui tamen non conſentimus in eo, quod ſubdit, nempe puellam non debere clamare, & vociferari, vt alijs occurrentibus oppreſſor violentus fugiat, vel impediatur; quando ex clamoribus timet ſibi graue damnum infa-

miæ,

miæ, mortis, aut nimiæ vereeundiæ; in hoc inquam Cardinali de Lugo nō conſentimus, quando ſibi timet conſenſum in peccatum; nam puella potius debet pati mortem, & multò magis aliud quodcumque damnum, quam peccatum admittere, aut ſe peccandi periculo exponere: exponeret autem ſe periculo peccandi, ſi aliàs non clamando, oppreſſorem non fugaret, & pro viribus non impediret violentam, & iniquam ſui oppreſſionum, & quoad infamiam nulla videtur puellæ infamia interuenire, ſi illa non conſentiat, & non conſentire deprehendatur, vt non conſentire depræhenderetur, ſi ipſa clamaret. Immò illi honor, & exiſtimatio ex hoc proueniret, quod nempe iniquo oppreſſori conſentire noluerit; ſed potius infamia ei proueniret, ſi non clamaret, & non poſſet alia via oppreſſorem remouere: nam tunc cenſeri poſſet, quod conſenſiſſet violationi proprij corporis: ſi autem aliqua infamia contra illam interuenire poſſit, quod ſcilicèt manifeſtetur per eius clamorē, quod ab oppreſſore cōtacta ſit, & eius pudicitiæ inuaſio intentata, id vera non eſt infamia, ſed gloria, quod tentata reſtiterit.

Soluitur ſpecialis obiectio contra id, quod dictum eſt de obligatione Mulieris propriam caſtitatem, & pudicitiam ab iniquo aggreſsore defēdendi per reſiſtentiā citrà aggreſsoris occiſionem, ſi abſit periculum conſenſus in peccatum, & delectationem veneream.

Contra id, quod diximus mulierem vel puellam teneri ad ſuæ caſtitatis defenſionem, citra aggreſſoris occiſionem, obijci poteſt; quod homo non tenetur ad defenſionem propriæ vitæ, vt ſuperius dictum eſt, ſed licitè poteſt ſe iniquo aggreſſori abſque vlla reſiſtentia perimendum permittere. Rurſus quod non teneatur quis propriam famam à detractore, etiam per viam Iuris, aut alijs modis licitis defendere, ſed licitè poteſt famæ reſtitutionem detractori condonare, vt docent communiter Doctores: ergo nec mulier vel puella tenebitur caſtitatem ſuam ab inuaſore defendere, ſed poterit abſque vlla reſiſtentia ſe iniquo oppreſſori violandam permittere, ſi abſit periculum conſenſus in delectationem uenercam: nam non uidetur maior ratio, quare homo nōn tenetur ad uitæ, & famæ defenſionem, & tenetur ad defenſionem caſtitatis.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Nam eſt diſpar ratio de uita corporali ac fama, & de caſtitate, ſeu pudicitia: nam quoad vitam corporalem, etſi homo non ſit dominus ſui corporis, & propriæ vitæ, Deus tamen, qui eſt vitæ, ac mortis dominus indulſit, vt poſſit in teſtimonium egregiæ charitatis hominis erga Deum, vitam ſuam pro vita corporali proximi exponere: ac proindè à propriæ

vitæ defenſione abſtinere, vt ſupra diximus; & ideò omiſſio defenſionis vitæ corporalis, cedere poteſt in honorem, & gloriam Dei: & idem dicendum de fama, quod videlicet omiſſio defenſionis propriæ famæ cedere poteſt in honorem, & gloriam Dei, quatenus illius iacturam Deo quis offert, cum in Sacra pagina commendentur, qui contumelias iniurias, dehonorationes, ac detractiones patienter ferunt; & præterea homo eſt dominus ſuæ famæ. Quamuis enim Cardinalis Caietanus velit, hominem non eſſe dominum propriæ famæ, communis tamen Doctorum ſententia oppoſitum docet; quia homo eſt dominus eorum, quæ proprio labore, & induſtria acquirit, & conſeruat: fama verò eſt huiuſmodi bonum, quia per ſcientiæ, & virtutum exercitium fama comparatur; Vndè quando infamia non tangit niſi ſolum infamatum, valida eſt eius condonatio ab infamato facta, immò licita, & meritoria. Nam quando infamia non tangit, niſi ſolum infamatum, ad eum ſolum pertinet, vt ad proprium dominum de talis famæ reſtitutione diſponere, non ſecus ac ad dominum ſpectat liberè diſponere de damno rei familiaris iniuſtè ſibi illato, quando tale damnum non tangit, niſi ſolum dominum rei familiaris, cum non minus homo ſit perfectus dominus ſuæ famæ, ac ſuarum facultatum. Idque infamatus etiam poteſt, cum infamia ita tangit alios, vt reliqui infamati bonum famæ non aliundè participabant, quàm ab ipſo infamato: quia quando ij, ad quos mea infamia redundat, non aliundè quàm ex me bonam famam participant, non habent ius ad talem famam, niſi dependenter à iure, quod ego ipſe in eamdem, vt in meam propriam habeo: at ius, quod ego in meam famam habeo, eſt independens à iure, quod participantes habent, cum nonniſi ex me, & dependentèr ex mea fama illam participent; ergo validè poſſum independentèr ab ipſis de mea fama diſponere: ſcilicèt, quia liberè diſponere poſſum de bono, quod independentèr ab alijs poſſideo, eſto alij dependentèr à me illud participent, vt cõſtat de reliquis bonis fortunæ, quæ parens independentèr à filijs poſſidet, de quibus liberè diſponere poteſt, eſto filij ea dependentèr à parente participent. Ratio eſt: quia quando ius meum eſt independens ab alio, validè eo vti poſſum abſque conſenſu alterius, cum in eo iure vtendo nullam iniuriam inferam alteri.

Quando verò infamia redundat in alios, qui aliundè, quàm ab ipſo infamato ſuam famam poſſident, non poteſt infamatus illam validè condonare, quin ſemper infamator maneat obligatus ad illam reſtituendam: nam non poteſt quis validè condonare, ſicut nec donare, quod ſuum non eſt: ſed fama aliorum non eſt ſua: ergo non poteſt infamatus validè illam condonare, ſi aliundè, quàm ab ipſo illam poſſident. Hinc etiam ſi Religioſus condonet famam ſibi ſublatã, ſemper infamator manet obligatus ad illam, & Religioſo, & Religioni reſtituendam: Religioſo, quia non eſt dominus ſuæ famæ, ſed Religio, cui ſuum ius ceſſit; Religioni, quia infamia Religioſi redundat in totam

Religionem, quæ ſuam famam non poſſidet virtute vnius, vel alterius Religioſi, ſed virtute, & præclaris geſtis multorum, quæ obſcuratur ex infamia vnius. Eodem pacto perſona publica in publico officio manens nequit infamiam ſibi irrogatam validè condonare, nam fama perſonæ publicæ, non tam eſt ipſius, quam Reipublicæ, cui ſicut per officium obligatur perſona, ita & cœtera omnia, quæ ad publicum officium exercendum neceſſaria ſunt: At fama neceſſaria eſt ad publicum officium exercendum, igitur nequit famæ reſtitutionem validè condonare, quin maneat infamator obligatus ad illam reſtituendam Reipublicæ, quam læſit lædendo famam perſonæ publicæ; Ita benè Franciſcus Amicus *tom. 5. de iuſtit. & iure diſp. 37. ſect. 12. cum Petro Nauar. lib. 2. cap. 4. num. 192.* & alij communiter.

Loquendo igitur de fama, quam quis ex proprio iure habet, quæque aliorum famæ non eſt alligata, illius homo eſt Dominus: vndè validè, ac licitè poteſt de illa diſponere. At mulier non eſt domina proprij corporis, & virginalis integritatis: ac proindè tenetur hanc ab iniquo aggreſſore defendere ei reſiſtendo, citra occiſionem tamen iniqui aggreſſoris: nam ſi reſiſtere poſſit aggreſſori, illumque ſine illius occiſione remouere, ad huiuſmodi reſiſtentiam puella tenetur, etiamſi abeſſe poſſet in puella conſenſus in delectationem veneream, nam in hoc caſu non adeſſet rationabile illud motiuum non occidendi aggreſſorem, ex motiuo charitatis: ſupponitur enim aggreſſorem remoueri poſſe per reſiſtentiam citra illius occiſionem, factam. In hoc inquam caſu puella reſiſtere tenetur alijs modis ſupradictis iniquo aggreſſori, nec ſe poteſt illi violandam permittere. Tunc enim ſolùm cenſendum eſt conceſſam ei à Deo fuiſſe facultatem non reſiſtendi aggreſſori, quando aggreſſorem à ſe repellere non poſſit, niſi cum illius occiſione, & aliàs putat ſe delectationi venereæ, ac peccato non conſenſuram, vt dictum eſt ſuprà. At ſi aggreſſorem à ſe remouere poſſit ſine illius occiſione tenetur ei reſiſtere, nec ſe illi poteſt violandam permittere; nam in hoc caſu non cenſetur ei conceſſa facultas non reſiſtendi, & à propria defenſione abſtinendi; cum non agatur de ſeruanda vita aggreſſoris, & illius ſalute ſpirituali.

QVAE-

QVAESTIO TERTIADECIMA.

Vtrum rectè definiatur ſtuprum à Sancto Thoma, quod ſit illicita virginum defloratio ſub cura parentum exiſtentium.

Videtur, quod minus rectè definiatur ſtuprum à Sancto Thoma 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 6. quod ſit illicita virginum defloratio ſub cura parentum exiſtentium. Nam particula illa, *ſub cura parentum exiſtentium*, non videtur apponenda in definitione ſtupri: nam vt ſit ſtuprum non eſt neceſsè, puellam, quæ corrumpitur, eſſe ſub cuſtodia parentum, vel tutorum, ſed ſufficit eam eſſe integram, quoad ſignaculum virginale: Si quis enim virginem grandæuam ſub nullius cura exiſtentem violaret, ſine dubio ſtuprum committeret, eo quod virginem deflorarent illicitè.

Hæc olim obijciebat Martinus de Magiſtris contra præfatam ſtupri definitionem traditam à D. Thoma, vt refert Cardinalis Caietanus *in Commentario articuli ſexti cit.* Eadem obijcit, & Franciſcus Syluius ibidem, & cum prematur authoritate D. Thomæ, eum explicare conatur, inquiēs, non referre, quod B. Thomas, & alij quidam deſcribant ſtuprum eſſe illicitam deflorationem virginis ſub cura parentum exiſtentis. Illa enim vltima pars deſcriptionis, non additur tanquam reſtrictio ad ſignificandum, tùm demum eſſe ſtuprum, quādo virgo, quæ corrumpitur, ſub cura parentum exiſtit; ſed tanquam explicatio, vt ſignificetur id, quo virgines naturaliter indigent ad ſignaculum virginale cuſtodiendum, vſque ad ſtatum matrimonij, in quo ſolo licitum eſt, illud per copulam violare. Hæc Syluius.

Præterea, in præfata definitione addendum videtur, quod ſtuprum contingat cum virgo defloratur inuita: nam cum quis corrumpit virginem conſentientem nullam facit ei iniuriam: Quod ſi etiam Parens, aut Tutores conſenſerint, neque ipſis vlla ſit iniuria. In ſtupro autem non eſt ſpeciale peccatum, niſi ſit ſpecialis iniuria.

ASSERTIO VNICA.

Rectè definitur ſtuprum à Sancto Thoma, quod ſit illicita virginum defloratio ſub cura parentum exiſtentium.

Probatur, eadem afferendo, quæ affert S. Thomas *loco cit.* Nam vbi circa materiam alicuius vitij occurrit aliqua ſpecialis deformitas, ibi de-

debet poni determinata ſpecies illius vitij; Luxuria autem eſt peccatum circa venerea exiſtens. In virgine autem ſub cuſtodia patris exiſtente quædam deformitas ſpecialis occurrit, ſi corrumpatur, tùm ex parte puellæ, quæ ex hoc, quod violatur, nulla pactione coniugali præcedēte, impeditur à legitimo matrimonio conſequendo, & ponitur in via meretricandi, à quo retrahebatur, ne ſignaculum virginitatis amitteret: tùm etiam ex parte patris, qui de eius cuſtodia ſollicitudinem gerit ſecundum illud Eccleſ.42. *Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, ne faciat te in opprobrium venire inimicis*. Et ideò manifeſtum eſt, quod ſtuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem ſub cura parentum exiſtentium, eſt determinata luxuriæ ſpecies.

Confirmatur, & explicatur magis hoc idem, oſtendendo particulam illam, *ſub cura parentum exiſtentium*, neceſsariò ponendam eſse in diffinitione ſtupri; Nam ſtupri malitia conſiſtit in eo, quod violetur virgo, quæ non eſt in ſtatu matrimonij, ſed virgo, quæ non eſt in ſtatu matrimonij neceſsariò exiſtit ſub cura parentum, ergò malitia ſtupri conſiſtit in eo, quod violetur virgo exiſtens ſub cura parentum; Conſequentia eſt optima; maior de ſe patet, & minor probatur. Vt enim ait idem Sanctus Doctor in eodem articulo ad primum: quamuis virgo ſit ſoluta à vinculo matrimonij, non tamen eſt ſoluta à patris poteſtate; & vt optimè obſeruat Cardinalis Caietanus in Commentario illius articuli in reſponſione ad dubium quintum, licet ſignaculum virginale poſſit fortè eſſe ſine paterna cuſtodia, non poteſt tamen eſse ſine indigentia naturali, quantum in ſe eſt, paternæ cuſtodiæ. Ac per hoc non poteſt abſolui ab ordine paternæ cuſtodiæ.

Si autem inſtetur, inquit, Caietanus, quod iſta conditionalis eſt vera. *Si ſignaculum virginale eſſet ſine paterna cuſtodia*, adhuc illius illicita violatio eſset ſtuprum. Reſpondetur, quod intelligendo per paternam cuſtodiam ordinem ad paternam cuſtodiam, cum ab hoc non poſſit ſignaculum virginale abſolui, iſta conditionalis eſt falſa, quoniam deſtruit ſeipſam; nam ſi ſignaculum virginale eſset ſine ordine ad paternam cuſtodiam, non eſset ſignaculum virginale, ſed eſset ſicut virginitas naturalis maſculorum. Sicut etiam iſta conditionalis eſt falſa, *ſi pater eſſet ſine filio, eſſet pater*: In quo fœmina diſcriminatur à maſculo, quod hic non habet ſignaculum aliquod ſuæ virginitatis, quod ſit paternæ cuſtodiæ naturaliter commendatum vſque ad coniugium; vndè filij ante coniugium poſt pubertatis annos abſque vlla cuſtodia communiter diſcurrũt, repugnante natura, ſi oppoſitum fieret.

Benè autem ad idem in eodem articulo prænotauerat Caietanus, quod naturale luxuriæ genus in ſtupri ſpeciem trahitur per naturale ſignaculum virginitatis mulieri attributum ſub naturali cuſtodia parentum: ita quod naturali ſignaculo non per accidens, ſed naturaliter debetur paterna cuſtodia propter infirmitatem muliebrem

brem in conſeruando proprium decus. Propter quod dicitur Eccleſ.7. *cap. Filiæ tibi ſunt, cuſtodi corpus earum*:& quoniam hæc naturali ordine connexa ſunt, vt ſcilicet cuſtodia paterna ſignaculo adſit virgineo, & è contra: quoniam ſecundum naturæ ordinem ſub mariti cura, & iure mulier deinceps eſſe debet, quæ in adiutorium ad generandum procul dubiò creata eſt: ideò defloratio virginis extra coniugium offendit quidem duo, ſcilicet, ſignaculum virginitatis, & paternam cuſtodiam, alterum in fœmina, alterum in parente, ſed quoniam naturalis eſt connexio inter iſta, ideò non ex altero tantùm: ſed ex vtroque ſimul differentia propria ſtupri deſumenda eſt. Et cum vnum eorum dicitur, alterum cointelligendum eſt. Paterna namque cuſtodia non cuiuſcumque, ſed ſignaculi virginalis eſt. Nam ſicut naturali ordine, patris eſt alere filiam, & prouidere illi vſque ad nuptias incluſiuè: ita eiuſdem eſt cuſtodire filiam bene habilem ad matrimonium. Minus autem habilis eſt mulier corrupta, quãtùm in ſe eſt ad matrimonij copulam, vt patet, ſi ſciretur, ipſam eſſe corruptam, quoniam non inueniret ſuæ conditionis virum. Et ſic cum ſtuprum contra paternam dicitur cuſtodiam, cointelligitur etiam contra ſignaculum cuſtoditum. Et ſimiliter, quia ſignaculum huiuſmodi habilem ſeruans mulierem ad matrimonium naturaliter eget paterna cuſtodia, & ſub illo naturali ordine eſt, ſeù eſſe debet, ideò contra ſignaculum virgineum agens, iniuriam paternæ facere cointelligitur cuſtodiæ. Eſt ſiquidem ſignaculum illud ita patris quoad conſeruationem, ſicut mulier eſt mariti quoad vſum venereũ. Vndè ſicut adulterium eſt læſio mulieris ſub cuſtodia mariti exiſtentis, ita ſtuprum eſt violatio virginis exiſtentis ſub cura parentum. Et ſicut adulterium inuoluit neceſſariò præter iniuriam illatam mulieri, iniuriam illatam etiam marito, ita & ſtuprum inuoluit nedum iniuriam illatam virgini, ſed etiam iniuriam illatam parentibus.

Importat igitur ſtuprum, vt ait S. Thomas, illicitam deflorationem virginum ſub cura parentum exiſtentium, parentum ſcilicet carnalium, vel tutorum, aut aliorum eorum loco ſuccedentium. Et in hoc diſtinguitur ſtuprum à ſacrilegio, altera luxuriæ ſpecie, nam ſacrilegium, vt idem S. Thomas ait *art.* 10. importat illicitam deflorationem virginum ſub cuſtodia patris ſpiritualis exiſtentium, & eam deflorationem vocat ſtuprum ſpirituale, non quia non violetur phyſicè, ac materialiter integritas virginalis, ſed dicitur ſtuprum ſpirituale, quia defloratio illa relationem habet ad parentes ſpirituales, ſub quorum cura exiſtit Virgo Deo per votum dicata, quibus etiam iniuriam irrogat, qui Virginem Deo deſponſatam deflorat. Vndè Cardinalis Caietanus in Commentario illius articuli obſeruat, quod violatio venerea Virginis Deo ſacratæ eſt propriè non ſolùm ſacrilegium ratione voti, in quo Deo dicata eſt, ſed etiam ſtuprum ratione ſignaculi virginalis ſub cura non carnalis, ſed ſpiritualis patris, Prælati Eccleſiaſtici, qui loco

car-

carnalis patris ſuccedit, habentis ſub ſpirituali cura etiam carnalem cuſtodiam virginis: ita quod eſt verè, & propriè ſtuprum, & grauius, quàm ſtuprum purè carnale, quantò cuſtodia ſpiritualis, cui fit iniuria, eſt maiori veneratione digna, quàm cuſtodia purè carnalis. Et propterea dicitur à D. Thoma ſtuprum ſpirituale, ita quod ly *ſpirituale*, non eſt conditio diminuens, ſed augens rationem ſtupri à dignitate ſuperaddita.

Sic ergò ſtuprum eſt defloratio virginis ante matrimonium: & quia virgo ante matrimonium naturaliter exigit eſſe ſub cuſtodia parentum; hinc ſtuprum definiri debet, quod *ſit defloratio virginum ſub cura parentum exiſtentium*. Et quamuis contingat aliquando virginem nullos habere parentes, aut tutores, id eſt per accidens; nam virgo ratione ſignaculi virginei iure naturali exigit cuſtodiam parentum, vel aliorum; ac proindè violatio virginis, ante matrimonium, eſt natura ſua iniuriatiua parentum, ſeù cuſtodum virginis, præter iniuriam, quæ fit ipſi virgini; vndè in definitione ſtupri neceſsariò ponendum eſt, quod ſit defloratio virginum ſub cuſtodia parentum exiſtentium.

Hoc autem patet etiam ex eo, quod non quæcumque defloratio virginis, quæ fiat ante matrimoniũ, aliàs ſi defloratio virginis de ſe, ac intrinſecè mala eſſet, talis etiam eſſet, defloratio virginis, quæ fit in matrimonio. Igitur defloratio virginis ſecundum ſe indifferens eſt ad licitam, & illicitam deflorationem; eatenus autem virginis defloratio eſt illicita, quatenùs fiat ante matrimonium: & quia, vt dictum eſt, virgo ante matrimonium eſt, & exigit naturaliter eſſe ſub cuſtodia parentum, ideò defloratio virginis ante matrimonium eſt iniurioſa, nedum virgini ipſi, ſed etiam parentibus: ac proindè in definitione ſtupri non poteſt non apponi particula illa *ſub cuſtodia parentum exiſtentium*, vt per hoc defloratio virginis illicita, quæ conſtituit ſtuprum, diſtinguatur à defloratione virginis licita, quæ contingit in matrimonio. Et rurſus, vt per eamdem particulam diſtinguatur ſtuprum carnale à ſtupro ſpirituali, quod eſt ſacrilegium. vt cum, violatur virgo Deo conſecrata per votum ſolemne religionis: hæc enim eſt defloratio virginis non ſub cuſtodia parentum exiſtentis, ſed eſt defloratio virginis Deo dicatæ, & ſub cuſtodia Patris ſpiritualis, & Prælati Eccleſiaſtici exiſtentis. Hæc ſi attendiſſet Syluius mentem D. Thomæ aſſequutus fuiſſet; nec dixiſſet vltimam partem deſcriptionis ſtupri, ſcilicet *virginum ſub cura parentum exiſtentium*, à Diuo Thoma non addi tanquam reſtrictionem ad ſignificandum, tunc eſſe ſtuprum, quando virgo, quæ corrumpitur, ſub cura parentum exiſtit. Conſtat enim ex dictis hanc prorſus eſſe mentem Sancti Doctoris.

Contra dicta objici poſſet, quod differentia illa aſſignata, nempè quod virgo violata impeditur à legitimo matrimonio, non videtur habere locum in puella ſpontanea, de voluntate parentum ſic acquirente dotem: talis enim ex ſtupro fit habilior ad matrimonium, nec patri fit iniuria,

Vu quia

quia ſcienti, & volenti non fit iniuria. In muliere quoque virgine grandæua, putà quinquaginta annorum, quæ amplius non eſt habilis generationi, nec eſt ſub cuſtodia alicuius, locum non videtur habere ratio ſtupri.

Reſpondetur cum Caietano *loco cit.*, quod mulier ex ſtupro acquirens dotem, redditur quidem habilior ad matrimonium quoad bona fortunæ, ſed redditur inhabilior quoad bona naturæ tàm corporis, quàm animæ. Stuprum autem penès damnum naturalis boni attenditur, & non penès bona exteriora. Conſenſus quoque tàm ſuus, quàm paternus etſi ſtupratoris iniuriam attenuet, non tamen tollit: tùm quia huiuſmodi conſenſus non eſt omninò voluntarius, ſed mixtus, ſicut proijcientis merces in mare propter neceſſitatem maiorem: tum præcipuè, & propriè, quia conſenſus in his, quorum non ſumus pro libito Domini, non tollit, quin ſcienti, & conſentienti fiat iniuria, ita vt, cum dicitur, *ſcienti, & volenti non fit iniuria, & nullum patitur iniuſtum volens*, intelligatur in his tantùm, quorum homo eſt dominus ſecundum libitum ſuæ voluntatis, vti ſunt bona fortunæ, & non in his, quæ & ſi noſtra ſint, non tamen poſſumus, vt volumus de illis ordinare, vt patet in naturalibus; nam licet manus tua, ſit tua, non tamen propterea poteſt de conſenſu tuo à te tolli ſine iniuria tua. Eſſet enim mutilationis ſuæ reus, qui hoc facinus patraret. Et ſimiliter vxor tua, non poteſt de conſenſu tuo ſine tua iniuria cognoſci ab altero. Eſſet enim adulterij reus concumbens, etiam te volente cum ea. Et ratio dicta eſt; quia non ſumus ſecundum noſtræ voluntatis libertatem talium domini, ſed ab altiori principio ſunt hæc noſtra quoad aliquid, ſeruato certo ordine, contra quem ſi fiat, iniuriæ locus reſtat. Et quia ſignaculum virginitatis, nec mulieris, nec patris ſubeſt libertati ad libitum, ſed à natura tributum, vtrique eſt ſeruandum vſque ad nuptias: ideòque neutrius iniuria euitatur ex vtriuſque conſenſu contra naturale debitum, quo vterque commendatum hoc decus ſeruare debet. Ad aliud de muliere grandæua, dicitur, quod quamdiù virgo eſt, ſemper quantum eſt de habilitate naturalis decoris apta eſt coniugio, & ideò ſemper ex violatione redderetur inhabilis coniugio. Quod autem ſub nullius cuſtodia ſit, quamuis de facto ſit poſſibile, quia tamen hoc eſt per accidens, non tollit, quin talis defloratio eſſet ſtuprum: quoniam moralis ſpecies attenditur ſecundum id, quod communiter inueniri natum eſt. Conſtat autem, quod communiter in humano genere virgines ſub parentum, vel alicuius loco parentum cuſtodia ſunt, & eſſe debent: & ideò virginum defloratio abſolutè, & per ſe ſtuprum eſt, ad quam ſpeciem deflorationes, quæ per accidens aliter contingunt, reducendæ ſunt. Hæc Cardinalis Caietanus. Cum quo vlterius notandum, quod ſtuprum ſumit ſpeciem propriam ex adiuncta ſupra illicitum concubitum iniuria paternæ cuſtodiæ, non reſpectu cuiuſcumque, ſed ſignaculi virginalis, vt ſic: ita quod paterna cuſtodia poteſt dupliciter ſumi.

mi. Vno modo, vt reſpicit filiam, vt cuſtoditam, ſiuè ſit virgo, ſiuè non, & ſic non conſtituit ſtupri ſpeciem. Et propterea cognoſcens filiam alicuius iam ſtupratam in domo parentum, non committit ſtuprum, ſed ſimplicem fornicationem tantò grauiorem, quantò offendit etiam patrem, ſub cuius cuſtodia eſt ante nuptias. Alio modo, vt reſpicit filiam ſecũdum virginale ſignaculum, & ſic conſtituit ſtupri ſpeciem.

Et per hæc patet ſolutio ad ea, quæ primo loco contra ſtupri allatam ex Diuo Thoma definitionem in principio objiciebantur.

Ad aliud verò de particula illa, *ipſa virgine inuita*, reſpondetur, particulam hanc addendam non eſſe in definitione ſtupri, etiamſi aliqui id velint, & nos eamdem particulam in definitione ſtupri ab Hermanno Buſenbaum in ſua Medulla Theologiæ moralis allata, cum illud opus Anno 1676. correximus, reliquerimus: nam oppoſitam ſententiam omninò tenendam putamus, quod ſcilicet ad rationem ſtupri, ſatis ſit violatio integritatis virginalis, etiamſi virgo ipſa violationi cõſentiat, ac etiã cõſentiãt eius parentes. Nã iuxtà probabiliorẽ ſententiam ſtuprum etiam ſine raptu, & violentia eſt ſpecies luxuriæ ab alijs diſtincta, vt rectè docent Gratianus 36. *quæſt.* 1. *cap. Lex*, Magiſter Sent. *in* 4. *diſt.* 41. eamque ſequuti S. Thomas, ac S. Bonauentura in 4. S. Antoninus *par.* 2. *tit.* 5. *cap.* 6. Angelus, Sylueſter, & Fumus, *verbo Luxuria*, dum ſpecies luxuriæ recenſent: hi enim vnanimiter ſtuprum à fornicatione, raptu, cæteriſque libidinibus diſcernunt tanquam ea, quæ ſpecie differant: eoſque ſequuntur Heſſelinus *in Decalog.* Nauarrus *cap.* 16. *num.* 3. Molanus *pract. Theolog. tract.* 2. *cap.* 17. Toletus *lib.* 5. *cap.* 10. & 11. Caietanus *loco ſuprà citato*, Bannes *q.* 64. *art.* 5. *fin.* Azorius *p.* 3 *lib.* 3. *cap.* 11. Bonacina *quæſt.* 4. *de matrimonio punct.* 17. Sayrus *lib.* 8. Theſaur. *cap.* 4. Syluius *in* 2. 2. *qu.* 154. *art.* 6. & *alij*. Ratio eſt, quia communis æſtimatio eſt, eum, qui cognoſcit virginem etiam conſentientem peculiarem deformitatem committere, vltra fornicationem.

Confirmatur. Per ſtuprum puellæ amittunt eam corporis integritatem, quæ tanquam naturale donum illis erat data, vt vel vſque ad matrimonium conſeruarent, vel alioquin vſque ad mortem, & cuius amittendæ metu virgines naturaliter abſterrerentur à fornicatione. Quare hac integritate ſemel amiſſa, tum à legitimo, & vtili matrimonio ad piſcendo impediuntur, per ſe loquendo, tum in periculo, & via meretricandi conſtituuntur: & hæc omnia ſimul ſumpta non immeritò videntur ſpecialem deformitatem cõtinere, quam non continet ſimplex fornicatio.

Nec refert, quod vel puella cõſẽſerit in ſtuprũ, vel fortaſſis etiã cõſẽſerint eius parentes, quibus propterea nulla fit propriè dicta iniuſtitia: nã etſi eis non fiat iniuſtitia, grauis tamen eis irrogatur iniuria, quandoquidem illis inuitis, violetur integritas, cuius habebant cuſtodiam. Sicut iniuria fieret cuſtodi alicuius horti, ſi illo inuito frangerentur eius ſepes, atque ita hortus exponeretur periculo ſpolia-

tionis, quamuis conſentiret proprietarius horti exiſtentis ſub tutela iſtius cuſtodis. Sed neque puellæ, neque parentibus licet conſentire in ſtuprum: & ſi conſentiant, nihilominus tàm ſtuprator, quàm puella peccant contra naturalem rerum ordinem, ſecundum quem, illa corporis integritas, quæ eſt in virgine, debet inuiolata ſeruari vſque ad matrimonium: ac proindè ſicut verum eſt adulterium, quando vxor de conſenſu mariti, & ſuo commiſcetur alteri, quia peccat contra fidem coniugalem: ita videtur eſſe verum ſtuprum, quando virgo tametſi de ſuo, & parentum conſenſu violatur extra matrimonium: quia non ſolùm fornicatur, ſed etiam integritatis virginalis iacturam patitur contra legem à natura conſtitutam.

Prætereà, non eſt neceſsè, quod ſpecies luxuriæ, cum ſint contra temperantiam, diſtinguantur per diuerſos modos iniuſtitiæ, vt patet in fornicatione, mollitie, alijſque peccatis contra naturam: & proptereà ſiuè ſtuprum contineat iniuſtitiam, ſiuè non, poteſt eſſe ſpecies luxuriæ diuerſa à cœteris. Vndè ſententia hæc, quæ dicit, ſtuprum eſſe ſpecialem luxuriæ ſpeciem ab omnibus alijs diſtinctam, & tutior, & verior eſt: atque ita quoad mortalem æſtimationem, & practicè tenendam eſſe monet Filiuccius *Tract.* 30. *cap.* 3.

QVÆSTIO QVARTADECIMA.

Vtrum abſque peccato mortali poſſit quis de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

Et vtrum licitum ſit abſoluto deſiderio cupere mortem patris: non quidem, vt malum patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirùm ei obuentura eſt pinguis hæreditas.

Prætereà. Vtrum licitum ſit filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias indè ex hæreditate conſequuturas.

HAs tres quæſtiones ſimul excitamus propter connexionem, & dependentiam, quam inter ſe habent.

Quoad primam quæſtionem. Poſſe quempiam abſque peccato mortali deſiderare alicui mortem naturalem præcisè ob commodum temporale.

Do-

Docet Zacharias Paſqualigus in ſuis deciſionibus *deciſ.* 474.ibi enim hæc habet (*licet deſiderare mortem alicuius ob commodum temporale, loquendo de deſiderio inefficaci, & de morte naturali; ita tamen, vt nihil fiat in ordine ad ipſam cauſandam*)

Idem ſentit Angelus Maria Verricelli in ſuis quæſtionibus moralibus *tract.* 5. *quæſt.* 6. *num.* 64. vbi ſic ait (*Deſiderare mortem propinqui, non ex odio, neque quia ipſi malum, ſed ob hæreditatem, non eſt peccatum mortale*)

Caſtropalaus verò omnium apertiſſimè eamdem ſententiam profert *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 6. *punct.* 1. *num.* 11. nam ibi ſic ait (*Credo, ſi cum debita moderatione facias, te poſſe abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci affectu petere, & deſiderare: non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum indè ſequuturum &c. quia non gaudes de illa, quatenus proximo mala eſt, ſed quatenus eſt cauſa tui emolumenti, & ſecundum hanc rationem bona eſſe videtur, & appetibilis.*)

Eamdem opinionem referunt, & non improbant Diana 3. *par. tract.* 6. *Miſcellan. reſolut.* 84. & Marcus Serra *in* 2. 2. *tom.* 2. *q.* 76. *art.* 1.

Præter hos duo Authores laruati in eamdem ſentētiam Sanctum Thomam Doctorem Angelicum pertrahere conantur. Primus eſt, Amadeus Guimenius in Opuſculo, quod inſcripſit; *Opuſculum, ſingularia vniuerſæ Theologiæ moralis complectens, aduerſus quorumdam expoſtulationes contra nonnullas Ieſuitarum opiniones morales*. Ibi Propoſit. III. quæ eſt: *Licitum eſt deſiderare alteri mortem, & de illa gaudere, non quatenus illi mala, ſed quatenus tibi bona, v. g. vt ei in bonis ſuccedas*: Ita confidenter ſubdit; (*Hæc ſententia eſt expreſsè D. Thomæ* 2. 2. *quæſt.* 76. *art.* 1. & *in* 3. *ſent. diſt.* 30. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 3.)

Alius eſt Vvilelmus Sandæus, qui in opuſculo, quod ipſcripſit *Refutatio accuſatoris anonymi, damnatas ab Innocentio XI. Propoſitiones adſcribentis Ordinum Religioſorum Theologis, ac præcipuè Societatis Ieſu*.

Ibi *pag.* 20. afferens propoſitionem XIII. damnatam ab Innocentio XI. nempè illam, (*Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum*) Quæ eſt ipſiſſima propoſitio à Caſtropalao aſſerta, ſubdit autem Vvilelmus Caſtropalaũ nō aliud ſibi voluiſſe, quam quod voluit D. Tho. 2. 2. *q.* 76. *art.* 1. & *in* 3. *ſentent. d.* 30. *q.* 1. *ad* 4. cuius verba refert, vt ſic, vel D. Thomæ doctrinam damnatam velit, vel propoſitionem illam damnandam non fuiſſe oſtēdat, quæ Angelicum Doctorem patronum habet. Cum tamen Angelicus Doctor longè diſtet à ſententia Caſtropalai in decreto Sacræ Congregationis damnata, vt mox videbimus.

Quoad ſecundam verò quæſtionem affirmant aliqui immunem eſſe à culpa graui, illum, qui parentibus ſuis exoptat mortem ob bonum aliquod temporale; ipſi indè ſequuturum; nempè, vt quamprimùm in hære-

hæreditatem ſuccedat, vel vt liberetur à dura eorum cuſtodia: quia, inquiunt, huiuſmodi deſiderium de morte parentum, tunc non tam eſt deſiderium de malo illorum, quàm de bono indè ſequuturo: ac proindè non habet malitiam peccati, cum illam habere non poſſit, niſi finis illius malus ſit, cum tota ſpecies actus inefficacis ex fine deſumatur. Sic tenet Caſtropalaus *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 4. *de Charitate punct.* 2. *num.* 11. qui & confirmat dictam rationem hoc pacto: *Quia tibi licitum eſt hæreditatem optare, honorem appetere, ad actus virtutis præſtandos. Item carere moleſtia, infirmitate, inopia, aliíſque malis, vt liberius Deo ſeruire poſſis. Cognoſcis autem, hæc omnia conſequi te non poſſe, niſi Deus è vita præſenti proximum tollat, poteris ergò ex ſupradicto fine & ob illius conſequutionem proximi mortem deſiderare, & de illa ſuccedente gaudere, quia non gaudes de illa, quatenus proximo mala eſt, ibi ſiſtendo (hoc eſſet malum) ſed gaudes de illa, quatenus eſt cauſa tui emolumenti, & ſecundum hanc rationem bona eſſe videtur, & appetibilis.* Hæc Palaus, qui & citat pro ſe Emman. Sà, *verbo Charitas num.* 8. Azorium *par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. *quæſt.* 2. & Ioannem Sanchez *diſp.* 2. *ſelect. num.* 9. Bonacina verò contrarius ſibi videtur, nam *tom.* 2. *diſp.* 4. *circa* 4. *præceptum Decalogi quæſt. vnica punct.* 3. *num.* 3. ſic ait. *Secundò ſequitur illum grauiter peccare, qui aliquod malum animæ, vel corporis parentibus exoptat, exempli gratia, cupiendo illis mortem, vt quamprimùm in hæreditatem ſuccedat: Diſput. verò* 3. *quæſt.* 4. *punct. vlt. num.* 7. oppoſitam ſententiam tuetur ijs claris verbis: *Ex dictis, ſequitur primò eum grauiter peccare contra charitatem, qui alicui malum exoptat, ex diſplicentia perſonæ, & non ob bonum ipſius, vel alterius*; & paulò poſt ait. *Secus ſi gaudeat de malo, vel triſtetur de bono ex bono motiuo, actus enim inefficax ſpecificatur à motiuo, ab eoque bonitatem, & malitiam ſumit. Ob id à mortali excuſatur, qui de ſanitate alicuius triſtatur, quia ex recta valetudine occaſionem ſumit peccandi.* Et poſt pauca. *Idem dicendum videtur de matre, quæ mortem filiabus exoptat, quia occaſione ipſarum malè ſecum agitur à marito, aut iniurijs afficitur: non enim propriè deteſtatur filias, ex diſplicentia ipſarum, ſed in deteſtationem proprij mali.* Et *ibid. num.* 11. repetit non eſſe peccatum velle alteri malum ex honeſto fine.

Eamdem ſententiam tenet Tamburinus *lib.* 5. *cap.* 1. §. 3. *num.* 29. & 33. ibi enim dicit opinionem Caſtropalaj eſſe ſatis probabilem.

Eamdem ſententiam amplectitur Leander *par.* 8. *tract.* 1. *diſput.* 2. *q.* 4. nam hanc dicit eſſe non minus probabilem, quam oppoſitam: & quod mirabilius eſt, dicit, quod quia illa opinio fauorabilior eſt pœnitentibus, illa in caſu occurrenti, ne in peccatũ ex fragilitate ruant, eſt eis conſulenda, *ideoque dico*, inquit, *quod ſi quis abſolutè deſideraret in hunc modum. Exopto, & cupio mortem patris mei non vt malum patris mei eſt, ſed vt bonum meum, ſeu vt cauſam mei boni, nimirùm, quia ex iſtius morte, ego eius hæreditatem adibo, tunc ſic exoptans minimè peccet mortaliter: quia tale deſiderium*

rium eſt de bono fine, non de malo.

Tertia quæſtio conſectaria eſt ad ſecundam; itaut opinantes licitum eſſe filio gaudere de morte naturali patris ob hæreditatem ex eius morte acquiſitam; conſequenter ad hæc licitum etiam dicant filio gaudere de parricidio à ſe in ebrietate commiſſo ob hæreditatem ex tali homicidio conſequutam: nam in vtroque caſu eſt filium gaudere de morte patris abſque illius culpa ſequuta, ſi homicidium in ebrietate perpetratum non fuit à filio præuiſum.

ASSERTIO PRIMA.

Non poteſt quiſpiam abſq; peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, etiamſi non ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum de vita alicuius triſtetur, & de illius morte naturali gaudeat, illamque inefficaci affectu petat, & deſideret.

Aſſertio hæc eſt contra Authores iam relatos, eſt tamen cõmunis inter Doctores; nam eam tenent Nauarrus *in manuali cap.* 14. *num.* 5. Toletus *lib.* 5. *cap.* 1. Trullenc. *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 3. Bonacina, Syluester, Graffius, Reginaldus, Baſſeus, Rocafull, & Fagundez, quos refert, & ſequitur Raymundus Lumbier *in ſuis obſeruationibus Theologicis moralibus obſeruat.* 7. §. 4. *num.* 192. & modò ab omnibus tenenda eſt, nam eius contradictoria damnata eſt ab Innocentio XI. in decreto anni 1679. In eo enim damnata eſt propoſitio illa, quæ eſt tertia decima, videlicet, *ſi cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.*

Mirabilis autem, ſed abſurda, & prorſus intolerabilis eſt gloſſa, quam ad huius propoſitionis damnationem adhibet Caſſianus à S. Elia in ſuis deciſionibus Theologico-legalibus *deciſ.* 65. §. 1. Ibi enim propoſitionem hanc ab Innocentio XI. damnatam dicit generaliter, prout ſcilicet ea propoſitio non vtitur aliqua diſtinctione circa emolumentum temporale, & ſic indiſtinctè, ſiuè pro exiguo, ſiuè pro copioſo emolumento, docet licere ſine peccato mortali gaudere de morte, triſtari de vita alicuius &c. *Ob aliquod emolumentum temporale, vndè iſta doctrina,* inquit Caſſianus, *ſic generaliter tradita, manifeſtè oſtenditur falſa, & ſcandaloſa, quia poſſet quis ipſi inhærendo ſibi licitum facere quoad culpam mortalem, ſi cum moderatione, videlicet ſi ſine odio, ac ſine diſplicentia perſonæ faciat, triſtari de vita alicuius, gaudere de illius naturali morte, illamque petere, & deſiderare affe-*

affectu inefficaci, ob temporale emolumentum, quantumuis tenue vnius v. g. quadrantis, aut oboli, etiamſi pradiues ſit ipſe, qui ſic triſtatur, gaudet, petit, ac inefficaciter cupit, vt dicitur in eadem prepoſitione, nam quadrantis, ſeù oboli adeptio eſt temporale emolumentum. Et addit, ſi quis habeat velleitatem circa mortem naturalem proximi ob temporale emolumentum, qualecumque iſtud ſit, eſſe lethalem culpam, tunc fieri contra damnationem propoſitionis propterea damnatæ, quia generalem importat ſignificationem, per quam comprehendit qualecumque temporale emolumentum, ſiuè notabile, ſiuè modicum: ſed ſi ſit modicum, nullatenus à mortali excuſabit prædictum affectum inefficacem, nec oppoſitum fas eſt hodiè docere, cum ſit damnatum, vtpotè euidenter ſcandaloſum. Hæc ille. Vult ergò Author hic in damnatione illius propoſitionis damnari ſolùm deſiderium mortis alicuius ob temporale bonum, quamuis in hac comprehendatur bonum etiam exiguum, & modicum: ſed diſputandum Doctoribus relinqui, vt expreſsè ait, an ſit, vel non ſit lethale peccatum, deſiderare mortem alicui ob temporale bonum non exiguum, ſed magni momenti.

Sed hæc intelligentia admitti nullo modo poteſt, quia diſſona eſt, & propoſitioni damnatæ nullatenus cõformis. Nam ex eo, quod in propoſitione damnata generaliter affirmetur, licitum eſſe alicui mortem alicu ius optare ob temporale emolumentum in ipſum optantem ex ea morte ſequuturum, nec aliqua limitatio, aut reſtrictio apponatur, vndè ſignificetur in ea propoſitione ſermonem eſſe de emolumento exiguo, ac proindè propoſitio ſit generaliter intelligenda de quocumque temporali emolumento, ſiuè illud ſit exiguum, ſiuè magnum, ex hoc, inquam, non arguitur, vt vult Caſſianus, quod propoſitio illa damnata ſit ſolùm quoad eam partem, qua intelligi poteſt de temporali emolumento exiguo, & quod altera pars, ſcilicet de optante alterius mortem ob magnum emolumentum temporale non ſit damnata, ſed Theologorum diſputationi relicta; nam ex hoc ipſo potiùs oppoſitum deducendum eſt, nam propoſitio, etiam iuxtà Caſſianum, damnata eſt in ſua generalitate, ſcilicet non prout arctata ad deſiderium mortis ob emolumentum exiguum, vel magnum; ſed prout comprehendit vtrumque emolumentum, ſcilicet exiguum, & magnum; igitur quoad vtrumque damnatam eſſe propoſitionem illam dicendum eſt: ac proindè relictam non eſſe Theologorum diſputationi quæſtionem de deſiderio mortis alterius ob emolumentum magnum: nam hac ratione non fuiſſet propoſitio illa damnata in ſua generalitate; Cum ergò propoſitio illa damnata ſit in ſua generalitate, & vt iacet, & propoſitio generaliter, & abſque limitatione ad deſiderium alterius mortis ob emolumentum temporale exiguum non arctetur, in ſua generalitate damnatam eſſe, dicendum eſt, prout ſcilicet comprehendit deſiderium mortis alterius ob emolumentum temporale, ſiuè exiguum, ſiuè magnum.

Hoc

Hoc autem poſito probatur Aſſertio noſtra ratione. Nam optare mortem naturalem alicui, eamque inefficaci affectu petere ob emolumentum temporale adhuc magnum, & magni momenti, eſt actus intrinſecè malus, ſpecialemque ad rectam rationem difformitatem continens, & contra æquitatem, ac iuſtitiam, & contra dilectionem proximo debitam; Ergò non licet alicui mortem naturalem alteri optare, eamque inefficaci affectu petere, ob emolumentum temporale indè ſibi ſequuturum, etiamſi emolumentum temporale magni ſit momenti. Antecedens in quo eſt difficultas probatur: Nam contra rectam rationem, & contra æquitatem, ac iuſtitiam eſt, & contra dilectionem proximo debitam, quod ille, qui iuſtè poſſidet ſua bona, & ſuas opes, illis priuetur, & præcipuè mediante malo omnium grauiſſimo, ſcilicet morte: at qui optat alterius mortem naturalem, eamque affectu, etiam inefficaci petit, ob emolumentum temporale, etiam magni momenti, ſibi ex eius morte obuenturum, vult, & petit quod alter priuetur bonis, quæ iuſtè poſſidet, idque mediante malo omnium grauiſſimo, ſcilicet mediante morte: Ergò iſte habet actum intrinſecè malum ſpecialem difformitatem habentem ad rectam rationem, ſpecialemque diſſonantiam ad æquitatem, & iuſtitiam, & ad dilectionem proximo debitam.

Confirmatur, & explicatur magis. Nam ex eo, quod Titius ſuas opes, & bona temporalia iuſtè poſſideat, nullum iniuſtum committit aduerſus Caium, nec aliquo modo lædit Caium: Ergò Caius non poteſt abſque iniquitate optare mortem Titij, eamque deſiderio adhuc inefficaci petere ob emolumentum temporale ſibi ex ea morte obuenturum; nam hoc pacto optaret bonum temporale alterius, & ſibi pro præſenti ſtatu non debitum. Id autem iniuſtum eſt, & iniquum, ac proindè illicitum. Et idem dicendum de gaudio, quod quis habeat de morte naturali alterius ob emolumētum temporale ex ea conſequutum.

Explicatur vlterius hoc idem. Nam iniquum, & contra omnem æquitatem eſt mortem alicuius optare propter bona ex eius morte ſibi prouentura, ſi bona, quæ ille poſſidet, iuſtè poſſideat, hoc enim eſt rem proximi tui concupiſcere, quod per nonum præceptum Decalogi prohibetur: quamuis enim poſt illius mortem ea bona ad te iuſtè peruentura ſint: quamdiù tamen ille viuit, iuſtè ea bona poſſidet; ac proindè ſicut dum viuit non potes illum ſuis bonis priuare, ita non potes eius mortem etiam naturalem optare, vt bona illa ad te perueniant; nam ille ius habet bona illa poſſidendi quamdiù viuit: Ergò contra omnem æquitatem eſt, mortem alicui exoptare ob emolumentum aliquod temporale indè prouenturum: ſicut ex eadem ratione contra omnem æquitatem eſt, de alicuius morte ob aliquod temporale emolumentum gaudere, eamque affectu etiam inefficaci petere, ac de illius vita triſtari.

Confirmatur, & explicatur magis hoc ipſum; nam habet quidem

vnuſquiſque ius ad defendendum ſeipſum, & ſua bona contra quoſcumque inuaſores, etiam cum eorum occiſione, ſi alia via ſe, aut ſua bona tueri poſſe non videat; at in caſu præſenti Titius, qui iuſtè ſua bona poſſidet, non eſt inuaſor bonorum Caij, etiamſi bona illa poſt mortem Titij peruentura ſint ad Caium: ergò Caius non poteſt Titium lædere, ex eo quod bona illa poſſideat, nec proindè poteſt Titij mortem exoptare, vt ea bona ad ſe perueniant: id enim eſſet exoptare læſionem Titij, vt Caius hæreditatem acquireret.

Nec dicatur, quòd deſiderium, & gaudium non ſint de morte Titij, quatenùs mors ei mala eſt, ſed quatenùs cauſa eſt emolumenti ipſius Caij. Nam hæc ſunt verba inutilia, & difficultatem non ſoluunt. Eadem enim ratione poſſet à peccato excuſari aſſaſinus, qui diceret, ſe mortem viatoribus inferre, non quatenùs mors eſt illis mala, ſed quatenùs eſt cauſa emolumenti indè ſibi prouenientis. Quare deſiderium, & gaudium de alterius morte, ac triſtitia de illius vita honeſtari non poſſunt ex fine illo intento, qui eſt lucrum boni temporalis perſonæ priuatæ: Nam deſiderium illud, quo quis alteri exoptat mortem ob emolumentum temporale fertur directè in malum alterius; id autem eſt contra charitatem, & amorem, qui proximo debetur: nec honeſtatur ex eo, quod ab optante referatur ad conſequutionem emolumenti ſui temporalis; nam id non tollit, quod optet malum alterius: ſicut qui aliena auferre exoptat, vt pauperi eleemoſynam eroget, non ideò excuſatur à peccato, quod aliena etſi propter bonum finem optet auferre; vndè nec excuſabitur, qui mortem alicui exoptat, vt indè hæreditatem acquirat: & prætereà acquiſitio hæreditatis, non eſt aliquis actus moralis, à quo poſſit honeſtari deſideriũ mortis alterius, ſed eſt phyſica acquiſitio rei temporalis.

Secundò probatur aſſertio, nam ſi licitum eſſet deſiderare alicuius mortem ob emolumentum temporale indè prouenturum, liceret etiam ex eodem motiuo alterius mortem à Deo petere: licitum eſt enim à Deo petere, quodcumque licitum eſt deſiderare, & ſic etiam licitum eſſet filio petere à Deo mortem patris, vt hæreditatem obtineat. At quis ad hæc non horreat? Et tamen Authores illius opinionis confidenter affirmant, poſſe mortem alterius ob temporale emolumentum inefficaci affectu peti. Quid eſt enim mortem illam inefficaci affectu petere, niſi eam abſolutè petere, non tamen eam procurare? Ac proinde iuxta illos Authores licebit filio abſolutè petere à Deo mortem patris ob hæreditatem ex eius morte ſibi prouenturam, quod impium, & humanis auribus horrendum eſt.

At nedum ea generali ratione illicitum eſt mortem alicuius ob emolumentum expetere, qua illicitum eſt expetere alterius malum quodcumq; ob emolumentum; ſed & ea ſpeciali ratione id eſt illicitum, qua illicitum eſt malorum ſummũ, quod eſt mors alicui ob lucrum, & emolumentum temporale percupere. Nam ſi iniquum

quum eſt, vt diximus, malum aliquod etiam citra mortem alicui ob emolumentum optare, iniquiſſimum erit, ob emolumentum alicui exoptare mortem, quæ malorum eſt maximum.

Vrgetur autem efficaciſſimè ineluctabile hoc argumentum contra oppoſitum delirium. Nam ſi ſpectetur mors ex vna parte, & carentia illius emolumenti, quæ tollitur in aliquo per mortem alterius ex alia, mors eſt incomparabiliter maius malum, quam ſit carentia illius emolumenti, quæ tolleretur per alterius mortem, cum omne malum, ſit incomparabilitèr minus, quam mors, vt de ſe patet: ergo iniquiſſimum eſt, quod ad remouendam carentiam à ſe alicuius temporalis emolumenti, velit quis, & exoptet mortem etiam naturalem alterius: nam iniquiſſimum eſt, quod quis ad remouendum à ſe minus malum, velit in alio maximum malum; quod etiam conſtat comparando bonum vitæ, quo priuat mors, & bonum diuitiarum, aut alterius temporalis emolumenti, cuius carentia ſupponitur in optante; nam vita eſt incomparabiliter maius bonum, quàm diuitiæ, ita vt magis æſtimanda ſit vita, quam diuitiæ, & ad conſeruandam vitam vnuſquiſque diuitias contemnat: immò & ad vitam propriam conſeruandam, diuitias etiam proprias contemnere teneatur: ergo iniquiſſimum eſt, quod quis ob acquirendas diuitias velit, & exoptet priuationem vitæ in altero: præſertim, quod carentia diuitiarum in caſu poſito eſt carentia boni ſibi pro eo tempore indebiti: nam cum ille alius iuſtè ſuas diuitias, quamdiu viuit, poſſideat, diuitiæ illæ nulli alij pro eo tempore, quo eorum poſſeſſor viuit, debitæ ſunt; ergo multò magis augetur iniquitas in exoptante mortem illius, qui eas iuſtè poſſidet: nam eſt exoptatio mortis alterius ob acquirendũ bonum ſibi pro eo tempore indebitum: ac proindè exoptaretur mors alterius, non ad remouendum à ſe malum; nam carentia boni indebiti non eſt malum, vt enim docet Sanctus Thomas *p. 1. q. 88. art. 3. in corp. Malum importat remotionem boni: non autem qualibet remotio boni, malum dicitur. Poteſt enim accipi remotio boni & priuatiuè, & negatiuè. Remotio igitur boni negatiuè accepta, mali rationem non habet, alioquin ſequeretur, quod qualibet res eſſet mala; ex hoc, quod non habet bonum alterius rei, &c. Sed remotio boni priuatiuè accepta malum dicitur: quia videlicet eſt remotio boni debiti, ſeu ad quod ordinem dicit*; nulli *autem debentur diuitiæ alterius, quamdiu alter viuit, & ea iuſtè poſſidet:* vnde velle mortem alteri ad remouendum ab illo diuitias, vt eas optans per illius mortem acquirat, eſt velle malum illius ſub ratione mali: nec optaretur mors illius, vt ordinata ad bonum tunc mihi debitum, nec ad malum aliquod à me remouendum: ac proinde ex nullo capite deſideriũ illud mortis alterius honeſtari poſſet.

Confirmatur. Nam tenemur impendere diuitias ad ſeruandam vitam alterius: ergo mors alterius non poteſt licitè ordinari ad acquiſitionem diuitiarum, cum potius diuitiæ or-

dinari debeant ad ſeruandam vitam alterius, eſſet enim iniquum,& iniuſtum deſiderium, quo quis vellet aliquem priuari vita, vt ipſe diuitias acquireret.

Hinc Ludouicus Monteſinus *prima ſecundæ quæſt.74. art.7. in fine*, ſic ait. *Quid ſi quis delectetur non de morte violenta, ſed de morte naturali alicuius propter propriam vtilitatem? Reſpondetur, non auderem iſtum à peccato excuſare, ſuppoſito, quod obiectum delectationis eſſet mors alterius, quia mors eſt graue malum, & contra charitatem erga proximum videtur eſſe, delectari de morte alterius propter bonum temporale, ſecus ſi delectetur de illa propter bona æterna, &c.*

Libet autem hæc omnia vlterius vrgere ex amore erga proximũ: quia ex præcepto Charitatis tenemur pluris æſtimare vitam proximi, quæ inter temporalia eſt bonum maximum, quàm diuitias noſtras, quæ inter ipſa temporalia, ſunt bonum infimum, & videtur grauis inordinatio, & valdè ordini Charitatis oppoſita, deſiderari à me tam graue malũ proximo, quale eſt omnium maximum, vitæ amiſſio, ex motiuo mei commodi in acquirẽda hæreditate, in quo non videtur poſſe hoc deſiderium repurgari à labe auaritiæ, quæ iuxta Apoſtolum eſt omnium malorum radix; ſiquidem cum tanto malo proximi mei diteſcere cupio.

Vt autem huius argumenti vis magis percipiatur, animaduertendum eſt, quod licèt quidem alicui propria bona temporalia defendendo illorum inuaſorem occidere, vt dictum eſt ſupra; nec tenetur quis à ſuorum bonorum defenſione abſtinere pro ſeruanda inuaſoris vita: tenetur tamen homo non optare alterius mortem ob emolumentum temporale, aut propter diuitias, quæ ex iſtius morte ſibi obuenire poſſunt. Ratio enim diſparitatis eſt, quod cum fur mea bona temporalia inuadit, ea inuadit, in quorum iuſta poſſeſſione ego maneo, & ideo iniuſtum patior, quando illa mihi auferuntur à fure; ac proinde licitè poſſum ea defendendo actualem furem occidere: nec teneor ab ea defenſione pro ſeruanda furis vita abſtinere.

Cæterùm cum Titius non poſſideat bona temporalia, ac diuitias Caij, nec à Caio inuadantur bona Titij, nullum iniuſtum patitur Titius ex hoc quod non poſſideat bona Caij: Caius enim ea iuſtè poſſidet, vt ſupponitur: ergo contra æquitatem ageret Titius, ſi Caij mortem etiam naturalem optaret, vt ad ſe Caij bona peruenirent: nam ad ſummum difficultas eſſe poteſt de huiuſmodi deſiderio, quando Titius iniuſtum aliquod pateretur, ex eo quod ipſe non poſſideret bona, quæ Caius poſſidet; cum ergo nullum iniuſtum patiatur Titius ex eo, quod non poſſideat pro eo tempore bona Caij iniquè ageret, ſi Caij mortem optaret, vt bona Caij ad eum peruenirent. Et cum ex alia parte Titius non inuadatur à Caio in bonis, quæ iuſtè poſſidet, nullum rationabile motiuum habet Titius optandi mortem Caij, vt eius bona poſſideat.

Immò cum proximi vitam præferre

re debeamus diuitijs, ac bonis temporalibus, quæ actu, & iuſtè poſſidemus: nam ad ſuccurendum proximi vitæ, debemus proprias exponere diuitias: itavt in animo præparati eſſe debeamus ad proprias, & poſſeſſas à nobis diuitias ad ſeruandã vitam proximi profundere; cum multò magis vitã proximi præferre debeamus diuitijs, ac bonis temporalibus, quæ nec poſſidemus, nec ad eas pro eo tempore poſſidendas ius aliquod habemus: ac proindè non debemus pro ijs poſſidendis mortem proximi etiã naturalem optare.

Idemque dicendum de filio reſpectu patris: nam cum filius non habeat ius ad poſſidendam hæreditatem viuente patre, nullum iniuſtum patitur, ex eo quod pater bona temporalia, quæ hæreditatem conſtituunt, poſſideat: ac proindè filius non habet rationabile motiuum optandi propter hoc mortem ipſius patris; ſed quando etiam Caius iniuſtè poſſideret bona Titij, & pater iniuſtè retineret portionem, quæ contingeret filio, non ideo liceret Titio optare mortem Caij, vt Caij bona ei obuenirent: nec licitum eſſet filio ob eam portionem obtinendam optare mortem patris: nam mors alterius eſt longè maius malum, quam ſit in me priuatio bonorum temporalium, & ideò contra æquitatem eſſet, vt pro acquirendis bonis temporalibus, etiã mihi debitis, alteri, & præſertim meo Patri, tantum malum optarem, quale eſt mors, & priuatio vitæ.

* * *

ASSERTIO SECVNDA.

Non licèt abſoluto deſiderio cupere mortem patris ob pinguem hęreditatem obuenturam.

HÆC etiam Aſſertio communis eſt inter Doctores: eſt enim conſectaria ad primam Aſſertionem, vndè rationibus, quibus prima probata fuit, probatur & hæc ſecunda, & quidem à fortiori; nam ſi cuilibet nefas ſit alterius mortem ob hæreditatem, vel emolumentum optare, multò magis nefas eſt filio ob hæreditatem optare mortem patris; communi enim eius actus malitiæ adderetur impietas; nam deſiderium mortis ob hæreditatem, quod reſpectiuè ad proximum eſt valdè inordinatum, reſpectiuè ad patrem eſt impium: nempè contra virtutem pietatis, & contra quartum præceptum, & mutat ſpeciem.

Præterquam quod, vt in probationibus primæ Aſſertionis dictum eſt, ſi licet ob hæreditatem optare mortem patris, licebit eam ob hæreditatem à Deo petere: nam licèt à Deo petere, quod licitum eſt optare; impium autem eſt dicere, quod liceat filio mortem patris ob hæreditatem à Deo petere, & humanæ aures hæc audire horrent.

Eſt autem poſt Innocentij Vndecimi decretum hæc etiam ſecunda aſſertio ab omnibus tenenda: nam oppoſita damnata eſt in laudato decreto,

creto, & eſt quartadecima, ſcilicèt illa. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris: non quidem, vt malum patris, ſed vt bonum cupientis: quia nimirum ei obuentura eſt pinguis hæreditas.*

ASSERTIO TERTIA.

Non licet filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias inde ex hæreditate conſequutas.

HAEC pariter Aſſertio eſt cõmunis inter Doctores, & ſequitur manifeſtè ex dictis pro prima, & ſecunda aſſertione: nam ſi complacentia de morte etiam naturali patris ex fine ineundæ hæreditatis, eſt graue peccatum, etiamſi mors alterius, ac patris abſque optantis malitia contigerit; peccatum quoq; graue erit gaudium, & complacentia de parricidio à filio etſi abſque peccato, in ebrietate commiſſo; ſic enim gaudet, & ſibi complacet de maximo malo, ſcilicèt de morte ſui patris. Hæc etiam aſſertio ab omnibus tenenda eſt, nam propoſitio ei oppoſita damnata eſt in Decreto laudato Innocentij XI. & eſt quintadecima inter damnatas.

ASSERTIO QVARTA.

Licitum eſt optare quod aliquis peccator patiatur aliquam ægritudinẽ, aut aliquod impedimẽtum, vel vt ipſe melior efficiatur, vel vt ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet.

ITA his ipſis verbis D. Thomas in locis mox citandis, vnde conſtat quàm diuerſa ſit ſententia Diui Thomæ à recenter dãnata opinione.

Igitur S. Thomas *in 3. ſent. diſt. 30. quæſt. 1. art. 1.* docet, inimicum diligendum eſſe, in his, quæ pertinent ad naturam ſuam, & ad gratiam habendã. Et contra hoc opponit quarto loco argumentum huiuſmodi. *Illos quibus optamus, & de quorum malis gaudemus, non diligimus; ſed licèt optare mala inimicis, & de eorum malis gaudere: vnde in Scriptura ſacra frequenter ponuntur imprecationes contra inimicos, & in conſolationem fidelium inducitur hoſtium deſtructio, ergo non tenemur inimicos diligere.* Reſpondet S. Doctor, oſtendens qua ratione, & in ordine ad qualia bona optari poſſint mala inimico, ſic inquiens.

Ad quartum dicendum, quod Charitas attendit ad quædam bona per ſe, ſcilicet ad bona gratiæ, ad quædam autem per accidens, in quantum ad illam ordinantur. Bona autem temporalia, quæ per accidens charitas attendit, & ex conſequenti, poſſent ſe inuicem in diuerſis impedire: quia proſperitas vnius inducit aduerſitatem alterius; vndè quia Charitas ordinem habet, vt plus debeat quiſque ſe diligere, quàm alium, & propinquos quàm extraneos, & amicos, quàm inimicos, & bonum commu-

ne multorum, quàm bonum priuatum vnius, poteſt aliquis ſalua Charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere ſi contingat, non in quantùm eſt malum illius, ſed in quantùm eſt impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel Communitati, aut Eccleſiæ: ſimiliter de malo etiam eius, qui in malum temporale incidit, ſecundum quòd per malum pœnæ, impeditur frequentèr malum culpæ eius; ſed bona gratiæ mutuò ſe non impediunt, quia ſpiritualia bona à pluribus integrè poſſideri poſſunt. Et ideo quantum ad hoc nullus ſalua Charitate poteſt malum alteri optare, vel de malo gaudere, niſi in quantum in malo culpæ, vel damnationis alicuius relucet bonum Diuinæ Iuſtitiæ, quod plus tenetur diligere, quàm aliquem hominem: ſed hoc non eſt per ſe de malo gaudere, ſed de bono, quod diuerſum eſt à malo. Hæc Sanctus Thomas,

In quibus animaduertendum eſt, Sanctum Doctorem loqui de malo, quod poſſit optari inimico, & inimico vexanti, aut impedienti bonum alterius; nam ſupponit, quæſtionem eſſe non poſſe de amico, ſeu de illo, qui alium, nec vexat, nec illius bonum impedit: certum eſt enim, & extra omnem cõtrouerſiam, quod amico, aut perſonæ nullatenus aliam vexanti, nec bonum publicum, vel priuatum impedienti, malum aliquod optari non poſſit. Igitur non alia ratione docet S. Doctor, quod malum temporale poſſit alteri optari, niſi quatenus per illud impediri poſſunt alia mala temoralia ſui ipſius, vel aliorum, quos aliquis plus tenetur diligere quàm inimicum, vel ſpiritualia ipſius inimici, cui malum temporale optatur: nam ad mala impedienda iuſtè malum optatur. Sed non ait S. Thomas, quod ad acquirendum aliquod bonum temporale, vti ſunt diuitiæ, & hæreditas pinguis poſſit quis alteri malum temporale optare; eſſet enim contra æquitatem, ac rectam rationem ei malum optare, à quo nulla iniuria, læſio, aut vexatio procedit: immò nec etiam vllum malum imminet, vti contingeret, ſi quis alicui, à quo non læditur, nec vexatur malum temporale, & mortem optaret, vt ex eius morte pinguis hæreditas ſibi obueniret. Nõ eſt autem contra æquitatem, nec contra rectam rationem, vt quis alteri malum temporale alicui optet, vel ad remouendam vexationem, qua iniuſtè ab illo vexatur, vel ad impediendum malum Communitatis, aut Eccleſiæ, vel etiam ad impediendum malum culpæ eius, cui malum optatur: hac enim ratione malum temporale ordinatur ad aliquod bonum, & bonum debitum, quod ab alio iniuſtè impeditur.

Nec in alio ſenſu loquuntur Authores, quos Guimenius, & Sandæus in allegatis opuſculis pro ſe allegant, videlicet Caietanus *in Summa* verbo *Maledictio*; Ioannes de la Cruz *in Directorio par. 1. tract. de homicidio, dub. 3.* Corradus *1. par. Reſponſ. caſuum quæſt. 392.* Zanardus, *2. 2. Directorij cap 6. de maledict.* Gallet. *in Margarita caſuum conſcientiæ*, verbo *Deſiderare*.

In eodẽ ſenſu loquitur S. Thomas *2. 2. quæſt. 76. art. 1. in corp.* vbi ait. *Si aliquis imperet, vel optet malum al-*

terius, in quantum eſt malum, quaſi ipſum malum intendens; ſic maledicere, nec erit maledictio per ſe loquendo, ſed per accidens: quia principalis intentio dicentis, non fertur ad malum aliquod dici imperando, vel optando ſub ratione duplicis boni. Quandoque quidem ſub ratione iuſti, & ſic Iudex licitè maledicit illum, cui præcipit iuſtam pœnam inferri. Et ſic Eccleſia maledicit anathematizando. Sicut etiam Prophetæ in Scripturis quandoq; imprecantur mala peccatoribus, quaſi conformantes voluntatem ſuam Diuinæ Iuſtitiæ: licèt huiuſmodi imprecationes poſsint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque verò dicitur aliquod malum ſub ratione vtilis; puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel vt ipſe melior efficiatur, vel vt ſaltem ab aliorum nocumento ceſset.

Et ad tertium ſic ait. *Ad tertium dicendum, quod optare alicui malum ſub ratione boni, non contrariatur affectui, quo quis ſimpliciter alicui optat bonum, ſed magis habet conformitatem ad ipſum.*

Et *ſecunda ſecundæ quæſt.*83.*art.*8 *ad* 1. ſic ait. *Ad primum dicendum, quod imprecationes, quæ in Sacra Scriptura ponuntur, quadrupliciter poſſunt intelligi: Primò modo, ſecundum quod Prophetæ ſolent in figura imprecantis futura prædicere, vt Auguſtinus dicit in libro de Sermone Domini in monte. Secundò, prout quædam temporalia mala peccatoribus quandoque à Deo in correctionem immittuntur. Tertiò quia intelliguntur petere non contra ipſos homines, ſed contra regnum peccati, vt ſcilicèt correctione hominum, peccata deſtruantur. Quartò conformando voluntatem ſuam Diuinæ Iuſtitiæ circa damnationem perſeuerantium in peccato*

Et ad tertium ibidem ſic ait. *Ad tertium dicendum, quod licitum eſt impugnare inimicos, vt compeſcantur à peccatis: quod cedit in bonum eorum, & aliorum. Et ſic etiam licet orando petere aliqua temporalia mala inimicorum, vt corrigantur, & ſic oratio, & operatio non erunt contraria.*

Quare D. Thomas in eo perpetuus eſt, vt doceat licitum eſſe optare malum alicui ſub ratione boni, ipſius videlicèt, cui malum optatur, vt contingit, quando peccatori optatur ægritudo, vt à peccatis abſtineat, & melior efficiatur, vel vt ab aliorum nocumento ceſſet; vel etiam propter bonum commune Reipublicæ. Nuſquam autem docet, licitum eſſe optare malum alicui propter merum commodum, & vtile ipſius optantis, vt contingeret, ſi quis alteri mortem naturalem optaret, vt ex eius morte pinguis hæreditas ſibi obueniret: id enim eſſet velle abſolutè malum alteri, vt malum, & ſub ratione mali. Quod enim ex eius morte mihi bonum hæreditaris obueniat, non reddit honeſtum, & licitum deſiderium, quo ego ei mortem exopto: nam hoc bonum, non eſt bonum illi, ſed mihi; & mihi eſt bonum pro eo tempore, quo ille viuit, indebitum, ita vt ille in poſſidendo, aut retinendo bonum illud nullatenus peccet, ac proindè deſiderium mortis illius eſt iniquum, & illicitum; vnde Salon. *ad art.*2.*quæſt.*76.*cit.* ſic ait. *Aduertè quod optare alicui malum, licitum eſt, quando ille cui malum optatur*

optatur exiſtit in culpa, nam ſi nulla ſit in eo iniquitas, non licèt deſiderare illi malum ob propriam vtilitatem, & ſic non licèt deſiderare mortem patris ob hæreditatem.

Vlterior hactenus dicto-rum explicatio.

VT autem licitè malum temporale alteri optari poſſit, eſt vlterius attendenda proportio inter malum optatum, & malum, quod per optatum malum remoueri ſupponitur, itaut pro minori malo remouendo non optetur maius malũ. Hinc S. Thomas non dixit, quod liceat optare mortem peccatoris, vt ipſe melior efficiatur, vel vt ab aliorum nocumento ceſſet, ſed dixit propter hæc optari poſſe peccatori ægritudinem, aut aliquod impedimentum: nam quamuis bonum ſpirituale proximi præferendum ſit bono eiuſdem corporali, non ideò tamen ad inducendum bonum ſpirituale in proximum, cuiuſmodi eſt ceſſatio à peccatis, optandum eſt proximo ſummum, & irreparabile malum corporis, cuiuſmodi eſt mors, ſi mors abſolutè, & nullo alio ſuperaddito optetur: nam hac ratione non ſeruaretur debita propottio inter malum remouendum, & malum optatum; quia ceſſatio præciſa à peccando, eſt quidem ſpirituale proximi bonum, ſed ceſſatio à peccato non eſt optanda præcisè per mortem: nam ſi peccator moriatur in peccatis, ceſſabit quidem a peccando, ſed ſalutem æternam non conſequetur; vt ergo quis peccatori per aliquod malum temporale ſalutem ſpiritualem exoptet, non debet ei mortem temporalem optare; nam prout ſic optaretur ei aliquod malum, per quod ceſſaret quidem à peccando, ſed poneretur in ſtatu, in quo non poſſet propriam ſalutem procurare. Peccatori ergo, vt à peccando ceſſet poteſt optari ægritudo, aut aliud impedimentum, ac etiam mors; ita tamen, vt non optetur præciſa mors, ſeu vitæ priuatio, ſed optetur mors in ſtatu gratiæ ſequuta, vt ſic ille ſalutem æternam conſequatur. Rurſus licitum eſt propter bonum commune optare abſolutè mortem naturalem alicuius, nam bonum commune præferendum eſt priuato: hac ratione licitum eſt optare mortem Tyranni, aut alterius, qui grauiter Rempublicam opprimit: ita vt obiectum illius deſiderij ſit remotio mali à Republica, qualis eſſet remotio oppreſſori Reipublicæ: licebit etiam mortem naturalem illi optare, qui iniuſtè notabilem partem bonorum alicui Reipublicæ retineat, ſi poſt eius mortem bona illa ad Rempublicam reditura ſint: quia & hoc eſt præferre commune bonum bono priuato, & eamdem prælationem optare; ſed ſi aliquis ciuis diuitias proprias, & propria bona iuſtè poſſideat, & poſt eius mortem ad Rempublicam peruentura ſint, vel quia ipſe ita diſpoſuit, aut quia ea ratione illi à Republica, vel Principe conceſſa ſunt, vt poſt eius morrem ad Rempublicam, vel ad Principem perueniant, non ideò licebit illius mortem optare, vt diuitiæ, & bona illa ad Rempublicam, vel Principem perueniant: nam quã-

uis in hoc inuoluatur bonum commune Reipublicæ, ſcilicet acquiſitio bonorum illorum, hoc tamen nouũ bonum,non eſt Reipublicæ debitum illo viuente, cui bona illa conceſſa ſunt,ac proindè nullum iniuſtum patitur Reſpublica, ex eo quod perſona priuata viuat, & bona illa poſſideat: nec per illorum bonorum poſſeſſorẽ læditur à perſona illa Reſpublica,nec pati dicitur aliquod malum: ac proindè ſi quis mortem illi priuato optaret, vt Reſpublica bonorum illius potiretur, grauiter, & contra æquitatem peccaret: nam illius mortem optaret, non ad remouendum aliquod malum à Republica, in quo tantùm caſu licitum eſt mortem priuati pro Republica optare; ſed optaret illi mortem propter bonum acquirendum ab alio, qui iuſtè illud poſſidet, & ad quod Reſpublica pro eo tempore, quo illud perſona illa poſſidet, non habet ius poſſidendi, quamuis habeat ius ad illud, ſequuta eius morte poſſidendum; vnde Reſpublica in eo caſu habet ſe velut priuata perſona cui accreſcunt opes ex morte alterius perſonæ.

Vt igitur licitè alicui malum temporale poſſit optari; duo neceſſariò requiruntur. Primum eſt, quod optetur mali remotio ſpiritualis, vel temporalis in eo, cui optatur malum, vel in alio: ita vt ſi malum contingeret, & cui optatur, remouendum ſit ab eo, vel ab alio aliquod malum temporale, vel ſpirituale: ita vt ſi in optante carentia boni, propter quod inducendum optatur malum, non ſit reuera malum in optante, eo quod ſit carentia boni indebiti, nullum malum temporale, ſiue graue, ſiue mediocre alteri optari poſſit: & hac ratione nedum illicitum eſt optare mortem alicui propter hæreditatem, aut alia bona temporalia acquirenda; ſed neque propter eadem licitum eſt optare alteri ægritudinem, aut aliquod aliud malum: quia cõtra æquitatem, ac rectam rationem eſſet, vt quis alteri, à quo non læditur, nec iniuſtum patitur,aut malum accepit, malum aliquod temporale optet,ſiue malum temporale ſit graue, ſiue mediocre. Secundò requiritur proportio debita inter malum,quod optatur, & malum per malum optatum ab aliquo remouendum: nullum autem horum interuenit, cum quis mortem alicui optat propter hæreditatem,aut aliud temporale emolumentum ex eius morte ſequuturum; nam non interuenit remotio mali ab optante, cui per alterius mortem contingeret hæreditas, aut aliud temporale emolumentum: nam optans nullum patitur malum, aut iniuſtum ex hoc, quod alter opes, & bona illa poſſideat, iuſtè enim illa poſſidet,vt ſupponitur: pro quo recolantur ea,quæ ſuperius dicta ſunt; nec etiam interuenit proportio inter malum optatum, & malum remouendũ (quod tamen, vt diximus non eſt malum) nam mors eſt ſummum malorum, cum ſit priuatio maximi boni,ſcilicet vitæ,& eſt malum irreparabile;quod verò quis actu non poſſideat bona temporalia,quæ ſibi ob alterius mortem obuentura ſunt,non eſt malum, & ſi eſſet malum, eſt malum incomparabiliter inferius ad mortem; vndè pro remouenda carentia illorum bo-

norum

norum temporalium à Titio, quæ ſibi per mortem Caij obuentura eſſent, non poteſt Titius mortem exoptare Caio.

Sed poſſet eſſe quæſtio. Vtrum quis poſſit iniuſto perſecutori mortem optare, vt deſiſtat ab iniuſta eius perſecutione, ob quam illi, ſi proſequatur, certo imminet mors; & videtur, quod ſic; nam in eo caſu, adeſset remotio veri mali, & proportio inter malum optatum, & malum remotum; nam pro remouenda à me morte optarem perſequentis mortem. Dicendum tamen eſt, quod nec in eo caſu liceret mihi perſequutoris mortem optare: nam alijs vijs, & medijs poſſum illius perſecutionē declinare, ſcilicèt vel per viam Iuris, vel alijs modis me ab iniuſta perſecutione defendendo. Et ideò ſicut alijs modis contingere poteſt liberatio mei ab iniuſto perſecutore, quam per eius mortem etiam naturalem, non cogor, nec ſum in ijs anguſtijs poſitus, vt meam liberationem optem per ſolam perſecutoris mortem naturalem; præter quam quod in eo caſu pro me liberando à morte futura, optarem perſecutori mortem actualem, vndè non eſſet æqua commutatio, nec debita adeſſet proportio inter malum optatum, & malum imminens, & optaretur mors certa perſecutoris ad liberandum alium à morte incertâ; vnde nunquam dici poteſt certa mors, quam aliquis alteri procurat eū iniuſtè perſequendo.

Et ſicut non licet alicui pro ſua defenſione adhuc in actuali conflictu cum aggreſſore, mortem aggreſſoris intendere, ſed ſolum ſui defenſionē; eſto ad eam defenſionem ſequutura ſit mors aggreſſoris, & ſequutura prævideatur; idque ob eam rationem, quod priuata perſona ius non habet in vitam alterius, ſed ſolùm in ſuam defenſionem: ita ex eadem ratione non licet alicui naturalem mortem perſecutoris exoptare propter bonum ſuum priuatum, ſcilicèt ad propriam vitam ab eius perſecutione liberandam, ſed poteſt licitè is, qui eam patitur perſecutionem defenſionem ſui optare, vel optare perſecutori ægritudinem, vel aliud impedimentum, per quod ab iniuſta illa perſecutione deſiſtat.

Quando verò Sancti, vel Prophetæ mortem alicui imprecati ſunt, id feciſſe putandum eſt, vel ex Diuino inſtinctu, vel conformando voluntatem ſuam Diuinæ Iuſtitiæ, vel intelligendæ ſunt per modum prænuntiationi, vt ait S. Thomas *loc. citato* ex 2. 2.

Poſtremò difficultas eſſe poſſet, vtrum ad vitanda mala temporalia, ægritudinem, internam afflictionem paupertatem, &c. liceat mortem ſibi exoptare, & dicendum quidquid aliqui in oppoſitum dicant, quod ſit graue peccatum, quia homo non eſt dominus vitæ ſuæ: deinde timiditatis, aut puſillanimitatis vitium eſt velle carere magno bono temporali, quod eſt vita, & mori ob vitanda aliqua mala minoris momenti. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 15. num. 15. Abulenſis quæſt. 4. in cap. 19. lib. 3. Reg.* & alij.

Et S. Thomas 2.2. *quæſt.* 125. *ar.* 2. *ad ſecundū* ait, quod ille, qui ſe periculis mortis exponit, vt fugiat ſer-

uitutem, vel aliquid laborioſum à timore vincitur, quod eſt fortitudini contrarium; vnde Philoſophus dicit *in 3. Ethic. Quod mori fugientem inopiam, vel captionem, vel aliquod triſtè, non eſt fortis, ſed magis timidi: Mollities eſt enim fugere laborioſa.* Vnde velle pati mortem potius, quam ſuſtinere mala, morte minora, non eſt virtutis, ſed vitij.

Et multò magis vitium eſt mortem ſibi optare propter mala minima, vt faciunt mulierculæ, & præſertim vetulæ, quæ ob res minimas vociferantur, & optant ſibi mortem, niſi eas excuſare velimus (& ita vt plurimum eſt) ex defectu aduertentiæ, & deliberationis.

Ad ea verò, quæ in contrarium afferebantur in principio ſolutio patet ex dictis.

Quæri etiam hic poſſet, vtrum triſtari, vel dolere liceat de alterius bono, vel proſperitate, ſed de hac quæſtione egimus in noſtris Controuerſijs Controu. X. videri poſſunt, quæ de hac re ibi diximus.

RAYMVNDI

RAYMVNDI CARDINALIS CAPISVCCHI DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

De Hæreticis Prædeſtinatianis, & illorum erroribus.

HÆRETICOS Prædeſtinatianos præteritis ſæculis extitiſſe, plures, & graues Authores, præſertim antiqui, vt videbimus, affirmant. Negant verò pauci recentiores, & adeò confidenter, vt hiſtoriam de Hæreticis Prædeſtinatianis inter aniles fabulas reponendam velint. Placuit rem ad examen vocare, & vtriuſque ſententiæ argumentis diligenter expenſis abſque vllo partium ſtudio, quæſtionem reſoluere, vt veritas omninò eluceſcat.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum hæreſis Prædeſtinatiana in quinto ſæculo extiterit.

PRimus ex recentioribus, qui hæreſim Prædeſtinatianam à ſtatu exiſtentiæ in quinto ſæculo repulerit, eſt Cornelius Ianſenius Ipren. ſis Epiſcopus, *tom.* 1. inſcripto *Auguſtinus*, *&c. lib.* 8. *cap.* 23. *vbi poſt plura* §. *Quamobrem*, ſic ait. *Vt ſuſpicionem meam liberè dicam, & Lectoribus dijudicandam offeram, exiſtimo equidem nūquam in rerum natura fuiſſe hæreſim Prædeſtinatianam, vel hæreticos Prædeſtinatianos: ſed è contrario doctrinam Catholicam, quam S. Auguſtinus, & Proſper docuerunt, ſub nomine iſtius hæreſis calumniosè à Maſſilienſibus traductam eſſe. Itaque hæretici illi Prædeſtinatiani, non fuerunt alij, quam Sanctus Auguſtinus, Proſper, Hilar. & quotquot eorum doctrinam ſequebantur, quos eo nomine indigetarunt Semipelagiani, atque inter hæreticos, nominibus eorum non expreſſis collocarunt, quibus credula poſteritas, quoſdam tanquam hæreticos Prædeſtinatianos auerſata eſt, &c.* Hanc Ianſenij imaginationem ſequitur Vſſerius Caluiniſta, eamque latè propugnant

gnant Mauguinus in opere, quod inſcripſit, *De Prædeſtinatianæ fabulæ confutatione*, cui ſubſcribunt Cabeſutius *in notitia Conciliorum*, &c. ad finem Concilij Arauxicani II. & Contenſonius *tom. 5. Theologiæ mentis, & cordis, diſſert. 3. Appendice vnica* §. 1. & 2.

Affirmant autem eam hæreſim extitiſſe in quinto ſæculo quamplures recentiores, & in primis P. Suarez, *tom de Gratia, Prologm. 5. cap. 5. num. 1.* Binius, *in annotationibus ad Concilium Arelatenſe* 11. Sirmondus, *in Hiſtoria Prædeſtinatiana*, Cellotius, *lib. 2. Hiſtoriæ Gotteſcalchi, cap. 4.* Labbe, *tom. 5. Concil. pag.* 1042. Noriſius, *in Hiſtoria Pelagiana lib. 2. c. 15.* §. *Et hæc quidem ſententia*, Io: à Sancto Thoma, *par. 1. tom. 2. diſput. 7. art. 1. num.* 2. & Natalis Alexander, *Sæculo 5. pars 1. art. 11. & par. 2. diſſert. 5. concluſ. 4.*

Paragraphus Primus.

Sententia affirmatiua eligitur, & probatur.

Affirmatiua ſententia tot atteſtationibus, & priſcorum Authorum teſtimonijs munitur, vt de eius veritate non videatur ſupereſſe locus dubitandi: ideo ſententia hæc pro concluſione ſtatuitur.

Probatur afferendo Scriptores quinti ſæculi, qui teſtatur in eo quinto ſæculo hæreſim Prædeſtinatianam extitiſſe. Hi verò ſunt, Proſper Tiro, *in Chronico ad annum* 23. *Honorij*. Fauſtus Regienſis, in præfatione ſuorum librorum, *de libero arbitrio*, ad Leontium Arelatenſem Epiſcopum. Author Prædeſtinati editus à P. Sirmondo; Arnobius Iunior, *in expoſitione Pſalterij*. Gennadius Maſſilienſis, *in Catalogi Auguſtiniani, de hæreſibus Appendice*, Sanctus Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, *epiſt. ad* Conſtantium Præsbyterum citata ab Adriano I. & in epiſtola ad omnes Epiſcopos Hiſpaniæ, & *lib. 2. de veritate Prædeſtinationis, & Gratiæ*, Ennodius Ticinenſis, *epiſt. ad Conſtantium*.

Reſpondent aduerſarij Neoterici præfatis Scriptoribus non eſſe fidendum, quia erant Semipelagiani, quorum intererat hæreſim prædeſtinatianam diſcipulis Diui Auguſtini affigere ad retrahendum fideles à ſequela Auguſtinianæ Doctrinæ in materia Prædeſtinationis, & gratiæ.

At multipliciter impugnatur iſta reſponſio. Primò, quia Sanctus Fulgentius Semipelagianus non fuit, ſed totus Auguſtinianus, Ennodius etiam Ticinenſis eſt Sanctus, & eius memoria recolitur 16. Kal. Auguſti. Cuius virtutum merita celebrata per Summos Pontifices Nicolaum I. in epiſtola ad Michaelem Auguſtum, Ioannem VII. in epiſtola ad Bertarium Abbatem, & Gregorium VII. in dictatu, nec ſuſpicari permittunt, quod Semipelagianis adhæſerit, & multò minus, quod fideles Auguſtini diſcipulos de Prædeſtinatiana hæreſi calumniatus fuerit. Nec Proſper Tiro Semipelagianus fuit; nimis enim leuis eſt coniectura, qua mouentur Aduerſarij ad aſſerendum ipſum Se-

mipe-

mipelagianum fuiſſe, nempè quia Caſſianum laudauit. Caſſianus enim laudari poteſt de moribus, quia vitæ Cenobiticæ inſtaurator, & propagator fuit. Laudari;, & poteſt ex parte de operibus ab ipſo conſcriptis *de Inſtitutis Renunciantium, & de Collationibus Patrum*, quas Sanctus Thoma Aquinas aſſiduè voluebat; quis autem inde inferat, Sanctum Thomam Semipelagianum fuiſſe? Itaque Proſper Tiro ſic habet. *Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Auguſtini libris malè intellectis accepiſſe dicitur initium, his temporibus exorta eſt*. Quæ verba nullatenus poſſunt applicari fidelibus D. Auguſtini diſcipulis, qui errores Prædeſtinatorum cõfutabant ex doctrina Sanctiſſimi Præceptoris. Præcipuus enim error illorum hæreticorum erat, quod electio Dei ad gloriam antecedens præuiſione meritorum, & Gratia victrix ad quodlibet bonum opus requiſita arbitrij libertatem euerterent. Quod conſtantiſſimè negabãt fideles Diui Auguſt. diſcipuli inſtructi doctrina eiuſdem in libris *de Gratia, & libero arbitrio*, vbi ipſemet fatetur *cap*. 20. ſatis ſe diſputaſſe aduerſus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, ſed ex mala mutatur in bonam. Et Sanctus Proſper *opuſculo contra Collatorem*, *cap*. 38. clarè dixit, quod opitulationes Diuinæ Gratiæ ſtabilimẽta ſunt voluntatis humanæ; & ita nimis impudenter attribueretur hereſis Prædeſtinatiana vel D. Auguſtino, vel fidelibus ipſius diſcipulis: hæreticales enim errores attribuendi ſunt, non ijs, qui illos ex profeſſo confutant, ſed ijs, qui illos defendunt.

Secundò impugnatur eadem reſponſio. Quia ſi præcitati Scriptores hæreſim Prædeſtinatianam attribuiſſent per calumniam fidelibus D. Auguſtini diſcipulis, incredibile eſt, quod horum aliquis inter tot illius ſæculi Scriptores talem, ac tantam temeritatem non detexiſſet, non increpaſſet, aut ſaltem de calumnia cõqueſtus non fuiſſet. Atqui nullus inuenitur, nulluſque Scriptor quinti ſæculi producitur, qui nec etiam de huiuſmodi querimonia mentionem faciat. Euidens ergo ſignum eſt, quod hæreſis Prædeſtinatiana non attribuebatur fidelibus D. Auguſtini diſcipulis, ſed alijs erronibus, qui Sancti Præceptoris doctrinam in materia Prædeſtinationis, & Gratiæ non capientes, eaque malè vtentes, ex illa falſa dogmata Prædeſtinatianorum deducebant, & propugnabant.

Tertiò impugnatur. Quia ſi ſuperiori ſæculo tot Lutherani, & Caluiniſtæ errores Prædeſtinatianorum obuijs manibus exceperunt, ex eadem radice libertatem arbitrij impudentiſſimè negantes. Quid mirum, aut quid repugnantiæ in eo inuenitur, quod etiam in quinto ſæculo aliqui infidi Profeſſores doctrinæ D. Auguſtini in errores Prædeſtinatianorum inciderint? His ergo conuenienter, & abſque iniuria hæreſis Prædeſtinatiana ab allegatis Scriptoribus quinti ſæculi, præſertim à Sanctis attributa fuit, non autem per calumniam diſcipulis D. Auguſtini, qui palam Prędeſtinatianorum errores deteſtabantur.

Quartò tandem impugnatur. Quia quam-

quamplures Authores antiqui poſt quintum ſæculum hæreſim prædeſtinatianam commemorant, vt Adrianus I. epiſtola ad Egilam teſte Baronio *tom. 9. ad annum* 795. Segebertus *in Chronico ad annum* 414. Vincentius Bellouacenſis, & Philippus Bergomatenſis citati à Ludouico Bail *tom. 2. Conciliorum pag.* 153. Alphonſus à Caſtro, *verbo Prædeſtinatio*. Sanderus *de viſibili Monarchia lib.* 8. *pag.* 367. *ad annum* 526. Bernardus Luxemburg. *verbo Prædeſtinati*. Cardinalis Baronius *ad annum* 490. Bruſchius, *verbo Prædeſtinatio*. Cardinalis Bellarminus *de Scriptoribus, in verbo Arnobius Afer*. Atqui nec ſuſpicari poteſt hos grauiſſimos Authores attribuiſſe hæreſim prædeſtinatianam fidelibus D. Auguſtini diſcipulis, quandoquidem eiuſdem Sancti Patris doctrinam proſequebantur. Igitur nec Authores quinti ſæculi, quos retulimus eam hæreſim per calumniam attribuerunt Sectatoribus Auguſtinianæ doctrinæ, ſed ijs, qui reuerà Prædeſtinatianorũ errores propugnabant.

Sed obijciunt recentiores aduerſarij. Si in quinto ſæculo extitiſſent hæretici Prædeſtinatiani, de eis mentionem fecisſent, eorumque errores ex profeſso impugnaſsent Auguſtinianæ doctrinæ Sectatores, vt Proſper, Hilarius, & alii. Nullus autem ex his inuenitur, qui de iſtis hæreticis mentionem fecerit, aut eorum errores ex profeſso impugnauerit; ſignum ergò eſt, iſtos hæreticos non extitiſſe in rerum natura, ſed eorum nomine per improperium appellatos fuiſse à Semipelagianis fideles diſcipulos Diui Auguſtini.

Hæc obiectio præcipuum Ianſenianæ perſuaſionis fundamentum exponens retorquetur in aduerſarios. Quia ſi fideles Auguſtini diſcipuli eo nomine per improperium à Semipelagianis appellati fuiſsent, ita quod iſti dicti fuiſsent hæretici Prædeſtinatiani. Quomodò fieri potuit, quod nullus eorum de tali, ac tanta iniuria conquæſtus fuerit, & non curauerit hoc infame nomen à Catholicis Doctoribus repellere? Et tamen id à nemine factum inuenitur, cum nullibi reperiatur in eorum libris expreſſum hoc nomen, *Hæreſis Prædeſtinatiana*. Quemadmodum igitur ex taciturnitate fidelium diſcipulorum D. Auguſtini, nec etiam aduerſarij inferunt hæreſim prædeſtinatianam non fuiſſe calumnioſè attributam fidelibus D. Auguſtini diſcipulis, ita nec ex eorundem taciturnitate poſſunt aduerſarij inferre, quod verè non extiterit hæreſis prædeſtinatiana.

Reſpõdetur nunc ad obiectionem Catholicos Doctores quinti Sæculi non feciſſe mentionem de hac hæreſi, nec eam impugnaſſe ſub expreſſo nomine hæreſis prædeſtinatianæ, impugnaſſe tamen validiſſimè errores, quos illa continebat, vt clarè patebit in ſequenti §.

Paragraphus Secundus.

Recenſentur Prædeſtinatianorum errores.

PRædeſtinatianorum errorès non omninò vniformiter enumerãtur à Fauſto Reienſi, & à Gennadio

Maſ-

Maſſilienſi. Ideoque prout ab vtroque recenſentur non pigebit referre.

Fauſtus Reienſis in epiſtola ad Lucidum Presbyterum, quæ habetur apud Labbe *tom.5.Concil.pag.*1042. illos hoc ordine recenſet. Primus eſt. Humanæ obedientiæ labor Diuinæ Gratiæ non eſt adiungendus. Secundus. Poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis remanſit extinctum. Tertius. Chriſtus Dominus mortem non pro omnium ſalute ſuſcepit. Quartus. Præſcientia Dei hominem violenter compellit ad mortem, cum Dei voluntate pereant, qui pereunt. Quintus. Poſt acceptum legitimè Baptiſmum in Adam moritur quicumque deliquerit. Sextus. Alij ſunt deputati ad mortem, alij ad vitam prædeſtinati. Septimus. Ab Adam vſque ad Chriſtum nulli ex gentibus per primam Dei gratiam fuerunt ſaluati, eo quod liberum arbitrium in primo Parente perdiderunt.

Gennadius Maſſilienſis loco ſuprà allegato, errores Prædeſtinatianorum refert hoc tenore verborum. Primus. Deus non omnes homines ad hoc creauit, vt omnes ſaluentur, ſed vt multitudine hominum ornetur Mundus. Secundus. Etſi generali prædicatione dicat Chriſtus, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, non tamen omnes ea voluntate vocat, vt ſequantur vocationem. Tertius non omnes, qui Deo inſpirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendi in bono opere perſeuerantiam, ſed poſt multos labores, & iuſtitiæ fructus, ſi non ſint de ſaluandorum numero, ſubtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono. Quartus. Illi, qui prædeſtinati ſunt ad vitã æternam, etiamſi in perfidia, vel in omni genere peccati longo tempore voluntentur, accepturi ſunt occaſionem, qua & credant in Deum, & ſecundum Dei præceptum viuant, vt poſſideãt ſocietatem iuſtorum. Quintus. Quod Deus perſonas hominum accipiat. Sextus. Quod alios etiam inuitos poſt multa mala opera attrahat ad ſalutem. Alios poſt bona opera reijciat, & compellat in malum, quo pereant in æternum.

Nunc igitur oſtendamus præfatos errores confutatos fuiſſe à Catholicis Doctoribus quinti Sæculi.

Primus enim ex relatis à Fauſto confutatus fuit à Sancto Auguſtino *lib. de dono perſeuerantiæ cap.* 14. *&* 15. vbi clarè oſtendit Diuinæ prædeſtinationi noſtrum laborem eſſe iungendum. Reliquos à Fauſto relatos confutauit S. Proſper, nempè ſecundum in libro Reſponſionum ad Capitula obiectionum Gallorum *cap.*6. Tertium errorem libro Reſponſionum ad Capitula obiectionum Vincentianarum *cap.* 1. Quartum errorem in Reſpõſione ad Capitula Gallorum *cap.*1.*&* 9 Quintum errorem ibidem *cap.* 2. Sextum errorem confutauit ibidem *cap.* 13. Septimus coincidit cum ſecundo.

Idemque conſtat de Prædeſtinatianorum erroribus, prout referuntur à Gennadio. Nam primus refellitur à Diuo Proſpero in Reſponſione ad Capitula Gallorum *cap.*13. Secundus ibidem *cap.*5. Tertius ibidem *cap.* 12. & in Reſponſione ad obie-

ctiones Vincentianas *cap.* 10. Quartus reijcitur ab Auguſtino *lib. de dono perſeuerantiæ cap.* 15. Quintus ab eodem Auguſtino in epiſtola ad Sixtum, & à Proſpero in Reſponſione ad Capitula Gallorum *cap.* 4. Sextus denique refutatur à D. Proſpero in Reſponſione ad obiectiones Vincentianas *cap.* 14.

Dices, hinc argumentum aduerſariorum reſumere vires. Siquidem patet per prædicta, quod errores Prædeſtinatianorum attribuebantur fidelibus D. Auguſtini diſcipulis: Id enim continebant obiectiones Gallorum, & Vincentianæ, quibus coactus fuit D. Proſper occurrere ad repellendam calumniam. Indeque ſequitur, quod non extiterint alij, qui dictis erroribus aſſenſum poſitiuè præbuerint, & ſubindè hæreſis Prædeſtinatiana remanet in ſtatu ideali.

Reſpondetur, hæc duo ſimul optimè cohærere, nempè quod Semipelagiani arguendo contra ſententiam Diui Auguſtini in materia prædeſtinationis, & gratiæ, ex illa inferrent Prædeſtinatianorum errores, à quibus Auguſtinianæ ſententiæ fideles Sectarores abhorrentes, illationem penitùs negarent. Et tamen quod eſſent alij, qui ex praua intelligentia ſententiæ D. Auguſtini illationi Semipelagianorum ſuccumberēt, ideoque aſſenſum poſitiuè præberent illatis erroribus, vt & modo contingit in Lutheranis, & Caluiniſtis. Nunc igitur recentiores Aduerſarij non probant, ſed ſupponunt illos poſteriores non extitiſſe in rerum natura; ſed id probare deberent, ad conuincendum, quod hæreſis prædeſtinatiana fuerit ſolùm per calumniam attributa fidelibus D. Auguſtini diſcipulis. Sed ipſi aliter procedunt, nam probant, quod hæreſis Prædeſtinatiana fuerit attributa per calumniam Sectatoribus D. Auguſtini; & ex hoc inferunt, quod non fuerint alij, qui poſitiuè Prædeſtinatianorum erroribus adhæſerint. Cuius illationis prauitas exindè conſtat: quia ſimili proceſſu probaretur, nec eſſe nunc, qui Prædeſtinatianorum erroribus poſitiuè adhæreāt, quod patet eſſe falſum in Lutheranis, & Caluiniſtis. Itaque pro maiori claritate dicendum, quod errores Prædeſtinatianorum fuerunt à Semipelagianis attributi fidelibus Sectatoribus D. Auguſtini arguitiuè, non poſitiuè, quia illos reijciebāt, & confutabant. Alijs verò imperitis poſitiuè attributi fuerunt, quia illos aſſerebant, & propugnabant: et iſti dicti ſunt Hæretici Prædeſtinatiani per allegatos Scriptores quinti Sæculi, quibus ſtandum eſt, dum nulla poſitiua probatio ex alijs Scriptoribus quinti Sæculi ab aduerſarijs producitur in contrarium.

Paragraphus Tertius.

Inueſtigatur quinam fuerint Hæretici Prædeſtinatiani Quinti Sæculi.

AD maiorem dictorum euidentiam, operæ pretium eſt, inueſtigare quinam fuerint indiuidualiter iſti hæretici prædeſtinatiani. Si enim inueniantur aliqui ſpecialiter ita nuncupati, vel quibus Prædeſtina-

natianorum errores ſingulariter attributi fuerint, tolletur omne dubium de exiſtentia hæreſis Prædeſtinatianæ.

Nonnullos Monachos Adrumentinos hæreſim prædeſtinatianam primitus excitaſſe, affirmat P. Sirmondus *cap.* 1. *lib.* 1. *de hiſtoria eiuſdem hæreſis*, & Magiſter Ioannes à S. Thoma *loco ſuperius allegato*. Nec omninò improbabiliter: cum Auguſtinus teſtetur in *epiſt.* 46. ad Valentinum Adrumentini Monaſterij Abbatem, ſibi fuiſſe relatum, Monaſterium illud nonnulla diſſenſione turbatum: eo quod Monachi ſic Gratiam prædicarent, vt negarent hominis eſſe liberum arbitrium. Quod quidem erat potiſſimum Caput Hæreſis Prædeſtinatianæ.

Probabilius tamen eſt, hanc hæreſim in præfato Monaſterio non viguiſſe, quamuis per falſam relationem id fuerit Auguſtino teſtatum, & ita ſentit Norſius *in hiſtoria Pelagiana lib.* 2. *cap.* 15. *§. Sirmondus in libello de hæreſi*. Natalis Alexander *Sæculo* 5. *diſſert.* 5. *concluſ.* 1.

Id autem melius ſuaderi non poteſt, quàm dilucidando ſtatum contentionis inter Adrumentinos Monachos exortæ in diſputatione de Gratia, & libero arbitrio: Aliqui enim ex ipſis pugnabant pro neceſſitate gratiæ victricis. Alij pro libero arbitrio. Pro ſedanda contentione miſſi fuerunt ad Auguſtinum duo Monachi Creſconius, & Felix, qui ex imperitia non benè ipſum informarunt de ſtatu controuerſiæ: narrarunt enim, quod aliqui, inter quos Florus eminebat, ſic defendebant neceſſitatem gratiæ victricis, vt negarent liberum arbitrium. Alij verò ſic liberum arbitrium propugnabant, vt gratiæ victricis neceſſitatem excluderent. Auguſtinus autem comperta referentium imperitia, ipſorum narrationi acquieſcere noluit. Sed rogauit Valentinum Abbatem Monaſterij, vt ad ſe mitteret Florum, ab eo accuratius percepturus, in quo puncto verteretur Monachorum diſſidium. Floro igitur audito, Auguſtinus comperijt Monachorum controuerſiam in eo ſitam eſſe. Quod aliqui defendebãt neceſſitatem Gratiæ victricis ad ſingula pietatis opera. Alij verò exiſtimantes ex admiſſione talis gratiæ liberum arbitrium interire, vt iſtud defenderent, Gratiæ victricis neceſſitatem reijciebant. Ex quo patet, quod nullus in eo Monaſterio libertatem arbitrij poſitiuè negabat; & ſubindè nullus ibi erat Hæreticus Prædeſtinatianus. Sed nonnulli doctrinam Auguſtini auerſantes erant Semipelagiani, vt fatetur P. Norſius loco allegato, aſſerens apud illos (Adrumentinos Monachos) Semipelagianiſmum exortum fuiſſe. Quod & clarè patet, tùm ex Auguſtino *lib.* 2. *retractationum cap.* 66. vt infrà ponderabitur. Tùm ex D. Proſpero epiſtola ad Auguſtinum, vbi Monachos Adrumentinos, pro quorum inſtructione Sanctus Auguſtinus ſcripſit librum de Prædeſtinatione, & gratia, eodem errore, ac Maſſilienſes infectos fuiſſe narrat. Maſſilienſes autem Semipelagianos fuiſſe, fatentur omnes.

In huius hiſtoriæ comprobationem non alium teſtem producemus,

niſi ipſummet Auguſtinum in epiſtola 46. ad Valentinum Adrumentini Monaſterij Abbatem: vbi narrat ſibi fuiſſe relatum à Creſconio, & Felice Monaſterium fuiſſe turbatum, eo quod quidam Monachi ſic Gratiam prædicabant, vt negarent hominis eſſe liberum arbitrium: & in eadem epiſtola rogat Abbatem, vt ad ſe mitteret Florum, accuratius ab eo percepturus ſtatum cõtrouerſiæ, quæ Monaſterium turbabat. Ait enim ibi, *melius facietis, quod multùm rogo, ſi ipſum*, (nempè Florum) *à quo dicunt, ſe fuiſſe turbatos ad me mittere non grauemini, aut enim non intelligit librum meum, aut fortè ipſe non intelligitur*. Et quod illi Monachi ad Auguſtinum miſſi non fideliter ipſi retulerint contentionis caput, habetur ex epiſtola eiuſdem Valentini Abbatis ad Auguſtinum; ſic enim ſcribit. *Serui tui Flori hæc fides eſt Pater, non ſicut fratres illi* (nempé Creſconius, & Felix) *ſunt loquuti; in præſentiarum audierunt ab eo dictum. Non iuxtà merita noſtra dari donum pietatis, ſed per gratiam Redemptoris*. Quod denique Auguſtinus compererit in eo Monaſterio nullum fuiſſe, qui admiſſa Gratiæ victricis neceſſitate, liberum hominis negaret arbitrium: Colligitur ex eadem epiſtola 46. Auguſtini ad Valentinum Abbatem, vbi inquit. *Proindè librum, vel epiſtolam noſtram* (hæc erat epiſtola Auguſtini ad Sixtum Romanæ Eccleſię Presbyterum, in qua mirè defenditur Gratiæ victricis neceſſitas aduerſus quæcumque liberi arbitrij merita præcedentia, ex illa enim Adrumentini Monachi occaſionem turbationis deſumpſerunt) *quam ſecum ad nos ſupradicti attulerunt ſecundum hanc fidem intelligite, vt neque negetis Dei gratiam: neque liberum arbitrium ſic defendatis, vt à Dei gratia ſeparetis, tanquam ſine illa, vel cogitare aliquid, vel agere ſecundum Deum vlla ratione poſſimus, quod omninò non poſſumus*. Sanè, ſi aliqui fuiſſent in eo Monaſterio, qui admittentes Gratiæ victricis neceſſitatem, liberum hominis negaſſent arbitrium, addere debuiſſet Auguſtinus, *Vt neque negetis liberum arbitrium*. Quod cum non addiderit, ſignum eſt, neminem in eo Monaſterio liberum arbitrium negaſſe. Ideoque error, in quo nonnulli Monachi verſabantur, tantùm in eo conſiſtebat, quod Gratiæ præuenientis neceſſitatem ad quodcumque pietatis opus pernegabant, quod nemo ignorat ad Semipelagianiſmum pertinere.

Vlterius id ipſum ſuaderi poteſt ex eodem Auguſtino *lib. 2. retractationum cap. 66.* vbi inquit. *Propter eos, qui cum defenditur Dei Gratia putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, vt negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari, ſcripſi librum, cui titulus eſt, De Gratia, & Libero arbitrio. Ad eos autem ſcripſi Monachos Adrumentinos in quorum Monaſterio de hac re cœperat eſſe contentio*. Ex quibus verbis colligitur, quod error, qui verſabatur in illo Monaſterio in eo conſiſtebat, quod aliqui putantes ex gratia victrice libertatem euerti, ſic libertatem arbitrij defendebant, vt Gratiæ victricis neceſſitatem reijcerent. Quod totum pertinet ad Semipelagianiſmum ab Auguſtino confu-

futatum in præfato libro de Gratia, & libero arbitrio. Procul ergo erat ab illo Monaſterio error Prædeſtinatianorum, qui admittentes Gratiæ victricis neceſſitatem, liberum hominis arbitrium pernegabant. Quamuis aliter ex falſa relatione fuerit Auguſtino ſuppoſitum.

Sed obijcies, Auguſtinus in epiſtola 46. toties allegata non ſolùm dicit ſibi fuiſſe relatum, quod in Monaſterio Adrumentino, aliqui admittentes Gratiæ victricis neceſſitatem, negabant hominis eſſe liberum arbitrium, ſed etiam aſſertiuè dixit, aliquos ibi in hoc errore fuiſſe, quod falſæ relationi non videtur adſcribendum. Igitur in illo Monaſterio error Prædeſtinatianorum de interitu libertatis ex poſitione gratiæ victricis exortus fuit. Verba enim Auguſtini ſic habent, ibi: *Sed quoniam ſunt quidam, qui ſic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari exiſtiment liberum arbitriũ; Hinc aliquid ſcribere ad veſtram charitatem Valentine Frater, & cæteri, qui ſimul Deo ſeruitis compellente mutua charitate curaui.* Ecce S. Auguſtinus aſſertiuè profert aliquos ibi fuiſſe, qui defendentes Dei gratiam, negabant liberum hominis arbitrium, quod vtique pertinet ad errorem Prædeſtinatianorum.

Reſpondetur propter hanc authoritatem ſententiam Patris Sirmondi non eſſe omninò improbabilem, vti diximus in initio. Ex ipſa tamen non conuincitur intentum. Tum quia propoſitio D. Auguſtini eſt diſiunctiua, ad cuius veritatem ſufficit, vt vna pars ſit vera. Tùm etiam, quia ipſa diſiũctio hæſitationem Auguſtini demonſtrat circa errorem, qui verſabatur in Monaſterio, vtique cauſatam ex relatione Creſconij, & Felicis, quam deindè fallacem fuiſse cognouit; ideoque non monuit in illa epiſtola Monachos, qui defendebant Dei gratiam, vt non negarent liberum arbitrium: ſed monuit alios, qui putantes ex gratia victrice liberum arbitrium euerti, ſic defendebãt liberum arbitrium, vt negarent neceſſitatem Gratiæ victricis, vt ſuprà ponderauimus.

Vindicato Monaſterio Adrumentino ab erroribus Prædeſtinatianorum, operoſius requirendum eſt, an alij fuerint in quinto Sæculo expreſsè nominati tanquam Sectatores dictorum errorum.

Equidem reor poſt non modicam diligentiam in peruoluendis antiquorum libris, non alium à me fuiſſe repertum expreſsè nominatum tanquã hæreſeos Prædeſtinatianæ Sectatorem in quinto Sæculo, præterquam Lucidum Presbyterum.

Quod autem Lucidus Presbyter Prædeſtinatianis erroribus adhæſerit eſt adeò manifeſtum, vt nonniſi ingenti impudentia videatur id poſſe negari. Extat enim Concilium Arelatenſe III. In quo damnatis Prædeſtinatianorum erroribus, Fauſto Reienſi demandata fuit à Patribus illius Concilij cura inducendi Lucidum Presbyterum ad illos retractandos. Ideoque Fauſtus in executionem mãdati ſcripſit Lucido Presbytero epiſtolam ſequentis tenoris.

Domino deuinctiſſimo, & mihi ſpeciali

ciali affectu venerando, & ſuſcipiendo Fratri Lucido Presbytero. Fauſtus.

Grandis charitas parum cauti fratris errorem per Dei adiutorium, & gratiam magis velle curare, quam, ſicut Summi Antiſtites meditantur, à bonitate ſuſpendere. Quid poſſum de hoc ſenſu ſicut vis cum vnanimitate tua per litteras loqui, cum te præſens multa, & blanda, & humili allocutione nunquam potuerim ad viam vnitatis attrahere. Loquentes ergò de Gratia Dei, & obedientia hominis id omni modo ſtatuere debeamus, vt neque proni in ſiniſtram, neque importuni in dexteram, regiam magis gradiamur viam. Illud autem venerationem tuam dixiſſe miratus ſum, quòd nullus vnquam ſub religioſa profeſſione contra Catholicam Fidem, vel ſcripſerit, vel prædicauerit, cum plurimi multiplices, & prophanos Authores ſuorum etiam Scriptorum monumentis crediderunt inferendos, qui tamen Chriſtiano nomine gloriabantur. Breuiter ergo dicam quantum cum abſente loqui poſſum, quid ſentire cum Catholica Eccleſia debeat, id eſt.

1. *Vt cum gratia Domini operationem Baptizati famuli ſemper adiungat, & eum, qui prædeſtinationem clauſo labore hominum aſſerit, cum Pelagij dogmate deteſteris.*

2. *Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagij impietates hominem ſine peccato naſci, & per ſolum laborem poſſe ſaluari damnanda præſumptione contenderit, & qui eum ſine gratia Dei liberari poſſe crediderit.*

3. *Item anathema illi, qui hominem cum fideli confeſſione ſolemniter baptizatum, & aſſerentem Catholicam fidem, & poſtmodum per diuerſa oblectamenta prolapſum in Adam, & per originale peccatum periſſe aſſeruerit.*

4. *Item Anathema illi, qui per Dei præſcientiam in mortem deprimi hominem dixerit.*

5. *Item Anathema illi, qui dixerit illum, qui perijt, non accepiſſe, vt ſaluus eſſe poſſit, id eſt de baptizato, vel de illius ætatis pagano, qui credere potuit, & noluit.*

6. *Item Anathema illi, qui dixerit, quod vas contumeliæ non poſſit aſſurgere, vt ſit vas in honorem.*

7. *Item Anathema illi, qui dixerit, quod Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſaluos eſſe velit.*

Poſt pauca ſubdit. *Nos autem per illuminationem Chriſti veraciter, & confidenter aſſerimus, & eum qui perijt per culpam, ſaluum eſſe potuiſſe per gratiam, ſi Gratiæ ipſius famulatui laboris obedientiam non negaſſet; & eum, qui per gratiam ad bonæ conſumationis metas ſeruitio obſequente peruenit, cadere per deſidiam, & perire potuiſſe per culpam. Nos ergo per medium Chriſto Duce gradientes poſt Gratiam, ſine qua nihil ſumus, laborem laborioſæ ſeruitutis aſſerimus: ſed omnimodo arrogantiam, & præſumptionem laboris excludimus, vt totis viribus deſudantes, ne gratia in nobis euacuetur, quidquid de manu Domini ſuſceperimus donum pronunciemus eſſe, non pretium, ſcientes laboris ipſius fructum, officij rem eſſe non meriti, cum Euangeliſta dicentes: Serui inutiles ſumus.*

Denique concludit. *Huius autem Epiſtolæ exemplar mecum retineo in Conuentu Sanctorum Antiſtitum proferendum. Quam ſi ſuſcipiendam putauerit*

uerit Fraternitas tua, aut ſubſcriptam manu propria mox remittat, aut ſequentibus ſcriptis omninò ſe improbaſſe reſpondeat. Quod ſi eam ſubſcriptam (vt dixi) tranſmittere nolueris, apertè adhuc te in errore perſiſtere ipſo ſilentio cōprobabis: ac proindè neceſſitatem mihi facies ad perſonam tuam publicis Conuentibus exponendam. Et ideò ſecundum hæc, quæ à me ſunt directa reſcribe, vtrum ea remotis circuitionibus, aut cognoſcas, aut reſpuas.

Relecta, & ſubſcripta fuit hæc epiſtola non ſolùm à Fauſto, ſed etiam à decem Epiſcopis Concilij Arelatēſis. Qui ſunt. Auxianus, Paulus, Eutropius, Pragmatius, Patiens, Euphronius, Megetius, Claudius, Leucadius, & Iulianus.

Hac epiſtola recepta, Lucidus ſuos errores retractauit, non ſolùm addendo epiſtolæ Fauſti ſuam ſubſcriptionem, ſed etiam reſpondendo per aliam epiſtolam præfatis Epiſcopis directam, hoc tenore verborum.

Dominis Beatiſſimis in Chriſto Reuerendis Patribus Leontio, Euphronio, Frontino, Vincentio, Mamerio, Patienti, Vitiano, Auxanio, Fauſto, Megetio, Paulo, Groſco, Eutropio, Baſilio, Leontio, Claudio, Leucadio, Pragmatio, Marcello, Præceptato, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, Licinio, Vincentio, Theophaſto Epiſcopis. Lucidus.

Correctio veſtra ſalus publica, & ſententia veſtra medicina eſt. Vndè & ego ſummum remedium duco, vt præteritos errores accuſando excuſem, & ſalutifera mea confeſſione diluam.

Proindè iuxtà prædicandi recentia Statuta Concilij, damno vobiſcum ſenſum illum, qui dicit:

1. *Humanæ obedientiæ laborem Diuinæ Gratiæ non eſſe iungendum.*

2. *Qui dicit, poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.*

3. *Qui dicit, quod Chriſtus, & Saluator noſter mortem, non pro omnium ſalute ſuſcepit.*

4. *Qui dicit, quod præſcientia Dei hominem compellat ad mortem, vel quod cum Dei voluntate pereant, qui pereunt.*

5. *Qui dicit, quod poſt acceptum legitimè Baptiſmum in Adam moriatur, quicumque deliquerit.*

6. *Qui dicit, ab Adam vſque ad Chriſtum nullos ex Gentibus per primam Dei gratiam, id eſt per legem naturæ in aduentu Chriſti fuiſſe ſaluatos, eo quod liberum arbitrium in primo Parente perdiderint.*

7. *Qui dicit, Patriarchas, & Prophetas, vel Summos quoſcumque Sanctos etiam ante Redemptionis tempora intra Paradiſum deguiſſe. Hæc omnia quaſi impia, & ſacrilegijs repleta condemno.*

9. *Iſta autem aſſero Gratiam Dei, vt anniſum hominis, & conatum gratiæ ſemper adiungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam, & infirmatam eſſe pronunciem, & periclitari eum, qui ſaluus eſt, & eum, qui periji, potuiſſe ſaluari.*

10. *Chriſtum etiam Dominum, & Saluatorem noſtrum, quantùm pertinet ad diuitias bonitatis ſuæ, pretium mortis pro omnibus obtuliſſe, & quia nullum perire velit, qui eſt Saluator omnium maximè fidelium, diues in omnibus, qui inuocant illum.*

11. *Aſſero etiam per rationem, & or-*

ordinem ſæculorum, alios lege Gratiæ, alios lege Moyſi, alios lege naturæ, quam Deus in corde hominum ſcripſit, in ſpe aduentus Chriſti fuiſſe ſaluatos: tamen ab initio Mundi ab originali nexu, niſi interceſſione Sacri Sanguinis, non abſolutos.

12. *Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas factis capitalibus præparatas: quia perſeuerantes humanas culpas merito ſequitur Diuina ſententia, quam iuſtè incurrunt, qui hæc in toto corde non crediderint. Orate pro me Domini Sancti, & Apoſtolici Patres.*

Concilium Arelatenſe III. celebratum Anno Domini 475. contra Hæreticos Prædeſtinatianos, vt habetur in titulo eiuſdem Concilij, cum epiſtola Synodica Fauſti ad Lucidum, necnon retractatoria Lucidi ad Patres Concilij, habetur apud Labbe *tom. 5. Concil. à pag.* 1042.

Ex his autem clarè conuincitur, quod hæreſis prædeſtinatiana non ést fabuloſum inuentum, & quod non fuit ſolùm per iniuriam attributa fidelibus D. Auguſtini Sectatoribus, ac ſi veniret in conſequentiam ex vera ſententia Sancti Patris in materia Prædeſtinationis, & Gratiæ. Quia tunc non tantùm Lucido de mandato Concilij intimata fuiſſet retractatio illorum Dogmatum, ſed & omnibus Auguſtini diſcipulis. Imò nullatenus talis retractatio exigeretur. Quia iniuſtum eſſet exigere retractationem aliquorum dogmatum ab iis, qui talia dogmata auerſantur. Si ergò ſignanter à Lucido exigebatur retractatio dogmatum prædeſtinatianorum, & ipſe confeſſus eſt, & non negauit, quod illis erroribus detinebatur, quos, vt effugeret damnationem Concilij, retractauit ad Fauſti admonitionem, pro manifeſto relinquitur, quod in hæreſim Prædeſtinatianorum inciderat. Qua ergò fronte negari poteſt hanc hæreſim in quinto Sæculo éxtitiſſe?

Paragraphus Quartus.

Reijciuntur Aduerſariorum excogitata ad authoritatem Concilij Arelatenſis conuellendam.

MAlè torquentur ex prædictis Aduerſarij, & præſertim Mauguinus *tom. 2. cap.* 7. & ex ipſo Contenſonius vbi ſupra allegatus: & ne cogantur fateri veritatem, dicunt, Concilium Arelatenſe III. nunquam fuiſſe celebratum, ſed eſſe merè ſuppoſititium. Id probare contendunt.

Primò. Quia nullus Catholicus Orthodoxus, nullus poſteriorum ſæculorum Pater, nullus alicuius nominis Theologus, præter ſuſpectiſſimæ fidei Hincmarum, & Fauſtum Semipelagianarum partium caput, Concilij præfati vel tenuiſſimam egere memoriam.

Secundò. Quia nulla extant huius Concilij acta ab Eccleſia recepta, & inter vera Concilia recenſita.

Tertiò. Quia non conuenit inter Aſſertores illius Concilij de tempore, quo fuit celebratum. Nam Hincmarus iuſſu Cœleſtini celebratum narrat anno 432. Fauſtus, & alij ſub Leon-

Leõtio ann.475.Baronius ann.490. Binius anno 524. Habertus ſub Auxonio anno 545. Quæ teſtium diſcordia recens commentum, inquiunt, non obſcurè demonſtrat.

Deinde admiſſo, quod Arelatis coactus fuerit ille Conuentus Epiſcoporum, attamen dicunt, quod non fuerit verè Concilium, ſed Semipelagianorum Conuenticulum directũ à Fauſto Semipelagianorum Coriphæo. Ideoque mirum non eſt, quod in illo Conuentu conficta Prædeſtinatianorum hæreſis damnata fuerit, ad detrahendum ſententiæ Diui Auguſtini: hac enim arte fingendi pollebat Fauſtus, quem S.Iſidorus *lib.de viris illuſtribus*, *cap.* 14. virum profundæ calliditatis appellat, & Cardinalis Baronius verſipellem vulpeculam.

Denique, quod nulla fides adhibenda ſit epiſtolę Fauſti ad Lucidum pluribus argumentis probare conantur. Primò, quia illa epiſtola tanquam annexa opuſculis Fauſti ad Leontium damnata fuit in Concilio Romano ſub Gelaſio Papa, vt habetur, *cap. Sancta Romana*, *diſt.* 16. Ibi enim ſine diſtinctione damnantur opuſcula Fauſti, conſequenter etiam epiſtola iiſdem opuſculis affixa.

Secundo. Quia etiam ſubſcriptiones Epiſcoporum commentitiè ſunt additæ dictæ epiſtolæ: quandoquidem vt notat Caniſius *tom.*5. Antiquarum Lectionum in vetuſto Codice manuſcripto reperto in Monaſterio Sancti Galli, non decem Patres Orthodoxi, ſed ſolus Fauſtus inuenitur ſubſcriptus, quod etiam in Hincmari Codice notauit Pater Sirmondus.

Tertiò. Quia illa epiſtola, etiamſi fuiſſet ſubſcripta ab illis Epiſcopis, attamen ſuſpecta redditur ex deficiẽtia ſubſcriptionis Leontij, qui vtpotè Arelatenſis Archiepiſcopus Concilio præſidere debuiſſet; ideoque primo loco debuiſſet ſubſcribere, quod in nullo Codice factum deprehẽditur.

Quarto. Quia etiamſi ſubſcriptiones Epiſcoporum ſuſtinerentur: quia tamen non fuerunt factæ in ipſo Concilio, ſed in alio priuato congreſſu eorumdem Epiſcoporum pro dedicanda Baſilica, nullum robur accipiunt ab eodem Concilio; ideoque epiſtola Fauſti Synodica reputanda non eſt.

Quinto. Quia qualitercumque admiſſa celebratione præfati Concilij, cum Prouinciale Concilium fuerit, nulla gaudet infallibilitate. Imo ad ipſum non pertinebat definitio controuerſiarum Fidei. Harum enim cauſarum reſolutio, vtpote de numero maiorum ad Apoſtolicam Sedem referenda eſt, ex *cap. Maiores*, *de Baptiſmo*, *& eius effectu*.

Sextò tandem. Quia tam in epiſtola Fauſti ad Lucidum, quàm in retractatoria Lucidi ad Patres Concilij notantur errores Catholicæ doctrinæ diſſoni, de quibus in ſequenti §.

Verum huiuſmodi nebulæ facilè diſsipantur, ſplendore veritatis clarius affulgente.

Quamobrem ad ea, quæ afferuntur ad probandam ſuppoſititiam eſſe Concilij Arelatenſis III. celebrationem. Reſpondetur ad primum cum Cellotio *libro* 11. *cap.* 15. *Hiſtoriæ Gotteſcalchi*, dicendo illud eſſe argumentum negatiuum, quod nihil

concludit. Addere libet cum Natali Alexandro vbi ſupra, certum eſſe Leontium Arelatenſem Gallicanas Synodos quotannis celebraſſe ex Hilarij Pontificis mandato, quod habetur in epiſtola Hilarij ad Epiſcopos Prouinciarum Viennenſis, Lugdunenſis, vtriuſque Narbonenſis, & Alpium Penninarum. Ibi. *Per annum itaque ſingulos ex Prouincijs, quibus potuerit congregari, habeatur Epiſcopale Concilium, ita vt opportunis locis, atque temporibus ſecundum diſpoſitionem Fratris, & Coepiſcopi noſtri Leontij, cui ſollicitudinem in congregandis Fratribus delegauimus, Metropolitanas per litteras eius admonitis celebretur.* Et tamen de Concilijs quotannis celebratis inſtante Leontio Arelatenſi Archiepiſcopo non habetur memoria, præterquam de iſto Arelatenſi, & ſequenti Lugdunenſi: non ergo mirum quod ſuccedentiū ſæculorum Patres non meminerint illius Concilij, quia nempe in ſcrinijs delitescebat obliuioni traditum. In poſterioribus verò ſæculis, rei veritate comperta, Concilium illud celebratum fuiſſe, teſtatur Baronius *to. 6.* ad annum 490. Sirmondus *in Concilijs Gallicanis*, Binius, *tom. 2. Conc. par. 1.* Labbe *tom. 5. pag.* 1041. Quibus proculdubio maior fides debetur, quam Mauguino, qui nullo probationis ſubſidio fultus inuerecundè negat, quidquid ſibi non arridet. Additur etiam ex Norisio *lib. 2. Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 15. verſus finem*: neminem ſibi perſuadere poſſe tantos dolos de Fauſto, qui coram vniuerſis Galliarum Epiſcopis tantorum mendaciorum architectum ſe ſiſtere non extimuerit. Quo animo Leontio Metropolitæ doctiſſimo Sedis Apoſtolicæ Delegato pro congregandis Gallicanis Synodis imponere auſus fuerit Arelatenſis Synodi celebrationem, quaſi de remotiſſimis Aſiæ rebus perſcriberet, non verò de ijs, quæ in nobiliſſima Vrbe nudiuſtertius geſta fuerant? Poſt hæc argumentū retorqueo, & quidem inſolubiliter in Authorem. Fatetur Mauguinus Fauſtum epiſtolam ad Lucidum cōſcripſiſſe de mandato confictо Concilij, eamque epiſtolam publici Iuris factam fuiſſe non negabit: aliàs enim Fauſtus fruſtra pro intento deterrendi fideles à ſequela Diui Auguſtini, quod ipſi affingit, elaboraſſet. Det igitur Catholicum aliquem orthodoxum illius ſæculi, det Patrem, det Theologum, qui Fauſti calliditatem & confictionem in illa epiſtola denudauerit. Et quod maius eſt, det Epiſcopum, qui de falſificatione ſuæ ſubſcriptionis à Fauſto epiſtolæ appoſitæ conqueſtus fuerit. Profectò neminem iſtorum dabit; & inde tamen non inferet epiſtolam Fauſti non fuiſſe conſcriptam de mandato conficto Concilij. Pariter ergo negare non poterit ſine rubore frontis celebratū fuiſſe reuera Concilium illud Arelatenſe, quamuis nullus alius illius, aut poſterioris ſæculi Pater de eo mentionem fecerit, præter Fauſtum. Eo præſertim, quod omnium præfatorum taciturnitas circa Fauſti epiſtolam, pro conſenſu de celebratione Concilij haberi poteſt: nam qui tacet, quando loqui deberet, proculdubio conſentire videtur.

Ad ſecundum reſpondetur, quod plu-

plurium Conciliorum acta deſiderantur: quia vel fuerunt deperdita, vel adhuc latent in ſcrinijs; & tamen nemo negat Concilia fuiſſe celebrata, dum id conſtat per alia monumenta, ſicuti de celebratione Arelaten. Cócilij cóſtat ex epiſtola Fauſti ad Lucidũ, & ad Leontiũ, quæ habetur in præfationi opuſculorum Fauſti, quod ita incipit. *Quod pro ſollicitudine Paſtorali Beate Papa Leonti in condemnando Prædeſtinationis errore Cõcilio Summorum Antiſtitum congregaſtis, vniuerſæ Galliarum Eccleſiæ præſtitiſtis, &c.* Habetur hæc præfatio apud Labbè vbi ſupra. Neque pro eleuanda authoritate competente Concilijs Prouincialibus ſatis eſt, quod non fuerint approbata per Sedem Apoſtolicam: ad eam enim eleuandam exigeretur, quod à Sede Apoſtolica eſſent reprobata, vt de innumeris Concilijs Prouincialibus conſtat. Cum igitur Concilium Arelatenſe, etſi Prouinciale à Sede Apoſtolica reprobatum non fuerit, remanet in ſuo robore.

Ad tertium reſpondetur. Quod Chronologiam concordare circa plura facta præſertim antiqua, eſt res difficillima: & quod Authores in ea ſupputanda non omnino conueniant circa aliquod factum, nullatenus conuincit illud non eueniſſe. Diſcordant enim graues Authores etiam circa annum, quo Chriſtus paſſus eſt. Quo non obſtante nec etiam Ethnici negabunt Chriſtum paſſum fuiſſe: quãuis ergo diſcrepent Authores in anno præciſo, quo celebratum fuit Concilium Arelatenſe, perperam indè infertur Concilium illud eſſe ſuppoſititium.

Ad ſecundum caput, quo Concilium Arelatenſe proſcribitur tanquã Semipelagianorum Conuenticulum. Reſpondetur cum Noriſio vbi ſupra, quod ſine teſtibus hæc iniuria doctiſſimis & ſapientiſsimis Patribus inuritur, quos ferme omnes magnæ famæ Antiſtites fuiſſe teſtatur Baronius ad annum 490. *pag.* 447. Ideoque non ſine temeritate crederetur, quod paſſi fuerint ſe cuiuſcumque fraudibus circumueniri. Profectò nullus cordati ſenſus ſufferre poterit, quod Leontius Archiepiſcopus Arelatenſis, & Sedis Apoſtolicæ Delegatus pro congregandis Gallicanis Concilijs vti Semipelagianus, vel Semipelagiani Concilij promotor petulanti criminatione traducatur.

Nec obſtat quod Fauſtus dictus fuerit profundæ calliditatis vir, verſipellis vulpecula. Hæc enim attributa non adaptantur, niſi ei, qui dum malè agit odit lucem, hoc eſt, qui ſuos dolos, & fraudes abſcondere ſtudiosè laborat. Nunc autem Fauſtus ſi vera eſſent, quæ ipſi Mauguinus imponit, tantùm abeſt, quod appellãdus eſſet callida vulpecula, quin potius ſtolidi iumenti appellationem meruiſſet. Quando quidẽ ſua crimina nulla tergiuerſatione excuſanda toti Mundo propalaſſet, ob quæ tamquã mendax & falſarius debita pœna puniri debuiſſet. Quamobrem vt epiſtolis Fauſti, & ſubinde atteſtationi de celebratione Concilij Arelatenſis omnimoda fides concilietur, non eſt neceſſè, vt Fauſti virtutes (quidquid ſit de doctrina in eius opuſculis contenta) attollantur ad ſydera, ſatis enim eſt ad intentum, quod habe-

 retur,

retur, vt callida vulpecula, cum quo nullatenus cohæret, quod ſua crimina impudenter prodiderit.

Hic tamen omittendum non eſt, quod Fauſti mores (quidquid ſit de præfatorum opuſculorum doctrina) ita commendabiles fuerunt apud antiquitatem, vt Sanctus habitus fuerit. Et quidem Baronius ad annum 490. *tom. 6.* exiſtimauit Fauſtum imprudenter Sanctum inſcribi. Sed in Appendice ad *tom.* 10. ſe retractat per hæc verba. *At verò ex poſtea cognitis & adductis, rurſus ad iudicium ipſum reuocandum, haud exiſtimamus indignum, cum tamen de eius ſcriptis immotæ maneant ſententiæ Patrum. Quod enim vſque ad hæc tempora noſtra eumdem Fauſtum continuit inter Sanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipſum Molanus primum expunxit: quod etiam, vt accepimus Eccleſia Regienſis in Gallia, vbi ipſe ſedit Antiſtes ſemper eum vt Sanctum coluerit, celebrans eius natalem decimaſeptima Ianuarij, ibique in eius memoriam antiquitus erecta Baſilica eius nominis titulo inſignita, hactenus eius cultu a fidelibus frequentetur. Quodque tot ſæculis Chriſtiano Orbe ſpectante, Eccleſia Romana tacente, nemine penitus (quod ſciatur) contradicente iſta eidem Fauſto exhibita intelligantur: opinari non prohibemur de eodem Fauſto accidere potuiſſe (quod de multis viris Sanctis aſſeritur) quod delinquens errauerit, cum quæſtio illa fuerit authoritate Sedis Apoſtolicæ definita, & eius opinio aliorum Patrum ſententia condemnata, ipſe ſuum errorem fuerit ſcriptis contrarijs deteſtatus, quæ potuerint, vt alia quamplurima periſſe, vel ipſum ante ſuorum ſcriptorum factam ab Eccleſia damnationem diem obijſſe (incertus eſt enim eius obitus annus) habentem in animo in his ſequi, quod ſequendum doceret Eccleſia. Ita quidem ipſum compoſitum animo fuiſſe, alijſque innotuiſſe, inde facilè poteſt intelligi, quod ſemper, (vt indicant acta Conciliorum Arelatenſis, & Lugdunenſis ſuperius recitata) communicationem habuit cũ ſanctiſsimis orthodoxis Galliarum Epiſcopis. Maneant igitur Fauſto integra iura ſua, nec ex noſtris ſcriptis ſentiat præiudicium: neque priuato iudicio nouitati liceat conuellere antiquitatem.* Ideo Bollandus titulo Sancti ipſum inſigniuit *tom.* 2. ad diem 16. Ianuarij, agens ibi de S. Fauſto Epiſcopo Reienſi, ſequutus authoritatem Claudij Roberti in Gallia Chriſtiana, Suaſanij in ſupplemento Martyrologij Gallicani, Petri de Natalibus *lib.* 2. *cap.* 91. Vincentij Barralis Salerini in Chronologia Herinenſi, & aliorum. Quamobrem, qui Fauſti mores ita ſugillant, vt ipſum tanquam mendacem, falſarium, atque calumniatorem inſimulent, potius increpandi videntur, quàm audiendi.

Poſtremo capite, quo epiſtola Fauſti pluribus titulis dilaceratur, minus nihilo concluditur.

Primum enim, quod ibi affertur contra talem epiſtolam, nempe quod damnata fuerit in Synodo Romana, ſine vlla hæſitatione negatur. Opuſcula enim Fauſti damnata fuerunt, vtpotè, quia in eis Semipelagianos errores inſeruit, arrepta occaſione ex mandato, quod habuit à Leontio impugnandi latiùs errores Prædeſtinatiano-

tianorum, cuius mandati fines exceſſit. Quæ quidem opuſcula nullatenus ſubſcripta fuerunt à Patribus Concilij: quia fuerunt compoſita à Fauſto non modico tẽpore poſt Concilij diſſolutionem; ſicuti & magnitudo voluminis exigebat. Sola igitur epiſtola ſubſcripta fuit à Patribus Concilij, & ſolitariè ſumpta nullatenus damnata, cum nihil erroris contineat: & ideò eam tanquam Catholicam laudauit etiam Pater Ioannes Maria Braſichellenſis Magiſter Sacri Palatij in Indice expurgatorio Romano *in tom.4. Biblioth. Patrum*, & Eminentiſſimus Baronius hanc epiſtolam reiectis opuſculis ſuo operi attexuit ad annum 490. *tom.6.pag.*mihi 446. *vt de reliquis Fauſti ſcriptis* (inquit) *pretioſum a vili ſecernas*. Quod ergo pretioſum cenſetur à Baronio, damnatum reputabimus à Gelaſio? Non tamen negamus Fauſtum callidè ſe geſſiſſe in eo, quod ſuam epiſtolam Patrum ſubſcriptione munitam ſuis opuſculis affixit, vt aliquam authoritatem eiſdem conciliaret: ſed ex hoc non ſequitur, quod epiſtola longè ante conſcripta, & ſubſcripta ab Epiſcopis, nondum diſſoluto Arelatenſi Concilio, ſit pars eorumdem Conciliorum: quia & cuilibet ea legenti conſtare poteſt, quod nullam habeat relationẽ ad opuſcula, nec ipſa de ſe ſit opuſculum, & propterea, dum damnantur opuſcula, indemnis epiſtola remanet.

Ad ſecundum reſpondetur. Codicem epiſtolæ Fauſti repertum à Caniſio in Monaſterio S. Galli non eſſe regulam cæterorum; ſi in illo non reperiuntur ſubſcriptiones Patrum Concilij, reperiuntur in alijs, vt teſtatur idem Caniſius, & leguntur apud Labbe vbi ſupra, & apud Baronium loco mox relato. Addimus cum Noriſio, potuiſſe contingere, quod Fauſtus epiſtolam à ſe ſolo ſubſcriptam miſerit ad Lucidum, & ex tũc exemplaria tranſumpta fuerunt, ex quibus Codex allegatus à Caniſio proceſſerit. Poſtea verò, habita Lucidi retractatione, vt ipſius celebrior euaderet emendatio, curauit, vt in illorum Patrum conuentu vnà cum illis memoratæ epiſtolæ ſubſcriberet in alio folio vtique exaratæ, in quo Fauſtus ſecundo loco apparet ſubſcriptus, & ex huius exemplari tranſumpti ſunt Codices, qui communiter habentur.

Ad tertium reſpondetur. Quod epiſtola non eſt Concilium, ſed ſolùm quædam Concilij appendix. Ideoque ad illius authoritatem roborandam, non erat neceſsè quod omnes ſubſcriberent. Subſcripſerunt forte, qui ſimul aderant, alijs prætermiſſis tanquam non neceſſarijs. Ad conteſtandam enim Lucidi retractationem ſufficiebat aliquorum Epiſcoporum præſentia, & non requirebatur ſubſcriptio. Addimus, quod Leontius Concilij Præſes, erat veluti Iudex, cui conteſtanda erat ſincera Lucidi retractatio, quæ primò innotuit per illam epiſtolã quatenus ab ipſo Lucido ſubſcripta fuit. Ad Iudicem autem retractationis chyrographum ſubſcribere minimè ſpectat.

Ad quartum reſpondetur. Quod, vt ſubſcriptiones decem Epiſcoporũ habeant vigorem atteſtandi veritatem,

tem, non eſt neceſsè, quod roborentur à Concilio. Siquidem etiam extra Concilium in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum. Nihil ergo intereſt pro authentica comprobatione contentorum in epiſtola Fauſti, quod illa fuerit ſubſcripta in Aula Concilij, vel alibi poſt Concilium. Siquidem, vt ſibi vendicet fidem, ſatis eſt, quod decem Epiſcopi illi ſubſcripſerint, quocumque tempore, vel quocumque loco id contigerit. Et nihilominus negari nequit illam epiſtolam eſſe Synodicam, nam de mandato Concilii ſcripta fuit, & vti mandato conformis recognita fuit à Patribus ipſiuſmet Concilii.

Ad quintum reſpondetur, eâ ratione tantùm probari, quod non ſit infallibile infallibilitate Fidei, quod hæreſis Prædeſtinatiana extiterit. Cæterum ſi in aliquo legitimo Concilio Prouinciali damnentur aliqui errores quis negare poteſt, eſſe moraliter certum illos errores apud aliquos viguiſſe? Id ſolùm deduci contendimus ex celebratione Concilii Arelatenſis, & nihil aliud. Ideoque non facit ad rem, de qua agimus, quod definitiones Conciliorum Prouincialium infallibilitate non gaudeant, quod libenter fatemur.

Ad illud, quod additur de maioribus cauſis non reſoluendis in Conciliis Prouincialibus, ſed referendis ad Sedem Apoſtolicam. Reſpondetur cũ Cardinali Bellarmino, *tom.2.lib.2. cap.10.* quod omnis regula ſuas patitur exceptiones. Nunc igitur quod Concilia Prouincialia, iudicare non poſſint de rebus Fidei, poteſt dupliciter intelligi. Primò de rebus Fidei ſecundùm ſe, & in abſtracto, vt cum quæritur. An hoc, vel illud dicere ſit hæreticũ. Altero modo in cõcreto, ſeu in ordine ad aliquẽ hominem de hæreſi accuſatũ, ſeu denũciatum, vt cum quæritur. An hic homo inciderit in hæreſim ab Eccleſia damnatã. Quamuis ergò Concilia Prouincialia non poſſint iudicare de rebus Fidei primo modo, quia dogmata Fidei conſtituere pertinet ad Sedem Apoſtolicam; Tamen bene poſſunt iudicare, an aliquis inciderit in hæreſim manifeſtam, quemadmodum ad hunc finem collectum fuit Concilium Aquileienſe tempore Ambroſij, vbi definitum fuit Palladium quemdam verum eſſe Arij diſcipulum, & ita etiam Conciliu m Arelatenſe potuit definire, quod Lucidus eſſet Hæreticus Prædeſtinatianus.

Prætereà poſſunt etiam Concilia Prouincialia cenſere de rebus fidei ſecundum ſe, quando res eſt facilis, & in qua ferè omnes Doctores conueniunt, quomodò Concilium Antiochenum olim iudicauit de hæreſi Pauli Samoſetani apud Euſebium *lib. 7. Hiſtoriæ cap. 24.* conuenerunt enim vndique Epiſcopi non tãquam ad rem dubiam, ſed tanquam ad manifeſtum lupum de ouili Chriſti eijciendum. Et ita etiam Concilium Arelatenſe iudicauit de hæreſi prædeſtinatiana, non tanquam de re dubia, & obſcura, ſed tanquam de certa, & ſatis peruia, ſicuti valdè modica diſcuſſione opus eſt, vt dignoſcatur eſſe contra fidem, hanc propoſitionem, videlicet. *In homine poſt peccatum liberũ arbitrium remanſit extinctum, &c.*

Vlterius additur. Poſſe etiam Con-

Concilia Prouincialia definire dogmata verè dubia, & eorum decreta eſſe firma, ſi id faciant ex commiſſione Apoſtolica, vt fecerunt Patres Concilij Arauxicani II. Toletani I. tempore Leonis I. & Synodi Complutenſis tempore Sixti IV. &c. Vel ſaltem ſi deciſionem ſuam mittant ad Romanum Pontificem, & ab eo confirmationem accipiant, quo modo conſtat factum eſſe in Concilijs Mileuitano, & Chartaginenſi ex Auguſtino *epiſt.* 90. 91. 92. *&* 93. Imò vt addit idem Bellarminus credibile eſt nullum Concilium Prouinciale definijſſe aliquid de fide ſine approbatione Apoſtolicæ Sedis, & propterea credibile eſt, quod & definitiones Concilij Arelatenſis fuerint approbatæ ab Apoſtolica Sede.

Quod autem Concilia Prouincialia non expreſsè confirmata faciant argumentum adeò probabile, vt temerarium ſit ei non acquieſcere, planum eſt: Primò, quia in ſeptima Synodo *act.* 3. & in octaua Synodo *act. vltima Can.* 1. honorantur Synodi locales, & ſuſcipiuntur, nec fit mentio ibi confirmatorum, vel non confirmatorum. Secundò. Quia ſi aliquot Sancti Patres caſu in eamdem ſententiam conuenientes faciunt argumentum probabile, quantò magis triginta, vel quadraginta Epiſcopi ſimul conuenientes, & inuocato Spiritu ſancto aliquid communi conſenſu ſtatuunt ſub correctione tamen, & iudicio ſupremo, & infallibili Sedis Apoſtolicæ, ad quam ſolam Diuino immutabili priuilegio ſpectat de controuerſijs fidei iudicare. Videatur Cano de locis *lib.* 5. *cap.* 4. *concluſ.* 6. vbi id confirmat ex Innocent. *cap. de quibus diſt.* 20. & etiam confirmari poteſt, ex *cap. Ad abolendam extra de hereticis.*

Ad vltimum, quo epiſtolæ Fauſti ad Lucidum, & Lucidi ad Patres Cōcilij de erroribus infamantur reſpondebitur *in* §. *ſequenti.* Hic autem addendum eſt Concilium Lugdunenſe celebratum eodem anno, quo celebratum eſt Concilium Arelatenſe, anno ſcilicet 475. in quo idem iudicium latum eſt de Prædeſtinatianorum erroribus, vt refert P. Labbe *tom.* 5. *Concilior. pag.* 1045. Pro iſtorum autem maiori intelligentia, ſint duæ incidentes digreſſiones.

Prima Digreſſio incidens.

De Propoſitione illa.

Ad ſolam Sedem Apoſtolicam Diuino immutabili priuilegio ſpectat de controuerſijs Fidei iudicare.

Diximus ad ſolam Sedem Apoſtolicam diuino immutabili priuilegio ſpectare de controuerſijs Fidei iudicare. Id autem qua ratione verum ſit, explicandum eſt.

Igitur pro intelligentia obſeruandum, quod nomine Sedis Apoſtolicæ intelligendus eſt Papa, & quidem Papa, vel ſolitariè ſumptus in ſua Romana Curia præcluſo Concilio, quod vel ſuâ præſentia fouet, vel per Legatos à ſe inſtructos dirigit, vel

tan-

tandem ſua approbatione confirmat; Tunc enim Conſtitutiones Concilij poſſunt denominari à Papa, & illius nomine promulgari. Fagnanus *ad cap. Antigonus. de pactis à num.* 35. Non autem per Sedem Apoſtolicam poteſt intelligi Concilium etiam legitimè congregatum præciſa Papæ præſentia, directione, inſtructione, & confirmatione. Qua ratione ſanctiones tunc à Concilio conſtitutas non debere promulgari nomine Papæ, quia non intelliguntur ab ipſo originatæ, benè dixit Abbas ad idem *cap. Antigonus. notab. vlt. & ad cap. 1. de Sponſal. num.* 5.

Præterea obſeruandum, quod iudicium de controuerſijs fidei poteſt dupliciter haberi. Primò, ita quod iudicium ſit omninò infallibile, cui falſum ſubeſſe non poſſit, ideoque non ſit irreformabile. Secundò, ita quod iudicium fallibile ſit, falſitatique ſubiectum, & propterea reformari queat, & reuocari.

His præmiſſis de præfata propoſitione: *Ad ſolam Sedem Apoſtolicam Diuino immutabili priuilegio ſpectat de controuerſiis fidei iudicare*, in aliquo ſenſu falsã eſſe reor, & cenſuræ graui ſubijciendam: in alio verò ſenſu propoſitionem illam veriſſimam eſſe, & Catholicam, ab omi cenſura prorſus immunem.

Prima pars huius aſſerti explicatur, & ſimul probatur. Nam poteſt illa propoſitio facere hunc ſenſum. Ad ſolam Sedem Apoſtolicam, hoc eſt, ad ſolum Papam ſolitariè ſumptũ, & nullo modo ad Papam cumulatiuè cum Concilio, vel ad totum Concilium perfectum, & integrum, vtpotè conſtantem ex capite, & membris pertinet de iure Diuino iudicare de controuerſijs Fidei. In hoc ſenſu dicta propoſitio nedum eſt *falſa*, ſed etiam inſipiens, imò temeraria, & hæretica. Tunc enim inferretur, quod Papa ſolùm ſolitariè ſumptus, hoc eſt ſine Concilio, non poſſet errare, adiuncto verò Concilio poſſet errare, quo nihil abſurdius. Nullum tamen Authorem in hanc dementiã incidiſſe puto, vt in dicto ſenſu propoſitionem illam protulerit.

Deindè poteſt dicta propoſitio habere alium ſenſum, nempè iſtum, Ad ſolam Sedem Apoſtolicam, hoc eſt, ad ſolum Papam, ſiuè ſolitariè ſumptum, ſiuè cumulatiuè cum Cõcilio modis ſuprà explicatis de iure Diuino ſpectat, iudicare de controuerſijs Fidei, ſubintelligendo pro exceptiuæ expoſitione, & verificatione, hanc vniuerſalem negatiuam, videlicet. Nullo modo id pertinet ad Concilium generale legitimè congregatum, deſtitutum tamen præſentia, & inſtructione Papæ, & antecedenter ad illius approbationem, & multò minus ad Concilia Prouincialia, & Diœceſana ſub præſidentia Metropolitani, vel Epiſcopi. Et profectò dicta propoſitio, quatenus implicat illam vniuersalem negatiuam eſt abſolutè falſa, & graui cenſura digna; falſum quippè eſt, & à nemine Theologorum admiſſum, quod iudicare de controuerſiis Fidei, non pertineat aliquo modo ad Concilia generalia legitimè congregata, etiamſi deſtituta præſentia, & inſtructione Papæ: ſecùs huiuſmodi Cõcilia ſæpè ſæpiùs prædicto modo celebrata proprios

limi-

limites exceſſiſſent, formando decreta definitiua in materia Fidei, vti præſertim factum fuit in Concilio Tridentino, vbi licet præſiderent Legati Papæ, non tamen fuerunt ab ipſo antecedenter inſtructi, vt obſeruat Cardinalis Bellarminus *de Concil. authorit. lib.* 2. *cap.* 11. §. *nota duo*, & idem obſeruauerat *Melchior Canus de locis Theol. lib.* 5. *cap.* 5. §. *At contra viri*, cui omninò credendum eſt, cum Cõcilio interfuerit.

Quamuis igitur definitionibus Conciliorum generalium prædicto modo celebratorum ante obtentam approbationem, ſeù confirmationem Apoſtolicam non competat infallibilitas, cui falſum ſubeſſe non poſſit: ideoque in eo ſtatu inter fidei dogmata adſcribendæ non ſint; Attamen negari non poteſt, quod conſentientibus præſertim omnibus Patribus in Concilio adunatis tãta probabilitate gaudeant, vt qui ab illis diſſentirent, temeritatis notam incurrerent. Id enim admittit, & probat Bellarminus etiam de definitionibus emanatis à Concilio Prouinciali *loco cit. cap.* 10. §. *finali*, ſubindè à fortiori id erit concedendum definitionibus emanatis à Concilio generali.

Cæterum Concilijs Prouincialibus, & Diœceſanis non eſt tanta facultas ſine circumſcriptione concedenda obſtante *cap. Maiores de Baptiſmo*, alijſque iuribus, quæ latè congerit Gonzalez Tellez *in* 3. *lib. Decretalium tit.* 42. *cap.* 3. *num.* 1. Ibi enim maiores cauſas, & præſertim articulos Fidei contingentes referendas eſſe ad Petri Sedem decernitur. Et ita controuerſia Fdei, quæ definitur *in dicto cap. Maiores* ad Innocentium III. relata fuit ab Archiepiſcopo Arelatenſi. Nihilominus, quod etiam Concilia Prouincialia, & Diœceſana procedere poſſint ad controuerſias Fidei dirimendas in duobus caſibus docet Bellarminus, *vbi ſuprà cap.* 10. Primus caſus eſt, quando res eſt facilis, & in qua omnes ferè Doctores conueniunt, vt factum fuit in Concilio Antiocheno apud Euſebium *lib.* 7. *Hiſtoriæ cap.* 24. Secundus caſus eſt, quando interuenit ſpecialis commiſſio Sedis Apoſtolicæ, tunc enim certiſſimum eſt, Concilia particularia procedere poſſe, & debere ad decidenda dogmata etiam difficilia, & obſcura, vt fecerunt Patres Concilij Arauxicani II. Toletani I. & Synodi Complutenſis tempore Sixti IV. Tertius caſus addi poſſet, vt ſi facilis recurſus ad Sedem Apoſtolicam haberi non poſſet, & periculum eſſet in mora, vt ſi noua, & expreſſa hæreſis ſuſcitaretur apud Indos, negari enim non poſſe videtur, quod ad impediendã illius dilatationem, quàm citiſſimè refellenda eſſet definitione Conciliorum Prouincialium, ſiuè Diœceſanorum, confirmanda poſtmodum à Sede Apoſtolica, *Argum. ex cap. vbi non eſt, de deſponſatione impuberum.*

Definitio autem in dictis caſibus edita à Concilio Prouinciali, ſiuè Diœceſano, infallibilitate non gaudet: ideòque falſum ei pro eo ſtatu citrà approbationem Sedis Apoſtolicæ, ſubeſſe poteſt; ſicut & multoties in ſimilium Conciliorum definitionibus falſitatis vitium irrepſiſſe compertum eſt. Quapropter per Sanctam

Sedem prouidè ſtatutum eſt, vt acta huiuſmodi Conciliorum Prouincialinm, antequam per promulgationem robur habeant obligandi, ad ipſam remittantur, ab eadem examinanda, corrigenda, vel approbanda. Fagnan. *ad cap. firmiter de Summa Trinitate, & Fide Cathol. num.* 48. vbi quod Sanctus Carolus ita ſeruauit in ſuis Concilijs Mediolanenſibus; & quod ita ſeruatum fuit multoties, nedùm in poſterioribus ſæculis, ſed etiam in antiquis, ſignanter à Gallis, refert Thomaſſinus in ſuo opere de antiqua, & noua Eccleſiæ diſciplina *par.* 4. *lib.* 2. *cap.* 82.

Propoſitio igitur, de qua agimus, intellecta in ſenſu exceptiuo explicato, ita quod neget etiàm in dictis caſibus facultatem Concilijs Prouincialibus, vel Diœceſanis definiendi res Fidei, eſt ſine dubio falſa, & etiam temeraria cenſeri poteſt. Imò videtur aduerſari Sacris Canonibus, nam *cap. Ad abolendam extrà de hæret.* excommunicantur omnes illi, qui iudicantur hæretici ab Eccleſia Romana, vel à Concilio Prouinciali, vel à Diœceſano.

Secunda verò pars noſtri principalis aſſerti explicatur, & ſimul probatur. Poteſt enim dicta propoſitio habere hunc ſenſum congruum, & legitimum videlicet. Ad ſolam Sedem Apoſtolicam, id eſt, ad ſolum Papam, & ſolitariè ſumptum ſine Concilio, & extrà Concilium, & cumulatiuè in Concilijs, modis ſuprà explicatis, Diuino immutabili priuilegio pertinet iudicare de controuerſijs Fidei, iudicio infallibili, & irreformabili. In hoc ſenſu dicta propoſitio veriſſima eſt, & planè Catholica: ex eaque ſequitur, quod neque Concilium generale ſine perſonali Pontificis præſidentia, aut ipſius inſtructione per Legatos tranſmiſſa, & præuie ad confirmationem Apoſtolicam, habere poſſit infallibilitatem in definiendis controuerſijs Fidei: ac ſubinde neque Prouinciale, neque Diœceſanum eam infallibilitatem habere poſſunt. Omnia enim iſta Concilia errare poſſunt, ſicut & de facto multoties errarunt, vt patet per Bellarminum de Concilijs *lib.* 1. *cap.* 5. indeque clare infertur, quod in Fidei definitionibus, non Papa Concilio, ſed Concilium Papæ ſubijcitur.

Igitur Propoſitio illa. *Ad ſolam Sedem Apoſtolicam*, id eſt, *ad ſolum Papam Diuino immutabili priuilegio ſpectat, de controuerſijs Fidei iudicare*, in hoc vltimo ſenſu à nobis explicato accepta, veriſſima eſt, nec in mentem ſani Theologi venire poteſt, quod ſit aliqua cenſura digna; Primò, quia Summo Pontifici defert priuilegium infallibilitatis in definiēdo extrà Concilium. Secundò. Quia hoc priuilegium illi defertur, ſiue in Concilio, ſiue extrà Concilium priuatiue quoad alios. Tertiò. Quia negatur Epiſcopis in propria Sede, vel adunatis in Concilio Prouinciali. Quartò denique. Quia denegatur Epiſcopis adunatis etiam in Concilio generali legitime congregato, ſed ſine Papæ præſentia, & inſtructione per Legatos tranſmiſſa, & præuie ad ipſius confirmationem. Et hoc pacto, propoſitio illa. *Ad ſolam Sedem Apoſtolicam Diuino immutabili priuilegio*

gio

gio ſpectat de controuerſiis Fidei iudicare, admittenda eſt, nec vlla cenſura notari poteſt, itaut nec etiam falſa, nec temeraria, niſi per ſummam iniuriam dici poſſit; nam cum temeritas in propoſito conſiſtat in ſingularitate doctrinæ communi Theologorum ſententiæ oppoſitæ; nota temeritatis applicari non poteſt prædictæ propoſitioni, quæ ſub ſecundo, & tertio titulo ab omnibus Theologis nemine excepto defenditur; & ſub primo, & quarto titulo, exceptis paucis, à reliquis Theologis ſuſtinetur, vel tanquam de Fide, vel tanquam concluſio ex principijs Fidei euidenter illata.

Secunda Digreſſio incidens.

An Summus Pontifex independenter à proceſſibus, Informationibus, & Conſultorum conſultationibus ex ſola ſuprema poteſtate Pontificia, qua pollet, poſſit res Fidei definire.

AD quæſtionem reſpondendum eſt affirmatiue, ſcilicet Summum Pontificem independenter à proceſſibus, informationibus, & Doctorum conſultationibus, ex ſola ſuprema poteſtate Pontificia, qua pollet, poſſe res Fidei definire.

Primò quidē ex illis verbis Matth. 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cælorum*. Et Ioann. 21. *Paſce oues meas.* Et Lucæ 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando cōuerſus confirma fratres tuos.* Cum enim in his locis concedatur Petro, & Succeſſoribus ſumma, & ſuprema poteſtas in Eccleſia, ad determinandum ea, quæ pertinent ad Fidem, & mores, priuatiuè, & independenter ab omni alia diligentia humana, non videtur limitanda, & coarctanda ſolùm, & dumtaxàt ad ea, quæ determinauerit medijs proceſſibus, informationibus, & conſultationibus Doctorum. Præſertim, quia dictiones *Tu*, *Tibi*, *Te*, ſæpiùs repetitæ in dictis locis ſunt *perſonaliſſimæ, & demonſtratiuæ ad oculum*, vt per Stephanum Gratianum *in Deciſionibus Marchiæ deciſ.* 51. *num.* 28. Rota *deciſ.* 101. *num.* 3. & 8. *par.* 5. *recent.* habet Barboſa *in tract. de dictionibus dict.* 411. Vndè poſſumus dicere, quod ſupponunt priuatiuè, & denotant ſolitudinem, ac proindè, quod ex illis eliciatur poſſe Papam ſe ſolo vti dicta poteſtate, ſecluſa omni diligentia per alios exhibenda.

Secundò. Quia ex illis locis inferunt Theologi poſſe Papam determinare negotia Fidei, & morum, ſine conſultatione Cardinalium, aut Epiſcoporum; pari ergò ratione colligi poteſt, poſſe id facere ſine conſultatione, aut conſilio cuiuſcumque alterius.

Tertiò. Quia id videtur colligi ex aliquibus epithetis, ſeù cognominibus Summi Pontificis. Vocatur enim *Papa*, ideſt, Pater Patrum, *Gloſſa*, *verbo Papa in princip. Clementin. quia ſcilicet eſt omninò independens in ſuo*

munere à filijs. Dicitur *Paſtor ouilis Domini*, ſimiliter ad denotandum, quod nullatenus ab ouibus dependeat, ſicut nec Paſtor ab illis aliquid accipit. *Sol* quoque vocatur, quia eſt ſolus in poteſtate, & quia non accipit lumen, niſi à ſolo Deo, ſicut Sol non accipit illud ab alijs aſtris, ſed ſolùm etiam à Deo. Vnde ad intentum Hugo de Sãcto Victore *ſerm. 64. de SS. Petro, & Paulo*, inquit: *Petrus Soli comparatur, quia cura Paſtoralis ſoli Petro data eſt*. Et Pius V. in Conſtitutione Regnans, ait, *Chriſtus Sanctam Eccleſiam vni ſoli Petro tradidit gubernandam*.

Quartò. Quia ſi Pontifex non poſſet id facere, niſi dependenter à præfata diligentia, ſequeretur poteſtatem ipſius non eſſe abſolutam, ſed ſolùm conditionatam, vtpote dependentem à dicta conditione, quod valde derogat ſummæ ipſius authoritati: nam authoritas, ſeù facultas conditionata eſt imperfecta in ſuo genere, cum conditione non ſubſiſtente, ipſa maneat ſuſpenſa, expectans euentum conditionis, *l. cedere diem, ff. de verbor. ſignific.* Menoch. *conſil. 63. à num. 18.* Surdus *conſil. 186. num. 12.*

Quintò. Quia tota Eccleſia ſupponit Papam habere in huiuſmodi rebus eam poteſtatem, quam habuit Chriſtus, ſiquidem eſt ipſius Generaliſſimus Vicarius, *cap. inter corporalia, cap. quanto, cap. licet de translat. Epiſcop.* adeò quod Papæ, & Chriſti dicatur eſſe vnum Tribunal, & Conſiſtorium, vt notant Doctores *in cap. 2. & 3. de translat. Epiſcop.* & Papæ iudicium cæleſte arbitrium appellatur *in l. 1. in fine, cap. de Summa Trinit. & Fide Cathol.* Et quidquid facit, ab ore Dei dicitur procedere, vt poſt plures Doctores ratiocinatur Rota *in Foroſempronienſi, & Eugubina, ſeù nullius Emphyteuſis 16. Iunij 1636. coram Coccino*. Quemadmodum ergò Chriſtus potuit, & poteſt res Fidei determinare, nulla diligentia ſuppoſita, ſic & Papa.

Sextò. Quia ſi non poſſet id facere, niſi dependenter à dictis informationibus, proceſſibus, & conſultationibus, cum illæ ſint fallibiles, & poſſit in illis contingere error, ſeù mendacium ex ignorantia, ſeù malitia hominum, vtique non eſſemus certi verbi gratia de Beatitudine Canonizatorum, præſertim ſi aliquis ſciret miracula, & hiſtorias ipſorum eſſe falſa, aut non fuiſſe bene comprobata. Vt ergò huiuſmodi ſcrupulis obuietur, credi debet authoritatem à Deo cónceſſam Papæ eſſe independentem à prædictis diligentiis, itaut, ipſis etiam non ſubſiſtentibus, iudicium ipſius circa res fidei ſit infallibile.

Septimò denique. Quia propter ſimiles rationes aliqui Theologi fatentur, quod ſi Papa definiat aliquid de fide, omiſſa diligentia, quæ communiter fieri ſolet, nihilominus protegente Deo ſuam Eccleſiam, Papa non definiet, vel ſi definiat, verum pronunciabit. Quod tenet expreſsè Ludouicus Caſpenſis Cæſarauguſtanus in curſu Theologico *tom. 2. tract. 15. diſp. 2. ſect. 6. num. 68.* hoc autem applicari æqua lance poteſt ad canonizationem Sanctorum: cum in ipſa Papa definiat, dicit enim diffinimus, & de-

& declaramus N. Sanctum, vel Beatum eſſe.

Nec dici poteſt Papæ authoritatem non eſſe illi conceſſam ad vſum imprudentem, & temerarium, qualis eſſet diffinire aliquid ſine præuia diligentia, & conſultatione;non enim eſſet vſus temerarius, aut imprudens, quando id faceret Papa, ex aliqua prudenti ratione ſuum animum mouente, vel ex inſpiratione Dei, aut poſtulato eius auxilio, media oratione.

Ex his conſequitur,veritates Fidei Eccleſiæ propoſitas à Summo Pontifice ex Cathedra loquente,nullo modo dependere, quoad credibilitatem ab aliqua fidelium acceptatione,itaut ſtatim, ac proponuntur, quilibet Fidelis obligetur ex fide aſſentiri:Nam eo ipſo, quod eo modo Eccleſiæ proponuntur à Summo Pontifice, iam conſtat à Deo eſſe reuelatas, ac proinde Diuina Fide credendas.Quapropter Inquiſitio Hiſpana in ſuo decreto edito anno 1683. inter alias propoſitiones, quas cenſura notauit, Propoſitionem hanc: *Papa in decidendis articulis, qui pertinent ad Fidem, non eſt infallibilis, abſque conſenſu Eccleſiæ*. Dixit erroneam eſſe, & hæreſi proximam. Et iſtam: *Concilium eſt ſupra Papam*, erroneam dixit,& Schiſmaticam.

Paragraphus Quintus.

Defenditur à calumnijs aduerſariorum Catholica doctrina epiſtolarum Fauſti, & Lucidi.

Labefactare contendunt Aduerſarij iuniores doctrinam expreſſam in præfatis epiſtolis,ac ſi vndique Semipelagianorum erroribus ſcaterent. Signanter Contenſonius, vbi ſuprà reſpondendo ad quintam obiectionem ait, epiſtolam Fauſti ad Lucidum purum putum Semipelagianiſmum ſpirare. Lucidum autem in ſua epiſtola ad Patres Concilij nefariam Fauſti doctrinam adorare, & de myſterijs prædeſtinat onis,& gratiæ à Catholicis abſonè,ad Semipelagianos conſonè ediſſerere: ita protulit Contenſonius nimis Mauguino fidens, modeſtius vtique loquuturus, ſi aduertiſſet apud Baronium epiſtolam Fauſti ad Lucidum appellari prætioſam.

Ego verò ingenuè fateor, quod poſt accuratam perſcrutationẽ Anathematiſmatum contentorum in dictis epiſtolis,nihil prorſus deprehendi, quod non ſit apprimè conſonum Sacris Eccleſiæ definitionibus ab omnibus Catholicis venerandis; Quod, vt liquidò conſtet, aliquorum obiectiones afferre cogimur ad illas diluendas.

Prima obiectio eſt ad tertiũ Anathematiſmatum Epiſtolæ Fauſti, vbi dicitur. *Anathema illi, qui hominem cum fideli confeſſione ſolemniter baptiza-*

zatum, & aſſerentem Catholicam Fidem, & poſtmodum, per diuerſa oblectamenta prolapſum in Adam, & originale peccatum, perijſſe, aſſeruit. Quo Anathematiſmo, vel damnatur error eorum, qui dicunt in Baptiſmo peccatum originale non remitti. Vel opinio D. Auguſtini, quæ docet peccatum originale eſſe cauſam, vel motiuum reprobationis in omnibus, etiam in ijs, quibus eſt remiſſum. Primùm non damnatur, quia in eo Lucidus non errabat. Damnatur ergò ſecundum, ac propterea ſententia Catholica D. Auguſtini Anathemate configitur, quod ſaltem eſt temerarium.

Secunda obiectio eſt ad illa verba eiuſdem epiſtolæ poſt anathematiſmos, vbi dicitur. *Eum, qui perijt per culpam, ſaluum eſſe potuiſſe per gratiam, ſi gratiæ ipſius famulatui laboris obedientiam non negaſſet*. Hæc enim verba gratiam nobis famulari deſignant, quo non obſcurè indicatur Semipelagianorum error, qui, vt Sanctus Auguſtinus ſenſit, gratiam veluti pediſſequam faciebant bonis liberi arbitrij conatibus. Igitur ab errore Semipelagianorum epiſtola Fauſti liberari non poteſt.

Tertia obiectio eſt ad ſextum Anathematiſmum Epiſtolæ Lucidi, vbi damnatur, qui dicit. *Ab Adam vſque ad Chriſtum nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, ideſt per legem naturæ in aduentum Chriſti fuiſſe ſaluatos, eo quod liberum arbitrium in primo homine perdiderunt*. Quibus verbis Pelagianorum error inuoluitur, nam prima Dei gratia aſſeritur eſſe lex naturæ præcisè ſumpta, vt impiè cenſebat Pelagius.

Quarta denique obiectio eſt ad plures alias propoſitiones damnatas per epiſtolam Lucidi, quæ quidem propoſitiones poſſunt exponi in bono, & malo ſenſu; in bono autem ſenſu acceptæ ſunt conformes doctrinæ Diui Auguſtini. Cum igitur Fauſtus, vtpotè Semipelagianus doctrinam Auguſtini deteſtaretur, ſuſpicari quis poteſt, quod Lucidum induxerit ad damnandas illas propoſitiones in ſenſu Catholico D. Auguſtini, ex quo eædem propoſitiones graui cenſuræ redderentur obnoxiæ.

Harum obiectionum futilitas optimè conſtabit ſola eorumdem Anathematiſmorum ponderatione in ſequentibus reſponſionibus.

Ad primam ergò obiectionem, reſpondetur eam eſſe penitùs inſubſiſtentem. Anathematiſmus enim, cui applicatur, nullatenus impetit Doctrinam S. Auguſtini de peccato originali, quod ſit cauſa reprobationis omnium reproborum, & eorum quibus peccatū originale fuit remiſſum. Quandoquidem propoſitio illo anathemate confixa nō loquitur de cauſa, vel motiuo reprobationis ordine intentionis, in quo ſententia Auguſtini defendi poteſt, ſed loquitur de cauſa damnationis in executione. Loquitur enim de actu pereuntibus. Perire autem eſt damnari, & eo quis perit, ex quo damnatur. Et eo quis damnatur, de quo æternum punitur. Cum igitur peccatum originale in ijs, quibus eſt remiſſum nullatenus puniri poſſit, aliàs non eſſet remiſſum, ſequitur eſſe omninò impoſſibile, quod ille, cui originale eſt remiſſum, in originali peccato pereat,

ſeù puniatur, vel damnetur propter peccatum originale, & qui oppoſitum adſtruit tenetur etiam aſſerere, quod peccatum originale in reprobis non remittatur per Baptiſmum, quæ eſt hæreſis Caluini damnata per Cōcilium Tridentinum *Seſſ.* 5. *Can.* 5. In hoc igitur ſenſu Caluiniſtico propoſitio anathemate confixa intelligenda eſt, quia ſic verba ſonant. Ideoque obiectio penitùs exufflatur. Quomodò autem cohæreat cum eo, quod ille, cui peccatum originale eſt remiſſum, attamen ordine intentionis reprobari potuerit à Deo ex motiuo peccati originalis, vt de facto ſentit Auguſtinus, & cum eo docti Theologi, non pertinet ad præſens diſcutere. Videri poteſt P. Lemos *tom.* 2. *Panopliæ Gratiæ tract.* 4. *cap.* 11. *& ſeq.* Godoj *par.* 1. *tom.* 2. *tract.* 8. *diſp.* 69. §. 6. Gonettus *eadem par.* 1. *q.* 23. *diſp.* 5. *art.* 3. Noriſius *in vindicijs Auguſtinianis* §. 10. qui dictam cohærentiam exponunt, & egregiè defendunt.

Ad ſecundam reſpondetur. Obiectionem illam omninò inſubſiſtentem eſſe, & nullo prorſus fundamento niti: immò contra eam clamare verba ipſa Fauſti, & Lucidi in illorum Epiſtolis contenta, nam ex ſimplici Fauſti, & Lucidi Epiſtolarum inſpectione planè oppoſitum eius, quod opponitur, apparet. Animaduertendum igitur à Patribus Concilij Arelatenſis negotium illud Fauſto demandatum fuiſſe, vt Lucidum ab erroribus præfatis reuocaret, ipſumque de Catholica veritate inſtrueret. Id autem præſtitit Fauſtus per laudatam epiſtolam, quam, antequam ad Lucidum tranſmitteretur, Patres Concilij perlegiſſe, ac probaſſe dicendum eſt; ſicut & eamdem ſubſcripſerunt. Quomodo ergò fieri potuit, vt in ea epiſtola, qua Fauſtus Lucidum ab erroribus reuocare iuſſus erat, in alios errores induceret, vti eum induxiſſet, Semipelagianorum, ſi verus eſſet ſenſus, quem obijciens vult eſſe verborum Fauſti? Et quomodo fieri potuit, vt Patres Concilij errorem in illius verbis non aduertiſſent, aut non improbaſſent? Ipſum igitur factum contra inſulſam obiectionem clamat, eamque irrationabilem denunciat. Sed & ipſa verba tàm Fauſti, quàm Lucidi in eorum epiſtolis contenta contra obijcientem clamant oppoſitum planè ipſos pronunciaſſe, eius, quod obijciens prætendit. Nam Fauſtus in ſua ad Lucidum Epiſtola antequam verba illa proferat, quæ obijciens opponit, ſcilicet (*Nos autem per illuminationem Chriſti veraciter, & confidenter aſſerimus, & eum, qui perijt per culpam, ſaluum eſſe potuiſſe per gratiam, ſi gratiæ ipſius famulatui, laboris obedientiam non negaſſet*) ante, inquam, hæc verba, alia illa præmiſerat Fauſtus, nempè illa. (*Breuiter dicam quid ſentire cum Catholica Eccleſia debeat*, id eſt, *primò, vt cum gratia Domini operationem Baptizati famuli ſemper adiungat, & eum, qui prædeſtinationem clauſo labore hominum aſſerit, cùm Pelagij dogmate deteſteris*) & poſtmodum hæc addit. *Nos ergò per medium Chriſto Duce, gradientes poſt gratiam, ſine qua nihil ſumus, laborem laborioſæ ſeruitutis aſſerimus, ſed omnimodo arrogantiam, & præſumptionem laboris excludimus, vt totis vi-*

ri-

ribus deſudantes, ne gratia in nobis euacuetur, quidquid de manu Domini ſuſcepérimus, donum pronunciemus eſſe, non pretium, ſcientes laboris ipſius fructum officij rem eſſe non meriti, cum Euangeliſta dicentes, Serui inutiles ſumus.) Hæc Fauſtus. Quibus concinit Lucidus errores ſuos damnans, inter quos illum damnat, quo dixerat. *Humanæ obedientiæ laborem Diuinæ gratiæ non eſſe iungendum*. Deindè ſic ait. *Aſſero gratiam Dei, vt annisſum hominis, & conatum, gratiæ ſemper adiungam.*)

Ex his animaduertat obijciens expoſitionem ab eo verbis Fauſti datam eſſe omninò præpoſteram, & abſurdam, ac voluntariam, immò repugnantem ipſi Textui, & verbis epiſtolæ. Nam ante obiecta verba alia illa pronunciat Fauſtus dicens, *ſecum gratia Domini operationem baptizati famuli ſemper adiungat.*) En Fauſtus Lucidum inſtruens, dicit, cum Catholica Eccleſia ſentiendo, adiungendam eſſe cum gratia Domini operationem baptizati famuli. Certè, qui dicit adiungendam eſſe cum gratia Domini operationem baptizati famuli, non facit gratiam pediſſequam liberi arbitrij, ſed facit liberum arbitrium pediſſequum gratiæ: nam qui adiūgit cum gratia operationem, ſupponit gratiam antecedere, & præire; quod enim alicui, vel cum aliquo adiungitur, non præcedit id, cui adiungitur, ſed illud ſubſequitur, vt ex ipſis terminis patet. Sed clariſſimè idem affirmat Fauſtus in verbis poſterioribus, cum ſubdit: (*Nos ergò per medium, Chriſto duce, gradientes poſt gratiam &c.*) En Fauſtus apertiſſimè dicit, nos gradientes eſſe debere poſt gratiam. Igitur Fauſtus non facit gratiam pediſſequam liberi arbitrij, ſed liberum arbitrium facit pediſſequum gratiæ, cum dicat gradiendum eſſe poſt gratiam; Quid clarius dici potuit, vt oſtenderet gratiam non ſequi liberum arbitrium, ſed liberum arbitrium ſequi gratiam? Iuxtà hæc Lucidus, vt oſtenderet ſe ſuos errores damnare ad Fauſti inſtructionem, in ſua epiſtola illum errorem damnat, quo dixerat, Humanæ obedientiæ laborem Diuinæ gratiæ iungendum; oppoſitum ergò Lucidus amplectitur, ſcilicet, humanæ obedientiæ laborem eſſe Diuinæ gratiæ adiungendum; ergò iuxtà Fauſti inſtructionem, Lucidus profitetur liberum arbitrium debere obedire gratiæ, & laborem obedientiæ, gratiæ iungendum eſſe: quod profectò eſt profiteri, quod liberum arbitrium ſequatur gratiam, & non gratia liberum arbitrium. Et hoc idem important alia eiuſdem Lucidi verba, quæ ſequuntur, ſcilicet illa (*Aſſero gratiam Dei, vt annisſum hominis, & conatum, gratiæ ſemper adiungam*) vt enim diximus, quod adiungitur alteri, non præcedit id, cui adiungitur, ſed illud ſubſequitur; Cum ergò Lucidus aſſerat annisſum hominis, & conatum, eſſe gratiæ adiungendum, non vult gratiam eſſe pediſſequam arbitrij, ſed vult arbitrium eſſe pediſſequum gratiæ; & id ſupponitur à Lucido contineri in Epiſtola ad ipſum à Fauſto tranſmiſſa, nam iuxtà illam Lucidus ſuos retractat errores. Sed & in ipſis Lucidi verbis ab obijciente allatis, hæc veritas apparet: nam dicit

cit Fauſtus, *eum qui periſt per culpam, ſaluum eſſe potuiſſe per gratiam', ſi gratia ipſius famulatui laboris obedientiam non negaſſet*. Certum eſt enim, quod qui dicit, gratiæ famulatui non negandum eſſe obedientiæ laborem, dicit per laborem obediendum eſſe famulatui gratiæ, ac proindè aſſerit, famulatum gratiæ præire, & præcedere: nam huiuſmodi obedientiam laboris non eſſe negandam dicit, qui enim obedit, non antecedit, ſed ſubſequitur. Fieri autem non potuit, vt Fauſtus in eadem epiſtola, immò in eadem pagina ſibi contradiceret, & ſimul contradictoria ſcriberet, quod ſcilicet gratia præiret labori hominis, & eadem gratia laborem hominis ſubſequeretur: id enim ignoranter dictum fuiſſet, vel inconſideratè, quorum nullum certum eſt in Fauſtò fuiſſe. Quare nomine famulatus gratiæ Fauſtus intelligit non ſeruitutem gratiæ, vt perperam affirmat obijcens, ſed nomine famulatus gratiæ, intelligit adiutorium, & auxilium, ſeù opem ipſius gratiæ, vt aliquando, & eleganter ſumitur verbum *famulor*; Vndè Claudianus *de bello Get.* ait:

A Magno Stilicone cane, qui ſemper in quos
Fortuna famulante premit.

Fortuna famulante, ideſt, fortuna adiuuante, vt explicat Paſſaratius in ſuo Calepino, in verbo *famulor*. Patet igitur nullius eſſe momenti obiectionem illam, nulloque fundamento niti, & ſenſum Fauſti verbis ab opponēte datum eiuſdem Fauſti verbis omninò repugnare.

Ad tertiam obiectionem, reſpondetur; Quod cum ibi prima gratia lex naturæ vocatur, non intelligi debet lex naturæ ſolitariè ſumpta, ſed ſpectata cum gratia, quæ ex futuro Chriſti aduentu in eam redundabat; quod denotatur per illa veba ſtatim adiecta, ſcilicet *In Aduentum Chriſti*, quæ cum prioribus coniungēda ſunt ſine interiectione virgulæ, quo pacto redditur ſenſus perſpicuus ad noſtrū intentum. Quod omninò conſonum eſt ſenſui Lucidi paulò poſt affirmantis num. 11. *Per rationem, & ordinem ſæculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moyſis, alios lege naturæ, quam Deus in cordibus hominum ſcripſit in ſpe aduentus Chriſti fuiſſe ſaluatos, tamen ab initio Mundi ab originali nexu, niſi interceſſione ſacri ſanguinis non abſolutos*. Neque prætermittendum eſt, quod præfata obiectio eſt ineptiſſima. Quādoquidē ibi Pelagianorum errorem adnotat, vbi prorſus excluditur. Pelagius enim ideò primam gratiam conſtituit in lege, atque doctrina, quia vires liberi arbitrij adeò extollit, vt putet ſine alia gratia interiori ſuperaddita, illas eſſe ſufficientes ad actus ſalutares. Propoſitio autem, cui obiectio applicatur, ideo ponit nullos ex gentibus ante Chriſtum per legem naturæ fuiſſe ſaluatos, quia liberum arbitrium in primo homine perdiderunt, hoc eſt quia per peccatum originale liberum arbitrium ad quodcumque bonum eſt inſufficiens. Cum hoc enim cohærere non poteſt, quod liberum arbitrium, per ſolam legem, & doctrinam ſufficiens ſit ad actus proficuos ad ſalutem.

Ad quartam obiectionem reſpondeo, quod etiam propoſitiones Euan-

gelicæ in prauo ſenſu intellectæ poſſunt eſſe hæreticæ, ſicut quod dixit Chriſtus Ioannis 10. *Pater maior me eſt*, ſi intelligatur de Chriſto quoad Diuinitatē hæreticum, & Arianū eſt. Sic etiā aliqua propoſitio, quæ appareat quodāmodò erronea, in aliquo ſenſu expoſita poteſt eſſe Catholica. Sicuti iſta, *Chriſtus non ſemper fuit*, indicat hæreſim Arij, & tamen, ſi exponatur quoad humanitatem, eſt Catholica. Itaque mirùm non eſt, quod propoſitiones damnatæ per epiſtolā Lucidi poſſint explicari in recto, & in prauo ſēſu, quod eſt veriſſimum.

Prima enim propoſitio, qua dicitur, *laborem humanum non eſſe gratiæ iungendum*, ſi ſic intelligatur, quod labor humanus ex viribus naturæ profectus nihil valeat ad gratiā promerendam, ſeù tali labore petendo, quærendo, pulſando nullatenus poſſe hominem ſe præparare, & diſponere ad primam gratiam, Dogma Catholicum eſt, & oppoſitum eſt Semipelagianum in Synodo Arauxicana II. *Canone 6.* damnatum. Si verò ſic intelligatur, quod gratia accepta, non debeamus illi liberè cooperari laborando per actus ſalutares, & meritorios procedentes à libero arbitrio adiuto per gratiam, hæretica eſt, & damnata per Concilium Tridentinum *Seſſ.6.cap. 5. & Can.4.* & ab Apoſtolo reprobata 2. *ad Cor. cap.6.* ibi: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, &c.*

Secunda propoſitio, qua dicitur, *poſt primum hominis lapſum ex toto arbitrium extinctum*, ſic intellecta, vt ad bonum ſupernaturale faciendum ſine gratia penitus extinctum ſit, Catholica eſt, vtpotè coincidens cum eo, quod ſcripſit Auguſtinus *in Epiſtola 107. ad Vitalem*, inquiens, *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Verùm ſic intellecta, vt liberum arbitrium, etiam excitatum, & adiutum per gratiam, nihil cooperetur aſſentiendo Deo vocanti, & excitanti; nec poſſit diſſentire, ſed merè paſſiuè ſe habeat, ſitque res de ſolo titulo, vel titulus ſine re. Eſt hæretica, & damnata per Tridentinum *Seſſ. 6. Can. 4. & 5.*

Tertia propoſitio, qua dicitur, *Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus*, ſic intellecta, quod omnes mortis Chriſti fructum non recipiant, ſcilicet illi, qui ſine fide, & ſine regenerationis lauacro decedunt, veriſſima eſt, & Catholica, expreſſa per Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 3.* & firmata à D. Proſpero *in reſponſione ad 9. obiectionem Gallorum, & ad primam Vincentianam*. Eo verò ſenſu intellecta, quod Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, quia ſanguinem ſuum nō pro omnibus fuderit, neque pro omnibus ſalutis remedia præparauerit, expoſuerit, vel obtulerit, impia eſt, & deteſtabilis.

Quarta propoſitio, qua dicitur, *Præſcientiam Dei violenter homines compellere ad mortem, & cum eius voluntate perire, qui pereunt*, ſi ſic intelligatur, quod Deus compellat impios ad pœnam æternam ſubeundam, ſuppoſita culpa nunquam deleta per pœnitentiam, ideoque voluntate Dei æternum puniri Catholica eſt, & à Chriſto aſſerta Matthæi 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*. At intel-

le-

lecta in eo ſenſu, quo Deus, vt homines puniat, cogat illos in peccata ruere, & quod ideò peccent, quia Deus vult illos damnare, eſt Dogma peruerſum contra illud Oſeæ *cap.* 13. *Perditio tua ex te*, ideoque damnatum in Tridentino *Seſſ.* 6. *Can.* 17.

Quinta propoſitio, qua dicitur. *Poſt acceptum legitimè Baptiſmum in Adam moritur quicumque deliquerit*, eo ſenſu expoſita, quod in renatis remaneat concupiſcentia, & fomes ad peccatum inclinans, deleta originali culpa, ex qua deriuat, Catholica eſt, ab Auguſtino ſæpiùs repetita. Cœterum ſic intellecta, quod poſt Baptiſmum permaneat in renatis, aliquid peccati originalis, quodque ipſa concupiſcentia permanens verè peccatum ſit, eſt hæreſis damnata in Tridentino *Seſſ.* 5. *Can.* 5.

Sexta tandem propoſitio, qua dicitur, *aliquos eſſe deputatos ad mortem, & alios ad vitā prædeſtinatos*, eo ſenſu intellecta, vt alij ad æternā dānationē deputati ſint, ordine quidē intētionis ob peccatū originale præuiſū; alij vero ad vitam ita prædeſtinati, vt eorum electio ſit ex Diuina miſericordia, ideoque antecedenter ad merita præuiſa, ſententia eſt D. Auguſtini ex Sacris literarum fontibus hauſta. Eo verò ſenſu expoſita, quod Deus reprobos ad peccatum propellat, & ex primæua intentione conditi fuerint, non vt vitam conſequerentur æternam, ſed vt ſempiternis cruciatibus torquerentur, eſt hæretica, ſcandaloſa, & blaſphema.

Sed vndè conſtat, inquiunt Aduerſarij, quod Lucidus illas propoſitiones propugnaret in prauo ſenſu, & ſubindè, quod Fauſtus illum induxerit ad eas retractandas in prauo ſenſu?

Reſpondeo id non minus conſtare, quàm quod Sol luceat; conſtat enim, quia Lucidus Prædeſtinatianus erat, quorum hæreſis conſiſtebat in prauo ſenſu illarum Propoſitionum. Conſtat, quia ſi Lucidus præfatas Propoſitiones propugnaſset in recto ſenſu, & ad mentem Auguſtini, qui ſenſus à Fauſto non reputaretur Catholicus, non ipſe ſolus Lucidus inducendus erat ad retractationem illarum propoſitionum, ſed quotquot erant fideles D. Auguſtini diſcipuli, qui pariter illas Propoſitiones in recto ſenſu defendebant. Conſtat, quia de mandato Patrum Concilij, qui quidem erant doctiſſimi, atque Sanctiſſimi, Lucidus illas propoſitiones reuocauit, & nullus ſanæ mentis ſibi perſuadere poteſt, quod tot, ac tales Epiſcopi eſsent adeò excæcati, vt crederent propoſitiones ad mentem Auguſtini expoſitas eſse hæreticas, ideoque retractandas, & configendas. Conſtat denique, quia Fauſti epiſtola propoſitiones in ſenſu Catholico defendit, & in prauo ſenſu confutat, ideoque ad eas in ſenſu confutato retractandas Lucidum compellit. Nec mirùm, quia licet Fauſtus Semipelagianus eſſet, attamen exarando epiſtolam, non ſe geſſit vti Semipelagianus, quinimmò, vt Profeſsor Auguſtinianæ doctrinæ. Sed etſi diximus Fauſtum, quando ſcripſit epiſtolam, nondum fuiſse Semipelagianorum erroribus infectum, eiuſque peruerſionem incepiſse, quando ſcripſit opuſcula, qu s poterit nobis aduerſari? Nulla quip-

pè eſt repugnantia in eo, quod talis peruerſio contigerit in momento. Vt autem ſupra obſeruauimus Epiſtola non modico tempore ante opuſcula exarata fuit.

Paragraphus Vltimus.

Alia quædam argumenta contra exiſtentiam Hæreſis Prædeſtinatianæ proponuntur, & diluuntur.

VT magis magiſque clareſcat veritas noſtræ Aſſertionis, quædam alia leuiora argumenta proponenda ſunt, & diluenda.

Primum argumentum eſt. Quia ſi verè Prædeſtinatiana hæreſis extitiſſet, in aliquo generali Concilio fuiſſet proſcripta, quod tamen nunquam contigit, quin immò in nullo generali Concilio facta fuit mentio de hæreſi Prædeſtinatiana.

Reſpondetur, alias etiam hæreſes indubiè extitiſſe, quæ non fuerunt proſcriptæ in aliquo generali Concilio. Hæreſis Manichæorum indubiè extitit, & in nullo generali Concilio proſcribitur, neque de ea ſub tali nomine fit mentio. Idem contigit de hæreſi Pelagiana, & Semipelagiana, & Melchior Canus *lib. 5. de locis cap. 4. concluſ.* 4. obſeruat, quod nec etiam Hæreſes Priſcilliani, nec Eluidij in aliquo Concilio generali damnatæ fuerunt, ſed prima in Concilio Toletano 1. & poſterior in Concilio Telenſi, quæ fuerunt Prouincialia, & idem etiam obſeruat de hæreſi Pelagiana damnata in Concilijs Prouincialibus Mileuitano, & Carthaginenſi, ſicut etiam hæreſis Semipelagiana damnata fuit in Concilio Arauſicano 2. quod etiam fuit Prouinciale. Ideò argumentum nihil concludit.

Arguitur ſecundò. Quod hæreſis Prædeſtinatiana non extiterit, expreſsè dixit S. Prudentius Trecenſis Epiſcopus in libro contra Ioannem Erigenam *cap.* 4. ibi: *Tertiam vero hæreſim, quam Pelagianis contrariam aſſeris, qua ita donum gratiæ prædicetur, vt libertas arbitrij funditus auferatur, nec legimus, nec audiuimus.* Concinit S. Remigius, vel quiſquis fuerit Author libri Eccleſiæ Lugdunenſis contra eumdem Ioannem Erigenam, nam *cap.* 4. ita fatur. *Secunda hæreſis, quam dicit eſſe gratiæ ſolius, quæ ſit, vel fuerit in Eccleſia, quæ ita prædicauerit, ſola Dei gratia hominem ſaluari, vt liberum hominis negaret, vel deſtrueret arbitrium, nobis minimè compertum eſt.* Illa autem hæreſis, quæ dicitur ab his teſtibus ſuppoſititia, non eſt alia, quàm Prædeſtinatiana, vt patet.

Reſpondetur, quod iſti Authores ſcripſerunt in octauo Sæculo. Nos autem pro exiſtentia hæreſis Prædeſtinatianæ, quam plures teſtes attulimus, qui fuerunt Hæreticis Prædeſtinatianis quinti Sæcali coætanei, quibus de iure magis ſtandum eſt, quam cæteris, qui poſt quatuor centum annos circiter, deinceps ſcripſerunt.

Denique arguitur. Exiſtentia hæreſis Prædeſtinatianæ probatur in ſo-

lo Lucido Presbytero, non enim alius nominatur, qui in quinto ſæculo illam hæreſim profeſsus fuerit. Vnus autem error non ſufficit ad ſectam conſtituendam, ſicut nec vna hirundo facit Ver.

Reſpondetur, quod ſemel admiſſo Lucidum fuiſse hæreticum Prædeſtinatianum, & idcircò coactum retractare talem hæreſim per Concilium Arelatenſe, indubiè fatendum eſt, quod plures Aſseclas, ſeù Sodales haberet, qui eamdem hæreſim ſectarentur, & propugnarent. Non enim credibile eſt Concilium fuiſse coactum pro reducendo ad veram fidem vno tantum errone. Et Lucidus ipſe teſtando in ſua Epiſtola ad Patres Concilij, quod ſui erroris correctio ad publicam ſalutem pertinebat, vtique denotare videtur, quod plures per deteſtationem eiuſdem erroris ſalutem conſequuti fuerint. Vnius enim emendatio potius ad priuatam, quàm ad publicam ſalutem referenda eſt. Id ipſum confirmatur ex teſtibus allegatis pro noſtra concluſione: dum enim expreſſam mentionem faciunt huius hæreſis in quinto Sæculo, eam pluribus adſcribunt, pleno ore eam appellantes hæreſim Prædeſtinatianorum. Et in octauo Sæculo licet vnus tantùm ſit nominatus hæreticus Prædeſtinatianus nēpè Gotteſchalcus, de quo in ſequenti articulo, attamen affirmatur tunc viguiſse Prædeſtinatianorum ſectam. Sic enim loquitur Rabanus Maurus in Epiſtola ad Eberardū Comitem, vbi ipſum rogat, *vt ſi quis maneret apud ipſum docens, quæ contraria ſunt Fidei (prædicando nimirum Prædeſtinatianorum errores) prohibeat eum, vt ceſſet ab hac ſecta*. Quamuis igitur in quinto ſæculo vnus tantum ſit expreſsè nominatus eiuſdem hæreſis ſectator, non indè ſequitur, quod non tot ſocios erroris haberit, quot condendæ ſectæ pares fuerint. Ideoque in hac parte non conſentio Noriſio, qui loco ſupra allegato §. *Iam illius controuerſia*, putat Sectatores illius hæreſis vix ſuffeciſſe ad numerum componendum. Et hæc ſufficiant de hoc articulo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Hæreſis Prædeſtinatiana reſuſcitata fuerit in nono ſæculo per Gotteſchalcum.

IMplicatior eſt iſta controuerſia, quàm præcedens. Etenim in ea ferè omnes antiqui Scriptores præſertim illius temporis pro reali exiſtentia hæreſis prædeſtinatianæ teſtimonium ferunt, & mirùm eſt, quod nonnulli recentiores Ianſenij ſuſpicionibus acti, antiquorum authoritate contempta, in contrariam vertantur ſententiam. Cœterùm in præſenti cōtrouerſia antiqui Authores Gotteſchalco coætanei, immò, & Concilia quædam Prouincialia diſsenſiſse videntur circa Gotteſchalci doctrinam, quibuſdam illam laudantibus tanquam Catholicam, & Auguſtinianam, alijs autem eamdem reprobantibus tanquam hæreticam Prædeſtinatianam.

Quod

Quod igitur doctrina Gotteſchalci eſſet Catholica, & Auguſtiniana exiſtimauit Eccleſia Lugdunenſis in libro de tribus Epiſtolis Sancto Remigio attributo. Sanctus Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus in libro de Prædeſtinatione contra Ioannem Scotum Erigenam. Ratramnus Monachus in duobus libris de Prædeſtinatione Dei, & Lupus Ferrarienſis Abbas in libro de tribus quæſtionibus ad Regem Carolum Caluum miſſo. Quos allegatos libros edidit Mauguinus in primo Tomo de Prædeſtinatianæ Fabulæ confutatione. Et iſtis antiquis Patribus ſubſcribit Cornelius Ianſenius *tom. 1. inſcripto Auguſtinus &c. lib. 8. cap. 23. §. nihil arbitror*. Quem ſequitur Mauguinus *tom. 2. de Prædeſtinatianæ fabulæ confutatione per totum*, & Contenſonius *in Theologia mentis, & cordis tom. 5. diſſertat. 3. Appendice vnica* §. 3. putantes Concilium Valentinum Gotteſchalco fauiſse.

Cœterum Gotteſchalci doctrinam tanquam hæreticam Prædeſtinatianam damnarunt Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, Amolo Archiepiſcopus Lugdunenſis locis infrà referendis, & ſine dubio Synodus Moguntina, & Cariſiaca. Ideoque, quod Gotteſchalchus hæreſim Prædeſtinatianam reſuſcitauerit in nono ſæculo, in quo ipſe viuebat, recentiores plerique affirmant, vt Binius in notis ad Concilium Moguntinum, & Cariſiacum, Labbe *tom. 8. Concil. pag.* 53. Cellotius in libro, quem inſcripſit *Hiſtoria Gotteſchalci Prædeſtinatiani*, Lucas Achtros, Ioannes Mabillonius in actis Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti *par. 2. in proœmio art. 2. num.* 148. Natalis Alexander Sæculo nono *par. 2. diſſert.* 5. Quorum ſententia, vtpotè validioribus, imò inconcuſſis fundamentis innixa à nobis pro concluſione ſtatuitur.

Paragraphus Primus.

Firmatur apertiſſimis teſtimonijs vera ſententia aſſerens Gotteſchalcum in nono ſæculo Hæreſim Prædeſtinatianam reſuſcitaſſe.

PRobatur primò noſtra concluſio authoritate Rabani Mauri Archiepiſcopi Moguntini, qua nulla maior hac in re deſiderari poteſt; quādoquidē Rabanus Vertex Theologorum habebatur, teſte Baronio ad annum 487. *tom.* 10. Hic ergò præclarus Antiſtes certior factus de Gotteſchalci erroribus à Nottingo Epiſcopo opuſculum compoſuit de Prædeſtinatione, vt præfatos errores confutaret, in cuius opuſculi præfatione ſic loquitur ad Nottingum. *Nuper quando ad Sereniſſimum Imperatorem Ludouicum in tranſitu expeditionis hoſtilis in Pago Logana veniſti, & ibidem mecum locutus de hæreſi, quam quidam de prædeſtinatione Dei iniquè contendunt errantes, & alios in errorem mittentes, ſermonem habuiſti, conuenit inter nos, vt è Diuinis, & Orthodoxis Patrum ſententijs, aliquod opuſculum*

lum conficerem, ad conuincendum errorem eorum, qui de Deo bono, & iuſto tam nequiter ſentiunt, vt dicant, eius prædeſtinationem facere, vt nec homo ad vitam prædeſtinatus poſſit in mortem incidere, nec ad mortem prædeſtinatus poſſit vllo modo ſe ad vitam recuperare. Ecce proprijſſimus error hæreſis prædeſtinatianæ, qua ponitur, quod Prædeſtinatus ad mortem, nullam habeat potentiã perueniendi ad Gloriam, & prædeſtinatus ad vitam nullam potentiam retineat ruendi in damnationem, & hanc hæreſim propugnabat Gotteſchalcus, teſte Rabano.

Aliud quoque expreſſius teſtimonium proferri poteſt ex eodem Rabano in Epiſtola ad Eberardum Comitem, vbi inquit. *Quia diuulgatum in iſtis partibus conſtat, quemdam incolam nomine Gotteſchalcum apud vos manere, qui dogmatizat, quod Prædeſtinatio Dei omnem hominem ita conſtringat, vt etiam ſi quis velit ſaluus fieri, fruſtrà, & in caſſum laboret, ſi non eſt prædeſtinatus ad vitam, quaſi Deus prædeſtinatione ſua cogat homines interire, qui Author eſt ſalutis noſtræ, non perditionis.* Vbi clarè denotatur hunc incolam, nempè Gotteſchalcum hominis reprobationem adſtruxiſſe taliter vrgentem in damnationem, vt nullam relinqueret in homine potentiam ad æternam ſalutem. Ex quo de hæreſi Prædeſtinatiana luculentiſſimè conuincebatur.

Probatur ſecundò, concluſio ex actis contra Gotteſchalcum in celebri Synodo Moguntina, cui Rabanus præſedit, habitaque fuit anno Domini 484. vt refert P. Labbe *tom.* 8. *Concil. pag.* 52. Ex illis enim conſtat, quod in ea Synodo errores Gotteſchalci examinati fuerunt, ipſeque præſens auditus, à Rabano conuictus, prauaque ipſius Dogmata confutata, cumque per hæc non reſipiſceret, remiſſus fuit ad Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum, amplius ab eo coercendus, & puniendus, præſtito priùs iuramento de nunquam redeũdo in Germaniæ Regnum. Omnia iſta conſtant apud Labbe *loco allegato pag.* 53. vbi de eiſdem affert atteſtationem Annalium Francorum editorum à Pithæo, & Tritemij in Chronico Hiſsaugienſi, & Hincmari in Epiſtola ad Nicolaum I. Pontificem. Et *pag.* 58. additur etiam atteſtatio Annalium Bertinianorum ad annum Chriſti 859. Quibus adijcienda eſt ex Natali Alexandro, vbi ſuprà *pag.* 254. atteſtatio Auentini in Annalibus Boiorum *lib.* 4. & Sigeberti in Chronico ad annum 849. ac denique confirmantur ex epiſtola Synodica Rabani ad Hincmarum legenda apud Labbe, vbi ſuprà *pag.* 53.

Mirum eſt, quod ex teſtimonijs adeò perſpicuis contrarij Authores non fateantur ſe remanere conuictos. Effugia quærunt, ſed facilem exitum non inueniunt. Dicit enim ad hæc Mauguinus *cap.* 5. *ſuæ diſſertationis*, quod Rabanus non poterat eſſe legitimus Gotteſchalci Iudex, *l. vnica, Cod. ne quis in ſua cauſa iudicet, & cap. inter querelas* 23. *qu.* 4. Addit *cap.* 6. quod Conuentus ille Epiſcoporum apud Moguntiam non fuit Concilium, ſed Regium Placitum. Ac tandem dicit, quod Gotteſchalcus ab hac Synodo potiùs repulſus

fuit,

fuit, quàm iudicatus iuxtà Annales Fuldenſes, & Flodoardum *lib.* 3. *hiſtoriæ Eccleſiæ Remenſis cap.* 21. patetque ex epiſtola Synodica Rabani ad Hincmarum.

Hæc tamen pro nihilò ſunt habẽda: nam gratis permiſſo, quod in illa Synodo, qualiſcumque ea fuerit, Rabanus incompetenti iuriſdictione cõtra Gotteſchalcum egerit, attamen, quod non verè Gotteſchalcus iudicatus fuerit Hæreticus Prædeſtinatianus, eminens Rabani ſapientia, cæterorumque Epiſcoporum præſtantia, quemquam ſentire non patitur. Indè autẽ manifeſtè deducitur Gotteſchalcum reuerà infectum fuiſſe hæreſi Prædeſtinatiana, & non id per impoſturam ei attributum fuiſſe à Rabano, totaque Synodo Moguntina.

Sed non eſſe dubitandum de competenti iuriſdictione, qua Synodus Moguntina errores Gotteſchalci proſcripſit, eumque damnauit, manifeſtum relinquitur, ex eo, quod ipſemet Gotteſchalcus coram Synodo comparuit, eique ſuum librum vtique examinandum obtulit: ideoque, ſi non ex alio capite, ſaltem ex ſpontanea ipſiuſmet præſentia, et ſubiectione Synodus ius acquiſiuit, ad eum condemnandum, vel abſoluendum.

Motiua verò, quæ in contrarium afferuntur à Mauguino ſunt penitùs inſubſiſtentia. Quia licet Rabanus aduerſus Gotteſchalcũ opuſculũ confeciſſet, & Gotteſchalcus aduerſus Rabanũ libellũ ſcripſiſſet, attamen, quia cauſa, de qua agebatur pertinebat ad Fidem, non poterat conſiderari, vt propria Rabani, ſed vt Eccleſiæ communis. Multas quidem contentiones habuit S. Alexander Patriarcha Alexandrinus cum Arrianis: d tamen non obſtitit, quin optimò iure iſti hæretici Anathemate confixi fuerint in Synodo Alexandrina, Præſide eodem S. Alexandro.

Nec nouum, imò valdè conſuetum erat priſcis temporibus, quod Epiſcopi Prouinciarum ad Regis placitum conuocarentur pro tractandis negotijs Regni, eaque occaſione ſimul adunati Antiſtites Synodos Prouinciales celebrarẽt pro cauſis Eccleſiaſticis definiendis, vt refert Thomaſſinus in opere Gallico, de antiqua, & noua Eccleſiæ diſciplina *tom.* 2. *par*, 3. *lib.* 2. *cap.* 53. & *tom.* 3. *par.* 4. *lia.* 2. *cap.* 76.

Quod denique dicitur, Gotteſchalcum à Synodo Moguntina repulſum fuiſſe, non damnatum, aduerſatur apertiſſimè narrationi geſtorum, quã Rabanus fideliter deſcripſit in Epiſtola Synodica ad Hincmarum. Ibi namque habetur expreſsè, decretum fuiſſe in illa Synodo Gotteſchalcum cum pernicioſa ſua doctrina damnatum mittere ad Hincmarum: non ergò prætermiſſa, ſed præmiſſa damnatione repulſus, ſeù verius remiſſus ad Hincmarum, ab eo condigna pro meritis pœna plectendus, ſi damnatis erroribus pertinaciter adhæſiſſet.

Probatur tertiò, eadem concluſio ex actis contra Gotteſchalcum in Synodo Cariſiaca, quæ celebrata fuit anno Domini 849. In ea enim Hincmaro Præſide coram duodecim Epiſcopis, duobus Corepiſcopis, & pluribus Abbatibus comparuit Gotteſchal-

ſchal-

ſchalcus, iterumque auditus fuit, & eius ſcripta examinata: & tunc iudicio præfatorum Antiſtitum de Hæreſi Prædeſtinatiana conuictus, & coactus ſua ſcripta igni tradere, tandem damnatus fuit propter hæreſim, & alia crimina ad publicam fuſtigationem, & ad perpetuum carcerem, vtpotè obſtinatè in ſuo errore perſeuerans. Omnia prædicta conſtant ex epiſtola Hincmari ad Amolonem Archiepiſcopum Lugdunenſem, quæ habetur apud Cellotium.

Sententia verò lata in dicta Synodo contra Gotteſchalcum habetur apud Labbe, vbi ſuprà *pag.* 57.

Ecce igitur alia Synodus, per quã Gotteſchalcus declaratus fuit, vt hæreticus Prædeſtinatianus. Siuè autem talis Conuentus dicatur Placitum Regium, ſiuè verum Prouinciale Concilium, & ſiuè excesserint dicti Concilij Patres, ſiuè non excesserint in pœna Gotteſchalco impoſita, parum refert ad noſtrum intentum, dummodò in eo conueniatur, quod rationabiliter, non autem per inſcitiam, vel per malignitatem hæreſis Prædeſtinatiana Gotteſchalco attributa fuerit. Quod ſi quis oppoſitum audacter aſſereret, eſſet ipſe damnandus; quia vt miſerabilem Monachũ liberaret ab errore, tot præſtantiſſimos Epiſcopos in damnationẽ Gotteſcalci conſentientes graui calumnia non vereretur afficere.

Veritas tamen eſt, quod nec illi Conuentui Cariſiaco Synodi præcellentia defuit, non obſtante quod ad Regis placitũ coactus fuerit, propter ſupradicta. Et Antiſtites præfati nullatenus exceſſerũt in punitione Gotteſchalci obſtinati Hæretici: tantùm enim abeſt, quod pœna in eũ ſtatuta ſæuitiam redoleat, quin potiùs mitis cenſenda ſit. Quia ſi monetarum tonsoribus grauior pœna debetur, quàm perpetui carceris, cur non etiã grauiori ſupplicio mulctandi ſunt Sacrorum Dogmatum corruptores, præſertim lumini rebelles, & obſtinati?

Paragraphus Secundus.

Dicta Gotteſchalci referuntur, & ex terminis ipſorum conformiter ad mentem Gotteſchalci ſenſus Hæreticus eruitur.

EX actis Conciliorum Moguntini, & Cariſiaci luculenter quidem apparet Gotteſchalcum, vt Hæreticum Prædeſtinatianum habitum, & damnatũ fuiſſe: nihilominus quia Concilia Prouincialia non ſunt indefectibilia, ſed in definitionibus Fidei errare poſſunt, & multò magis in quæſtionibus facti, & Mauguinus, & cum eo Contenſonius prætendunt, quod dicta Concilia errauerint, attribuendo Gotteſchalco per incongruã, vel extortam interpretationem propoſitionũ eiuſdem pernicioſam hæreſim, à qua ſenſus ipſius longè diſtaret, ſicut & ſenſerunt nonnulli Patres Gotteſchalco coætanei, quos in principio articuli allegauimus, operæ prætium eſt Gotteſchalci dicta, quaſi corpus delicti, palàm exponere, vt ex

eorum inſpectione innoteſcat, an iure, vel iniuria ipſi attribuatur, quod fuerit Prædeſtinatianæ hæreſeos defenſor, & inſtaurator.

Habemus autem huiuſmodi dicta recenſita in epiſtola Hincmari ad Nicolaum I. Pontificem Maximum, hoc tenore verborum.

Dicit (nempè Gotteſchalcus) *quod & veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quoniam ſicuti Deus quoſdam ad vitam æternam, ita quoſdam prædeſtinat ad mortem æternam.*

Dicit, quod veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines ſaluos fieri, ſed tantùm eos, qui ſaluantur. Omnes autem ſaluari, quoſcumque ipſe ſaluari voluerit, ac per hoc quicumque non ſaluantur penitùs non eſſe voluntatis ipſius, vt ſaluentur. Quoniam ſi non omnes ſaluantur, quos vult Deus ſaluos fieri, non omnia quæcumque voluit fecit, & ſi vult, quod non poteſt, non omnipotens, ſed infirmus eſt.

Dicit, quod & veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quod non pro totius Mūdi redemptione Dominus, & Saluator noſter IESVS CHRISTVS *ſit crucifixus, & mortuus, ſed tãtum pro his, qui ſaluantur.*

Dicit quoque modo diſpari traditione, ſed pari errore, quod & veteres Prædeſtinatiani dixerunt, exponens ſententiam Apoſtoli Petri, eum qui emit eos negantes, Baptiſmi inquit Sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem ſubijt, neque mortem pertulit, neque ſanguinem fudit.

Hæc Hincmari Epiſtola habetur apud Flodoardum *lib.* 3. *c.* 14. & ex ipſo refertur à Binio apud Labbe *tom* 8. *Concil. pag.* 54. eamque reuerà ſcriptam fuiſſe ab Hincmaro Summo Pontifici Nicolao, nemo negare audet. Nihil autem in ea Hincmarum Gotteſchalco calumnioſè affigere, ex eo inferri poteſt, quod paratum ſe eſſe ſcribat ad eum Romam mittendum, vt ipſe Summus Pontifex per ſe doctrinæ illius periculum faceret; ex quo Hincmari fallacia, ſi fuiſſet in dolo, coram toto Mundo diſcooperiri poterat, quod ſuæ famæ intererat omninò vitare.

Quamobrem Gotteſchalci fautores, vt ipſum ab hæreſi liberent, eo dirigunt ſuæ intentionis conatum, vt dictis propoſitionibus ſanum ſenſum accommodent; in eoque expreſſas fuiſſe à Gotteſchalco ſuſtineant. Et ſanè primum dictum immune eſſe ab omni cenſura reputant; quia eo modo loquendi vſus eſt etiam D. Auguſtinus *libr. de Ciuitate Dei cap.* 24. inquiens: *Quid igitur dabit eis, quos prædeſtinauit ad vitam, qui hæc etiam dedit eis, quos prædeſtinauit ad mortem?* Et Sanctus Fulgentius etiam *lib. ad Monimum cap.* 13. ait: *Potuit, ſicut voluit prædeſtinare quoſdam ad gloriam, quoſdam ad pœnam.* Itaque horum Sanctorum Patrum veſtigia ſecutus Gotteſchalcus Prædeſtinationem ad mortem adſtruxit, id eſt, ad pœnam, non autem ad culpam. Et ita dictum illud eſt expers omnis cenſuræ ex Mauguino in tota ſua diſſertatione, præſertim *cap.* 11. & ex Contenſonio *loco ſuprà allegato.*

Et quidem in hoc puncto verſabatur cardo controuerſiæ inter fautores Gotteſchalci, eiuſque cenſores. Iſti namque putabant, non poſſe dici

Ca-

Catholicè, quod Deus prædeſtinet aliquos ad mortem, ex hoc enim deduci exiſtimabant, quod etiam Deus prædeſtinaret ad culpam; & idcircò vnicam ſolùm prædeſtinationem, ſcilicet ad vitam adſtruendam eſſe cenſebant. Illi verò Gotteſchalci fautores acriter vrgebant Prædeſtinationem impiorum ad mortem admittendam eſſe, quia illam admiſit Auguſtinus, quin indè inferri poſſit, quod Deus prædeſtinet etiam ad culpam, quod eſt blaſphemia. Ideoque geminam prædeſtinationem in Deo conſtituendam eſſe putabant, aliam, ſcilicet ad vitam, aliam ad mortem.

Pro tollenda æquiuocatione, quæ in hac materia inuoluitur, eamque obſcurat, vnum oportet aduertere, quod à noſtris Authoribus prætermittitur, & multùm confert nedum ad Gotteſchalci damnationem firmandam, ſed etiam ad fundamenta aduerſariorum penitùs deſtruenda. Illud autem eſt, quod prædeſtinatio dupliciter ſumi poteſt. Nempè adæquatè, & inadæquatè. Adæquatè ſumitur, quatenùs attingit directiuè, & influxiuè, tàm finem, quàm media conducentia ad finis conſecutionem: vtramque enim attingentiam includi in prædeſtinatione, patet ex eius definitione, qua dicitur, quod eſt præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. Inadæquatè verò prædeſtinatio ſumitur, quatenùs præcisè attingit finem, non attingendo influxiuè, & cauſatiuè media per ſe conducentia ad finem, licet illa præuiſa ſupponat. Hoc ergò animaduerſo.

Dicimus ad fautores Gotteſchalci, quod Sancti Patres allati conſtituentes prædeſtinationem ad mortem, ſeù ad interitum, locuti ſunt procul dubiò, de prædeſtinatione ſumpta inadæquatè in ſenſu explicato, quo pacto importat quidem decretum de æterna punitione tanquã de fine, non autem affert influxum cauſatiuum mediorum per ſe conducentium ad talem finem, quæ ſunt demerita, & peccata: nullatenus autem locuti ſunt de prædeſtinatione adæquatè ſumpta, quia ſemper negarunt, quod Deus per decretum reprobatiuum in peccata influeret, ſeù ad illa promoueret, tanquam media conducentia in damnationem; ſic enim eodem modo conſtituerent in Deo prædeſtinationem ad vitam, & prædeſtinationem ad mortem: ex quo vtique ſequitur, quod ſicut humana ſalus reducitur in Deum tanquam in primam radicẽ ſaluationis, ita etiam humanus interitus reduceretur in Deum, tanquam in primam radicem perditionis, cõtra illud Oſeæ *cap. 13. Perditio tua Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum*: & quod ſicuti Deus eſt Author meritorum, ita eſſet Author peccatorum, contra illud Iacobi 1. *Deus intentator malorum eſt*. Quas blaſphemias Sanctis Patribus attribuere iniquiſſimum eſſet.

Cæterum Gotteſchalcus, dum poſuit prædeſtinationem ad mortem, ſicuti prædeſtinationem ad vitam, ex terminis ſui dicti, ſatis apertè indicauit, quod prædeſtinationem adæquatè ſumebat. Nam dictio (*ſicuti*) iuxtà Gotteſchalci ſenſum in re præſenti omnimodam ſimilitudinem importat, quam aliquando importare cer-

Ddd 2 tum

tum eſt, vt diximus ſuprà, & docet Barboſa *tract. de dictionibus dict.* 366. *num.* 1. Hoc autem pacto Gotteſchalcum particulam *ſicuti* ſumpſiſſe conſtat ex epiſtola Synodica Rabani ad Hincmarum infrà referenda, in qua narrat, quod Gotteſchalcus ponebat prædeſtinationẽ Dei eſſe ſicut in bono, ita & malo. Propter hũc intolerabilem errorem, idem Rabanus, Hincmarus, & Amolo, & cœteri Patres Synodi Moguntinæ, & Cariſiacæ ipſum vrgebant, vt talem prauam doctrinam de duplici prædeſtinatione, vtique ſimili, & conformi abiuraret; ſciebant enim id pertinere ad Hæreſim Prædeſtinatianam damnatam in Concilio Arauſicano II. *Can.* 25. ibi: *Aliquos verò ad malum Diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantùm malum credere velint, cum omni deteſtatione illis Anathema dicimus.* Hoc ergò tantum malum crediderunt Prædeſtinatiani antiquiores, qui primam radicem perditionis refundebant in Diuinam voluntatem, vt patet ex epiſtola Fauſti ad Lucidum, & ex libello retractatorio Lucidi in præcedenti Articulo propoſitis, & examinatis. Eamdemque hæreſim ab orco reuocauit Gotteſchalcus, vti verba ex ipſo ab Hincmaro relata ſonant. Qua de re omnis admiratio ceſſat, ex quo noſtris etiam temporibus Lutherani, & Caluiniſtæ in eumdem errorem prolabuntur, quos damnat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *Can.* 6. ibi: *Si quis dixerit, &c. Mala opera, itaut bona Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeout ſit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli Anathema ſit.*

Conſultò autem, ac data opera particula, *ſicut*, ea in re vſus eſt Gotteſchalcus, vt videlicet ambigua particula vtens, quæ ſenſum Catholicum, & ſenſum ab eodem Gotteſchalco intentum habere poterat, ambiguis verbis Hæreticorum more, ſuum celaret errorem, qui erat ille, quod eodem modo Deus homines prædeſtinaret ad Gloriam, & ad pœnam, itaut ſicut Deus prædeſtinando homines ad Gloriam, illos etiam ordinat ad merita, tanquam media, per quæ Gloriam ſunt conſecuturi, ita etiam homines prædeſtinando ad pœnam, illos pariter inducat ad peccata, per quæ damnationem incurrẽt. Sicut etiam in vtraque prædeſtinatione errabat adſtruendo, quòd ex prædeſtinatione ad vitam, nulla in Electis relinqueretur libertas, qua poſſent damnationem ſubire. & ex prædeſtinatione ad mortem, nulla in reprobis relinqueretur libertas, qua poſſent conſequi ſalutem. Et quia Gotteſchalcus in ea re mentem ſuam nunquam aperire voluit, nec aliqua diſtinctione vſus eſt, qua ſuum dictum in rectum ſenſum traduceret, & alios errores doceret, qui ſupponebant, vel ſequebantur errores illos circa prædeſtinationem, & reprobationem hominũ, euidens eſt Gotteſchalcum in his erraſſe.

Dixi, quod errabat Gotteſchalcus in vtraque prædeſtinatione conſtituenda: quia putabat in eo, qui eſt prædeſtinatus ad vitam, nullam remanere potentiam ruendi in damnationem, & in eo, qui eſt prædeſtina-

tus

tus ad mortem nullam remanere potentiam ad ſalutem conſequendam. Quod enim Gotteſchalcus ita reuerà ſentiret deducitur ex epiſtolis Rabani ad Nottingum Epiſcopum, & ad Eberardum Comitem, quarum verba retulimus in prima probatione concluſionis §. 1. Poteſtque amplius confirmari ex epiſtola Synodica eiuſdem Rabani ſcripta ad Hincmarum, vbi inter alia, hæc habet. *Notum ſit dilectioni veſtræ, quod quidam Girouagus Monachus nomine Gotteſchalcus de Italia venit ad nos Moguntiam nouas ſuperſtitiones, & noxiam doctrinam de Prædeſtinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens, dicens, quod prædeſtinatio Dei, ſicut in bono, ſit ita & in malo, & tales ſunt in hoc Mundo quidam, qui propter prædeſtinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore, & à peccato ſe corrigere, quaſi Deus eos feciſset ab initio incorrigibiles eſſe, & pœnæ obnoxios in interitum ire.*

Idemq; probatur ex epiſtola Amolonis Archiepiſcopi Lugdunenſis ad ipſum Gotteſchalcum ſcripta, & primum edita à P. Sirmondo, extatque in Bibliotheca Maxima Patrum edita Lugduni. Hic ergò Archiepiſcopus viſis ſcriptis Gotteſcalci poſt ſuam damnationem elaboratis, & recepta ab eodem Gotteſchalco epiſtola, ad eumdem reſpondit hoc tenore verborum: *Perlata eſt ad nos quædam ſcriptura tua, in qua apertiſſimè, & prolixo ſermone, atque etiam, vt tibi viſum eſt, etiam teſtimonio ſcripturarum, ſiuè Sanctorum Patrum quid ſentires, ſiuè doceres, multipliciter executus es. Nunc quoque accepimus alia ſcripta tua non parua, quæ ad Epiſcopos, vel contra Epiſcopos, qui in Concilio damnationi tuæ adfuerunt ſcripſiſſe, vel protuliſſe videris. In quibus quanta intenſione potuiſti de vna tantùm quæſtione, id eſt, de prædeſtinatione Diuina quid teneas diligenter explicare curaſti. Ita factum eſt, vt ex vtraque ſcriptura tua, ſiuè quam per alios, ſiuè quam te mittente accepimus, pleniſſimè cognoſcere videamur, in quibus quæſtionum periculis fluctuet, vel, quod nimis dolendum eſt, naufragetur ſenſus tuus.* Quid autem ſibi maximè diſpliceret exponit quarto loco inquiẽs: *Quartò loco diſplicet nobis valdè, quam durè, & indiſciplinatè, & immaniter de Diuina Prædeſtinatione ſentis, & loqueris in damnatione reproborum, vt omnes illi, qui ad ſiniſtram ponendi ſunt in die Iudicij, & cum Diabolo, & Angelis eius pro malis meritis ſuis æterno igne damnandi, ita ſint diuinitùs ad interitum prædeſtinati, vt eorum nullus proſui potuerit aliquando, nullus poſſit ſaluus eſſe, &c.* Prætereà ſubdit: *Quinto loco non minus deteſtamur, et horremus, quod ita exarſiſti aduerſus eos, qui æterno incendio ſunt digni, vt dixeris eos tam irreuocabiliter, et incommutabiliter perditioni eſſe prædeſtinatos, ſicut Deus ipſe incommutabilis, et inconuertibilis eſt, et Epiſcopos ad quos ſcribis, quaſi miſericorditer adhortaris, vt hoc prædicent Populis, vt quia iam præfinitam damnationem euadere non poſſunt, ſaltem aliquantulum Deo ſupplicent, et humilientur, vt ſtatutas eis, vel modicum mitiget, vel leuiget pœnas, &c.* Ecce quomodò Gotteſchalcus explicabat

cabat ſuam pernicioſam ſententiam de prædeſtinatione Dei ad interitum, nimirùm ita, quod nullam in reprobis relinqueret potentiam ad conſequendam ſalutem.

Reſpondet ad hoc Mauguinus *cap.* 22. ſuæ diſſertationis: Præfata ſcripta, quæ peruenerunt ad Amolonem, non eſſe genuina Gotteſchalci, ſed ipſi attributa fraudulentia Hincmari: cuius fraudulentæ ſuppoſitionis potiorem rationem non affert, niſi quia Gotteſchalcus in carcere conſtitutus, non habebat commoditatem ſcribendi.

Sed in refellendis iſtis euanidis diuinationibus non eſt immorandum. Sanè credendum eſt epiſtolam Amolonis Gotteſchalco redditam fuiſſe: nam ſi liberè dicitur, quod non habebat commoditatem ſcribendi, non tamen prætenditur, quod ei deficeret etiam lux neceſſaria ad legendum. Dato autem, quod epiſtola Amolonis ſibi ſcriptam perlegerit, ſtatim vtique percepiſſet ad ſe non ſpectare, ſi verum eſt, quod Mauguinus diuinat, nempè quod nunquam Gotteſchalcus ad Amolonem ſcripſerit de carcere. Ideoque de tali fraude conquæſtus fuiſſet, & multò magis de erroribus, qui per Amolonis epiſtolam ſibi attribuebantur, ſi eorum prauitas, vt prætenditur ex aduerſo, ſuæ ſententiæ non erat conformis. Cum igitur nullum appareat veſtigium huius querelæ, Mauguini latratus aduerſus Hincmarum ceſſare deberent.

Denique idem probari poteſt authoritate Hincmari in epiſtola 25. ad Egilonem Archiepiſcopum Senonenſem, in qua Gotteſchalci errorem circa prædeſtinationem, & reprobationem ita deſcribit. *Liberi arbitrij opera, ſiuè bona, ſiuè mala nihil valere ad meritum, ſed ſiuè ad vitam, ſiuè ad mortem cuncta Dei prædeſtinationem agere ab iſta praua doctrina enucleatur, à qua & reprobis tollitur meritum damnationis, & iuſtis meritum aufertur ſalutis, ac per hoc nec illi iuſtè damnantur, qui iuſti eſſe non poſſunt, nec iſti iuſtè remunerantur, quia aliud quam iuſti eſſe non poſſunt.*

Reſpondent Aduerſarij ſpicula in Hincmarum iterum, atque iterum intorquendo. Dicunt enim nullam fidem ei dandam eſſe, Quia teſte Baronio, & Spondano fuit obtrectator Pontificis, litterarum Apoſtolicarum falſificator, in Sedem Romanam ſæpè contumax, Conciliabulorum incentor, Innocentium Epiſcoporum iniuſtus perſecutor, ſeptimi Concilij Generalis contemptor, inſtigator Regis, & aliquorum Epiſcoporum Gallicanorum aduerſus Apoſtolicæ Sedis iura.

Sed iſta crimina Hincmaro attributa commentitia eſſe, oſtendit Cellotius in apparatu ad Hiſtoriam Gotteſchalci *ſeſſ.* 5. & 6. eiſque opponit præclaras laudes Hincmaro datas à Summis Pontificibus Leone IV. Benedicto III. Nicolao I. quæ videri poſſunt. Interim audiatur Baronius quamquam in multis Hincmaro infenſus, qui dicit ad annum 845. quod eius initia laudabilia fuerunt, & ad hæc ſpectant acta in Gotteſchalcum, quæ idem Baronius narrans ad annum 848. fatetur diù, multumque decertandum Hincmaro fuiſſe ad-

uer-

uerſus Beſtiam hanc. Et tamen aduerſarij, vt hanc beſtiam ab hæreticali lapſu eripiant, Hincmarum flagellant. Sed nihil proficit hæc iniquitas;quandoquidem Hincmari ſinceritas in recenſendis erroribus Goteſchalci, conſenſione Rabani, & Amolonis egregiè comprobatur.

Poſſet tamen pro defenſione Goteſchalci aliter reſponderi authoritatibus allegatis tàm Hincmari, quàm Rabani, & Amolonis, dicendo,quod quando ille docebat, quod prædeſtinatus ad vitam, non poteſt damnari; & prædeſtinatus ad mortem, non poteſt ſaluus eſſe, id intelligebat in ſenſu compoſito, non autem in ſenſu diuiſo, per quam diſtinctionem vitatur omnis error ex communi ſententia Theologorum.

Cœterùm, quod hæc reſponſio nullatenus ſubſiſtat,multipliciter oſtédi poteſt. Primò, quia non eſt credibile, quod ſapientiſſimi Archiepiſcopi Rabanus, Amolo, & Hincmarus, poſt tot collationes cum Goteſchalco habitas de ſua doctrina,mentem ipſius non fuerint plenè aſſecuti. Si ergò in hac parte illam damnarunt tanquam erroneam, & hæreticam, proculdubiò putandum eſt, id contigiſſe, quia ſibi perſpectum erat, quod dum ille negabat in prædeſtinatis ad vitam, potentiam ad perditionem, & in prædeſtinatis ad mortem, potentiam ad conſequendam ſalutem, id intelligebat de potentia nedùm in ſenſu compoſito,ſed etiam in ſenſu diuiſo.

Secundò.Quia propoſitiones Goteſchalco attributæ, & damnatæ per dictos Antiſtites ex terminis negãt in Prædeſtinatis ad vitam omnem potentiam ad interitum, & in prædeſtinatis ad mortem omnem potentiam ad vitam: hoc enim ſonant illa verba Rabani ad explicandam Goteſchalci ſententiam, *quod prædeſtinatus ad mortem, nullo modo poſſit ſe ad vitam recuperare, & quod ſi velit ſaluus fieri fruſtra, & in caſſum laboret, & quod Deus prædeſtinatione ſua cogat homines interire*. Et quod dixit Amolo,quod Reprobi ſint ita diuinitus ad interitũ prædeſtinati, vt eorũ nullus prorſus potuerit aliquando ſaluus eſſe.Et quod dixit Hincmarus, quod ex prædeſtinatione, quam ponebat Goteſchalcus,tollebatur à Reprobis meritum damnationis, & iuſtis meritum auferebatur ſalutis, & per hoc reprobi non iuſtè damnantur, quia iuſti eſſe non poſſunt, & iuſti non iuſtè remunerantur, quia aliud quam iuſti eſſe non poſſunt; Hæc enim omnia denotant,ex prædeſtinatione Diuina tolli libertatem ad meritum, vel demeritum, conſequenter imponi neceſſitatem abſolutam, quæ non ſtat cum potentia ad oppoſitum etiam in ſenſu diuiſo.

Tertiò. Quia hæc propoſitio abſolutè prolata, *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum non poteſt diſſentire ſi velit*, eſt hæretica, vtpotè damnata per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. Can.* 4. Ergò etiam iſtæ abſolutè prolatæ ſunt hæreticæ, vel ſaltem erroneæ. *Homo iuſtus,qui eſt à Deo prædeſtinatus ad mortem, non poteſt vſque in finem perſeuerare, ſi velit, et ſic ſaluari, et peccator, qui eſt prædeſtinatus ad vitam, non poteſt vſq; ad mortem Deo vocanti diſſentire, ſi velit,*

lit, et ſic damnari. Non enim poteſt aſſignari ratio, cur illa prior ſit damnata, & non iſtæ poſteriores, quæ ſanè cum illis, quas Gotteſchalcus effutiebat,apprimè conueniunt.Ideoque benè dixit Amolo, quod Gotteſchalcus durè, indiſciplinatè, & immaniter de Diuina prædeſtinatione ſentiebat.

Quartò denique. Reijcitur eadem reſponſio obſeruando latum diſcrimen, quod reperitur inter propoſitiones à Gotteſchalco expreſſas, & aliam Diuo Auguſtino obiectam, nempè hanc, *Si qui obeditis, ſi præſciti eſtis, obedire ceſſabitis*. Hanc ergò propoſitionem verſans S. Doctor *lib. de dono perſeuerantiæ cap.* 22. ait, hoc veriſſimum eſſe,ſed improbiſſimum, importuniſſimum, incongruentiſſimum,non falſo eloquio, ſed non ſalubriter valetudini humanæ infirmitatis appoſito; nam, vt paulò ante præmiſerat aduerſus quorumdam imprudentiam, qui dum vera prædicent, ſe excuſatos putant: *Doloſi, vel imperiti medici eſt etiam vtile medicamentum ſic alligare, vt non proſit, aut obſit*. Optimè quidem iſta protulit Auguſtinus de illa propoſitione, *ſi qui obeditis, ſi præſciti eſtis, obedire ceſſabitis*, quia per talem propoſitionem denotatur, quod cum præſcientia reprobatiua Iudæ, exempli gratia, non compatiatur actus conſecutiuus ſalutis, quod eſt veriſſimum.At propoſitiones Gotteſchalci, non ſolùm denotant, quod cum præſcientia reprobatiua alicuius non compatiatur actus conſecutiuus ſalutis, ſed etiam enunciant, quod cum illa non compatiatur potentia conſequendi ſalutem, quæ potentia nonniſi per impoſitionem abſolutæ neceſſitatis ad interitum auferri poteſt; conſequenter propoſitiones Gotteſchalci ſupra relatæ non ſolùm imprudenter, ſed etiam erroneè, vel hæreticè prædicantur.

Mitto, quod Gotteſchalci doctrina de inconſequentia manifeſtiſſimè redargui poteſt. Quandoquidem aiebat ex vna parte, quod reprobus non poterat vitare damnationem ad pœnam quoad ſubſtantiam ſtatutam à Deo: ex alia verò parte ſentiebat, quod poſſet vitare gradualem intenſionem pœnæ infligendæ; idcircò enim Epiſcopos hortabatur, vt Populis prædicarent, vt quia iam præfinitam damnationem euadere non poſſunt, ſaltem aliquantulum Deo ſupplicent, & humilientur, vt ſtatutas eis, vel modicum mitiget, vel leuiget pœnas, vt patet ex epiſtola Amolonis ſuperiùs allegata. Si ergò ſupponebat à Deo ſtatutas pœnas non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad grauitatis intenſionem, & tamen exiſtimabat ſtatutam grauitatem per humiliationem, & ſupplicationem poſſe mitigari, & diminui; nonniſi inconſequenter autumabat, quod reprobi ſanctè, & piè viuendo non poſſent pariter ſtatutam damnationem quoad ſubſtantiam effugere.

Reliqua Gotteſchalci dicta ab Hincmaro relata adeò patenter ſenſum hæreticalem produnt, vt non ſit opus in eius manifeſtatione laborare contra interpretationes,quas afferunt aduerſarij ad illa præſeruanda ab errore.

Paragraphus Tertius.

Afferuntur quatuor Capitula Cariſiaca, quibus errores Gotteſchalci reprobantur.

QVatuor annis poſt latã in Gotteſchalcum damnationis ſententiam celebrata fuit alia Synodus Cariſiaca anno videlicet 853. vt notat Labbe *tom. 7. Concil. pag. 56. in margine*. In ea autem edita fuerunt pro reprobandis Gotteſchalci erroribus quatuor capitula, quæ ſunt tenoris ſequentis,

Primum Capitulum. *Deus omnipotens hominem ſine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, et in Paradiſo poſuit, quem in ſanctitate iuſtitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio malè vtens peccauit, et cecidit, et factus eſt maſſa perditionis humani generis. Deus autem bonus, et iuſtus elegit ex eadem maſſa perditionis ſecundum praſcientiam ſuam, quos per gratiam prædeſtinauit ad vitam, et vitam illis prædeſtinauit æternam: Cæteros autem, quos iuſtitiæ iudicio in maſſa reliquit, perituros præſciuit, ſed non, vt perirent, prædeſtinauit; pœnam autem illis, quia iuſtus eſt, prædeſtinauit æternam: ac per hoc vnam tantùm prædeſtinationem tantummodò dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iuſtitiæ.*

Intentum huius Capituli eſt ſtatuere diſcrimen, quod intercedit in prædeſtinatione, prout pertinet ad electos, & prout pertinet ad reprobos, quod in præcedenti Paragrapho latè explicauimus. Hîc verò illud addendum eſt, quod Patres Cariſiaci iuxtà Auguſtini doctrinam expoſuerunt prædeſtinationem electorum ad Gloriam, nimirùm definientes illam, vtpotè ex gratia, & à miſeria peccati originalis, antecedere præuiſionem meritorum. Et reprobationem etiam eorum, qui damnantur videntur explicuiſſe conformiter ad ſententiam S. Auguſtini ponentis, quod in intentione facta fuerit reſpectu omniũ propter peccatum originale præuiſum, & ante præuiſionem peccatorum actualium, quamuis in executione reſpectu eorum, quibus præuidebatur peccatum originale remittendum, pœna damnationis decreta fuerit à Deo, non propter originale, ſed propter actualia peccata præuiſa, de qua ſententia latè diſputãt Theologi *prima parte quæſt. 23. artic. 3.* Quod autem concluditur in eodem Capitulo, vnam tantùm prædeſtinationem eſſe ponendam, refertur ad illud, quod ſuprà expoſuimus in præcedenti Paragrapho: id enim definitur ad vitandum errorem Gotteſchalci; qui ponendo, quod reprobi prædeſtinentur à Deo ad interitum, id intelligebat de prædeſtinatione adæquatè ſumpta, per quod dabatur intelligi, quod etiam prædeſtinantur ad culpam; Ad hanc igitur blaſphemiam effugiendam, vnam ſolùm prædeſtinationem ad vitam admittere maluerunt. Catholicè tamen admittentes circa reprobos prædeſtinationem ad pœnam; quod eſt prædeſtinationem inadæquatè ſumere in ſenſu ſuperiùs explicato.

Secundum Capitulum. *Liberta-*

tem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Chriſtum Dominum noſtrum accipimus, et habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum, et adiutum Gratia, et habemus liberum arbitrium ad malum deſertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia Gratia liberatum, et gratia de corruptio ſanatum.

Intentum huius Capituli eſt libertatem arbitrij ſtatuere, ſiuè ad bonum, ſiuè ad malum contra Prædeſtinatianos, qui credebant per Diuinam Prædeſtinationem, ſiué ad vitam, ſiuè ad mortem ad benè, vel malè operandum neceſſitatem inferri. Quod autem dicitur in iſto Capitulo, quod in primo homine libertatem arbitrij perdidimus intelligendum eſt de libertate, ſeú poteſtate ad efficienda opera bona proficua ad ſalutem. Etenim huiuſmodi poteſtas, amiſſa gratia per peccatum remanſit extincta iuxtà Catholicam ſententiã contra Semipelagianos. Quam definiuit Concilium Arauxicanum II. *Can.* 7. Quod verò additur *nos habere liberum arbitrium ad malum deſertum gratia*, non ſic debet intelligi, quod amiſſa Gratia non habeamus libertatem, vel poteſtatem niſi ad malum, ſiquidem hæc propoſitio continetur inter damnatas in peculiari Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaelem Baium, vbi inter alias propoſitiones iſtæ damnantur. Prima: *Liberum arbitrium ſine Gratia, & Dei adiutorio nonniſi ad peccandum valet*. Secunda: *Pelagianus eſt error dicere, quod liberum arbitrium valeat ad vllum peccatum vitandum*. Tertia: *Cum Pelagio ſapit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex natura ſolis viribus ortum habet agnoſcit*: Quarta: *Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſiuè non malus, & Gratiæ Chriſti iniuriam facit, qui ita ſentit, & docet*. Cum ergò præfata propoſitio in Capitulo expreſſa non ſit excluſiua, non coincidit cum propoſitionibus Baij damnatis, quæ per particulam excluſiuam conceptæ fuerunt, vt patet. Quamobrem per hoc, quod aſſeritur nos habere liberum arbitrium ad malum deſertum Gratia, non negatur, quod etiam habeamus, abſque ſpeciali adiutorio Dei liberum arbitrium ad bonum aliquod morale ordinis naturæ. Nec mirandum eſt, quod huiuſmodi opera bona ordinis naturæ fuerint prætermiſſa ab iſta Synodo Cariſiaca; quia etiam prætermiſſa fuerunt à Synodo Arauxicana II. dum Canone 22. definiuit, quod *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum*, vt nimirùm innueret, quod licet homo ex ſui arbitrij libertate poſſit facere aliqua bona opera moralia ordinis naturæ ſine ſpeciali Dei auxilio; attamen quia illa nullatenus conferunt ad iuſtificationis gratiam obtinendam, quaſi nullius momenti eſſent, non merentur in cõſideratione haberi. Poſtrema autem verba Capituli deſumpta ſunt ex illo Ioannis 8. Vbi veritas dixit, *ſi vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis &c.*

Tertium Capitulum. *Deus omnipotens omnes homines ſine exceptione vult ſaluos fieri, licet non omnes ſaluentur. Quod autem quidam ſaluantur, ſaluantis eſt donum. Quod autem quidam pereunt, pereuntium eſt meritum.*

In-

Intentum huius Capituli eſt manifeſtum ex terminis, & error Prædeſtinatianorum in eo damnatus; iam olim ab Apoſtolo confixus fuerat *primæ ad Timoth.* 2. ibi: *Qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, &c.*

Quartum Capitulum. *Chriſtus Ieſus Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cuius natura in illo aſſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, vel erit homo pro quo paſſus non fuerit, licet non omnes paſſionis eius myſterio redimantur: Quod verò omnes paſſionis eius myſterio non redimãtur, non reſpicit ad magnitudinem, & pretij copioſitatẽ, ſed ad infidelium, & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, reſpicit partem. Quia poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt infirmitate noſtra, & virtute Diuina, habet quidem in ſe, vt omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.*

Intentum etiam huius Capituli clariſſimum eſt, vndè in illius explicationem nihil addendum cenſemus.

Paragraphus Quartus.

Afferuntur Canones Synodi Valentinæ nonnihil diſſentientes à Capitulis Cariſiacis, conuenientes tamen cum eiſdem in condẽmnationem Gotteſchalci.

Capitula Cariſiaca tot habuerũt obtrectatores, quot Hincmarus æmulos. Hinc indè plura opuſcula edita fuerunt ad illa defendenda, vel refellenda, non pauca fragmenta dictorum opuſculorum affert Natalis Alexander *Sæculo 9. par. 2. diſſert.* 5. à §. 6. *vſque ad* 9. vbi benè conciliat diſſidentium dicta, ita quod nullus aduerſariorum faueat erroribus Gotteſchalci, & concertantium lis non tam videatur fuiſſe de re, quàm de modo loquendi. Ideò ab eorum relatione duximus ſuperſedendum.

Sed non poſſumus diſſimulare confixionem dictorum Capitulorũ, quæ facta fuit in Concilio Valentino celebrato anno Domini 855. in quo ſex Canones conditi fuerunt, in quarto verò Canone ſic habetur. *Porrò Capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum* (nempè Cariſiaco) *minus proſpectè ſuſcepta ſunt propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati &c. à pio auditu fidelium penitùs explodimus, & vt talia, & ſimilia caueantur per omnia authoritate Spiritus ſancti interdicimus.*

Ecce, quod Capitula Cariſiaca abolita fuerunt per Concilium Valentinum, quod potioris authoritatis cenſeri debet, quàm Cariſiacum, nam ad illud conuenerunt Epiſcopi trium Prouinciarum, ſcilicet Vienenſis, Lugdunenſis, & Arelatenſis. Ad Cariſiacum autem pauci Epiſcopi, ita quod Conuenticulum potius appellari mereatur, quam Concilium. Vltra quod Concilium Valentinum fuit confirmatum authoritate Apoſtolica per Nicolaum I. teſte S. Prudentio in Annalibus ab Hincmaro citatis *epiſt.* 24. & vt refertur in annalibus Bertinianis ad annum 859.

Vt omninò conuellatur hæc oppoſitio, per quam Aduerſarij videntur canere triumphum, operæ prætium eſt Canones Concilij Valentini afferre, eoſque conferre cum Capitulis Cariſiacis.

Primus ergò Canon ſic habet. *Nouitates vocum, & præſumptiuas garrulitates, vndè potiùs inter fratres contentio, & ſcandalorum fomes excitari poteſt, quàm ædificatio vlla timoris Dei ſuccreſcere cum ſtudio omni deuitari iubet*, &c.

In iſto Canone nil continetur, quod ad rem noſtram proprius pertineat.

Secundus Canon. *Deus ab æterno præſciuit bonos, omninò per gratiam ſuam bonos futuros, et per eamdem gratiam æterna præmia accepturos. Malos præſcijſſe per propriam malitiam malos futuros, et per ſuam iuſtitiam æterna vltione damnandos. Nec prorſus vlli malo præſcientiam Dei impoſuiſſe neceſſitatem, vt aliud eſſe non poſſet, ſed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille ſicuti Deus, qui nouit omnia antequam fiant, præſcijt ex ſua omnipotenti, et incommutabili Maieſtate, nec ex præiudicio eius aliquem, ſed ex meritò propriæ iniquitatis condemnari. Nec ipſos malos ideò perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuoque vitio in maſſa damnationis, vel meritò originali, vel etiam actuali permanſerunt.*

Iſte Canon coincidit omninò cum ſenſu primi Capituli Cariſiaci, vſque ad poſteriora verba, *ac per hoc vnum tantùm* &c. & ſolùm ab eo diſcrepar, quia diſertiùs confodit errorem Gotteſchalci, quatenùs à Rabano, Amolone, & Hincmaro expoſitus fuit.

Tertius Canon. *Fidenter fatemur Prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem. In electione tamen ſaluandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum, in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere iuſtum Dei iudicium. Prædeſtinatione autem Deum ea tantùm ſtatuiſſe, quæ ipſe cum gratuita miſericordia, vel iuſto iudicio facturus erat, ſecundum Scripturam dicentem. Qui fecit, quæ futura ſunt. In malis verò ipſorum malitiam præſcijſſe, quia ex ipſis eſt, non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt. Pœnam ſanè malum eorum meritum ſequentem, vti Deum, qui omnia proſpicit præſcijſſe, et prædeſtinaſſe, quia iuſtus eſt, apud quem eſt, vt Sanctus Auguſtinus ait, de omnibus omninò rebus tàm fixa ſententia, quàm certa præſcientia. Vndè aliquos ad malum eſſe prædeſtinatos Diuina poteſtate, videlicet, vt quaſi aliud eſſe non poſſint, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantùm malum credere velint, cum omni deteſtatione ſicuti Arauxicana Synodus illis Anathema dicimus,*

Iſte Canon diſcrepat quidem in prioribus verbis à poſterioribus Capituli primi Cariſiaci, ſed per ſubſequentia ita illa priora explicantur, vt excludatur omnis diſcrepantia à ſenſu intento per Capitulum Cariſiacũ. Iſtud enim Capitulum conſtituendo vnam ſolùm prædeſtinationem ad vitam nihil aliud intendit, quam negare aliam prædeſtinationẽ ad mortem, ex qua inferretur peccandi neceſſitas, & peccatum ipſum tanquã medium conducens ad finem damna-

na-

nationis; ſeù intendit negare reſpectù damnationis prædeſtinationem adæquatè ſumptam, & vt includentem ſuo modo quidquid clauditur in prædeſtinatione ad æternam ſalutem, vt latè expoſuimus in ſecundo Paragrapho. Et quia prædeſtinatio ad æternam ſalutem claudit in ſe cauſalitatem omnium eorum, quæ circa prædeſtinatum contingunt, quia omnia in electis cooperantur in bonum. Ideò ad vitandam conſimilem intelligentiam loquendo de prædeſtinatione Reproborum ad mortem, eſt enim intollerabilis error, ſeù potiùs blaſphemia, quod ex tali prædeſtinatione cauſetur peccatum, Capitulo Cariſiaco placuit potiùs dicere, quod Deus pœnam reprobis prædeſtinet, quam quod reprobos prædeſtinet ad mortem æternam. His autem cauſalitatibus à prædeſtinatione ſecluſis, ſicuti ſecluduntur per explicationem contentam in Canone Valentino, proculdubiò Capitulum Cariſiacum admitteret, quod reprobi prædeſtinentur ad interitum, ſicuti expreſsè admiſit, quod Deus reprobis prædeſtinet pœnam. E contrà verò ſi Patres Valentini intellexiſſent, quod in nomine prædeſtinationis ad mortem importaretur cauſalitas omnium eorum, quæ conducunt ad finem damnationis proculdubiò negaſſent geminam prædeſtinationem, & conueniſſent cum Patribus Cariſiacis in cōſtituenda vna tantùm prædeſtinatione electorum ad vitam. Et ita manifeſtum relinquitur, quod diſſidium ortum inter Patres Cariſiacos, & Valentinos circa poſitionem vnius rantùm, vel geminæ prædeſtinationis redigebatur ad quæſtionem de nomine; Nam Patres Cariſiaci ideò negarunt prædeſtinationem reproborum ad mortem, quia intelligebant, quod nomine prædeſtinationis ſemper importatur influxus in media, quæ conducunt ad finem. Patres autem Valentini prædeſtinationem reproborum ad mortem admiſerunt, quia concipiebant nomen prædeſtinationis à præfato influxu poſſe præſcindere; Quæ ſanè quæſtio facilè ſolui poterat tollendo æquiuocationem latentem in hoc nomine *Prædeſtinatio*, conformiter ad ſuperiùs dicta in ſecundo Paragrapho.

Quemadmodum autem Concilij Valentinum in re non diſcordauit à Cariſiaco, ita cum eodem conuenit in refutando errore Gotteſchalci, quod egregiè præſtitit per explicationem contentam in Canone. Propterea enim dicitur *Deum in malis præſcire malitiam, et non illam prædeſtinare, quia ex ipſo non eſt.* Ideoque neminem ad malum eſſe prædeſtinatum, quod erat præcipuum caput erroris Gotteſchalci, vti conſtat per ſupradicta.

Quartus Canon, *Item de Redemtione Sanguinis Chriſti propter nimium errorem, qui de hac cauſa exortus eſt, itaut, quidam ſicut eorum ſcripta indicant, etiam pro illis impijs, qui à Mundi exordio vſque ad Paſſionem Domini in ſua impietate mortui æterna damnatione puniti ſunt, effuſum eum definiunt, contra illud Propheticum. Ero mors tua ò Mors, ero morſus tuus inferne, illud nobis ſimpliciter, ac fideliter, tenendum, et docendum placet iuxta Euangelicam, et Apoſtolicam verita-*

tatem, quod pro illis hoc datum prætium tenemus, de quibus ipſe Dominus noſter dicit, ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Porrò Capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum minus proſpectè ſuſcepta ſunt propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati, ſed & alia nouemdecim ſyllogiſmis concluſa, & licet iactetur nulla ſæculari literatura nitentia, in quibus commentum diaboli potiùs, quam argumentum aliquod Fidei deprehenditur, à pio auditu fidelium penitus explodimus, & vt talia, & ſimilia caueantur per omnia authoritate Spiritus ſancti interdicimus.

Prima pars huius Canonis, ne de errore notetur, ita debet exponi, vt nullatenus militet contra quartum Capitulum Cariſiacum. Pro quo aduertendum eſt ex communi Theologorum ſententia dupliciter intelligi poſſe Chriſtum Dominum ſanguinē fudiſſe in hominum redemptionem. Primò quoad ſufficientiam, ſecundò quoad efficaciam. Quoad ſufficientiam ſanguinem effudit in hominum redemptionem, nedum quia prætiū ſanguinis fuit ſufficientiſſimum, imò ſuperabundans ad homines redimendos, ſed etiam, quia ſincero affectu, & voluntate illum obtulit, vt homines redimeret, ſi per ipſos non ſteterit. Quoad efficaciam verò ſanguinem fudit in hominum redemptionem, quatenus efficaciter, & abſolutè voluit, vt per ſui prætioſi Sanguinis effuſionem homines de facto redimerentur, percipiendo fructum redemptionis. Patres Cariſiaci dum dixerunt in quarto Capitulo, quod Chriſtus pro omnibus hominibus vniuerſim paſſus fuit, licet non omnes Paſſionis eius myſterio redimantur, manifeſtè declararunt, quod loquebantur de Paſſione, quoad ſufficientiam volita, & oblata pro redemptione, & ſalute omnium hominum, quod neceſſariò fatendum eſt, ad vitandam cenſuram latam ab Innocentio X. & Alexandro VII. contra quintam propoſitionem Ianſenij, quæ talis erat. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Nullatenùs autem præfati Patres ſentire potuerunt, Chriſtum etiam efficaciter paſſum, & mortuum fuiſſe pro omnium hominum redemptione, & ſalute; cùm hoc enim cohærere non poſſet, quod aliqui de facto non redimantur, ſeù non percipiant fructum redemptionis: & ipſi expreſsè fatentur, quod licet Chriſtus pro omnibus Paſſionem pertulerit, attamen non omnes Paſſionis eius myſterio redimuntur. Itaque ſi Patres Valentini huic declarationi Cariſiacæ opponerentur decernendo in quarto Canone, quod Chriſtus neque quoad ſufficientiam mortuus fuerit pro omnibus hominibus, & ſignanter pro infidelibus, qui ante Paſſionis tempus deceſſerunt, procul dubiò incidiſſent in errorem in Ianſenio proſcriptum. Nè igitur hoc dicamus, cupientes authoritatem dicti Concilij defendere, fateri oportet, quod in præfato Canone ſolùm intenderunt decernere, quod Chriſtus

quoad

quoad efficaciam non ſit mortuus pro Infidelibus, qui ante ipſius Paſſionem obierunt, vtpotè, qui nullum fructum perceperunt ex eadem Paſſione, vt luculenter docetur à Patribus Cariſiacis in quarto Capitulo.

Secunda verò pars Canonis, vbi proſcribuntur quatuor Capitula Cariſiaca, tanquam à veritate, & à fide aliena eſt penitùs intolerabilis. Cellotius *lib.* 4. *Hiſtoriæ Gotteſchalci cap.* 21. §. *ad extremum*, & *cap.* 23. §. *coniecturam hanc*, quem ſequitur Natalis Alexander ſæculo 9. *tom.* 2. *diſſertatione* 5. §. 11. ſuſpicatur non ſine fundamēto illam clauſulam ſubdolè inſertam fuiſſe Canoni ab Ebbone Gratianopolitano, qui Valentinis Canonibus condendis præcipuam nauauit operam, vt conſtat ex his verbis, quæ habentur in Præfatione eiuſdem Synodi. *Collaborante eis quàm maximè Venerabili Ebbone Gratianopolitano Epiſcopo.* Hic enim occultas cum Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi gerebat ſimultates, vtpotè nepos alterius Ebbonis Senioris, qui aduerſus Ludouicum Piũ coniurauerat, quique ob illud crimen è Sede Remenſi deiectus fuit, & in propriam Cathedram ſuffectum Hincmarum ægerrimè tulerat. Auũculi ergò ſui dolorem vlciſci cupiens Ebbo Gratianopolitanus Hincmaro, & Cariſiacis Capitulis, quibus condendis præfuerat, liberius obtrectabat; vndè cum in Valentina Synodo plurimùm poſſet, eiuſque decreta componeret, ſuppoſuit clauſulam configentem quatuor capitula Cariſiaca, vt ſimul Authorem dictorum capitulorum, nempè Hincmarum ſauciaret.

Sed quidquid ſit de tali ſuſpiciòne, pro ſuſtinenda inconcuſſa authoritate Synodi Cariſiacæ, & ſimul deſpicienda confixione dictorum capitulorum, qualitercumque contigerit per Concilium Valentinum, ſatis eſt noſſe; quod præfata clauſula expuncta fuit ab illo Canone per Conciliũ Lingonenſe, quod fuit celebratum anno Domini 859. ad quod conuenerunt iidem Patres Concilij Valentini, non ex tribus tantùm, vt Valentinum, ſed ex duodecim Prouincijs congregatum, & pariter etiam à Synodo Tullenſi apud Saponarias, quindecim diebus poſt Lingonenſem celebrata, vbi relecti, & approbati fuerunt ſex Canones Concilij Valentini, ſed quartus Canon correctus fuit per expunctionem clauſulæ præfatæ, vt videri poteſt apud Labbe *tom.* 8. *Concil. pag.* 690. Vbi & benè aduertit in margine. Quod illi Epiſcopi iam cautiores expunxerunt, quæ Valentinæ Synodo inſeruerant, nempè *capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum*, &c.

Itaque ad omnem ambiguitatem tollendam Canon confectus à Patribus Concilij Valentini ſic habebat. *Porrò capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum minus proſpectè ſuſcepta ſunt propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, et errorem contrarium veritati, ſed et alia nouemdecim ſyllogiſmis concluſa, et licet iactetur nulla ſæculari litteratura nitentia, in quibus commentum Diaboli potius quàm argumentum aliquod fidei deprehenditur, à pio auditu Fidelium explodimus,*

mus, *etc.* Dictus ergò Canon in Concilio Lingonenſi, & Tullenſi ita correctus fuit. *Porrò Capitula decem, et nouem ſyllogiſmis ineptiſſimè, ac mendaciſſimè à quodam Scoto concluſa; vbi non argumentum Fidei, ſed potiùs cōmentum perfidiæ patet, nulla omninò Philoſophiæ arte, vt arroganter à quibuſdam iactatur, conſtructum, ſed inani fallacia, et deceptione imperitiſſimè confuſum, à pio auditu fidelium penitus excludimus.* Et ita patet, quod confixio, quam Canon Valentinus principaliter extenderat ad capitula Cariſiaca, abolita, reuocata, & retractata fuit etiam ab iiſdem Patribus Valentinis, qui interfuerunt ſequentibus Concilijs Lingonenſi, & Tullenſi, & meritò quidem. Nam capitula Cariſiaca in omnibus, & per omnia ſanam doctrinam continent, qua errores Prædeſtinatiani reprobantur. Secùs eſt de nouemdecim ſyllogiſmis contentis in opuſculo quodam de Prædeſtinatione Ioannis Scoti Erigenæ, quod confecit ad oppugnandum Gotteſchalcum ad inſtantiam Hincmari, ſed illud pluribus erroribus infecit, quos refellit Sanctus Prudentius in libro de Prædeſtinatione, qui habetur inſertus apud Mauguinum primo tomo. Ideò non eſt mirum, quod confixio capitulorum Ioannis Scoti Erigenæ facta per Canonem Concilij Valentini, etiam in ſequentibus Concilijs Lingonenſi, & Tullenſi approbata, & confirmata fuerit.

Quintus Canon. *Item firmiſſimè credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aqua, et Spiritu ſancto regenerata, ac per hoc veraciter Eccleſiæ incorporata; et iuxtà doctrinam Apoſtolicam in morte Chriſti baptizata in eius ſanguine ſit à peccatis ſuis abluta, quia nec in eis potuit fieri vera regeneratio niſi fieret, et noua redemptio, cum in Sacramentis nihil ſit caſſum, nihil ludificatorium, ſed prorſus totum verum, et ipſa ſui veritate, et ſinceritate ſubnixum; ex qua tamen multitudine fidelium, et redemptorum, alios ſaluari æterna ſalute, quia per Gratiam Dei in Redemptione ſua fideliter permanent, ipſius Domini ſui vocem in corde ferentes, qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Alios, quia noluerunt permanere in ſalute Fidei, quam initio acceperunt, redemptioniſque gratiam potius irritam facere praua doctrina, vel vita, quam ſeruare elegerunt, ad plenitudinem ſalutis, et ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo peruenire.*

Præſenti Canone configitur propoſitio Gotteſchalci, qua aſſerebat illos tantùm per Baptiſmum dici debere Sanguine Chriſti redemptos, qui ſaluantur, alios verò, qui Baptiſmum recipiunt, & damnantur, potiùs emptos dicendos eſſe, quàm redemptos, prout ſuprà retulimus ex Hincmaro in Epiſtola ad Nicolaum I. quæ propoſitio tandem coincidit cū hæreſi damnata ab Innocentio X. & Alexandro VII. in quinta Propoſitione Ianſenij, qua dicebatur, *quod Chriſtus non ſit mortuus pro omnibus hominibus*, de qua lata fuit hæc cenſura. Quod intellecta eo ſenſu, vt Chriſtus dumtaxat pro ſalute Prædeſtinatorum ſit mortuus, impia, blaſphema, contumelioſa, Diuinæ pietati derogans, & hæretica ſit.

Sex-

Sextus Canon. *De gratia, per quam ſaluantur credentes, & ſine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit, et de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, ſed per gratiam Domini Ieſu fidelibus eius redintegrato, et ſanato, id ipſum conſtantiſſimè, & fide plena fatemur, quod Sanctiſſimi Patres authoritate Sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arauxicana Synodus profeſſa eſt, quod Beatiſſimi Pontifices Apoſtolicæ Sedis Catholica Fide tenuerunt, ſed & de natura, & gratia in aliam partem nullo modo declinare præſumentes.*

Iſte Canon omninò conuenit in ſubſtantia cum ſecundo capitulo Cariſiaco. Eoque pariter configitur hæreſis Gotteſchalci, qui de libertate arbitrij eadem ſenſit, ac Lutherus, Caluinus, & alij hæterodoxi Prædeſtinatiani.

Ex his ergò manifeſtè liquet, oppoſitionem allatam in principio huius Paragraphi nullius eſſe momenti: quandoquidem Capitula Cariſiaca permanent in ſuo vigore, non obſtātibus definitionibus Concilij Valentini. Qui verò Synodo Cariſiacæ conuenticuli nomen adſcribunt exprobrandi ſunt. Conuenticula enim ſunt, vbi hæreſes defenduntur, non vbi damnantur, vti hæreſes Gotteſchalci ſalubribus definitionibus dānatæ fuerunt in Synodo Cariſiaca, eidem quoque damnationi ſuffragante Concilio Valentino, Lingonenſi, & Tullenſi per ſuperiùs dicta. Et mirùm eſt, quod Patres Valentini nonnihil infenſi Conuentui Cariſiaco eidem Concilij nomen adſcripſerint in quarto Canone, & modò petulanter, non Synodum, ſed Conuenticulum fuiſſe dicatur.

Quod autem Concilium Valentinum fuerit plurium Epiſcoporum, quàm Cariſiacum, non facit ad rem: tùm quia non in multitudine Dominus: tùm etiam, quia licet plures Epiſcopi ad illud conuenerint, tamen in errorem prolapſi ſunt, ex quo capitula Cariſiaca confixerunt, quiquidem error, vtpotè intolerabilis emēdari debuit à ſubſequentibus Concilijs Lingonenſi, & Tullenſi, vt patet ex ſuprà dictis. Et optimè dixit Baronius *tom. 10. ad annum 855. quod Synodus Valentina ſuos Canones edidit contra Gotteſchalcum*, ſicuti Synodus Cariſiaca contra eumdem hæreticum ſua capitula condidit, quod etiam notauit Cellotius *lib. 4. Hiſtoriæ Gotteſchalci cap. 20. §. Atque iſtud.*

Denique, quod Concilium Valentinum fuerit approbatum authoritate Nicolai Primi, nihil Cariſiacæ Synodo præiudicat, quin potiùs fauet. Quia cum per definitiones Valentini errores Gotteſchalci damnentur, vt ſuprà ponderauimus, tantò validius firmatur iſta damnatio, quantò potiori munitur authoritate, nempè Apoſtolica. Verumtamen eſt, quod non affertur teſtimonium adeò vrgens de tali approbatione, vt eam cogamur admittere. Etenim Annales Sancti Prudentij, in quibus perhibetur fieri de illa mentionem, non extant. Annales Bertiniani longo tempore poſt editi fuerunt, ideoque eorum atteſtatio, quacumque alia probatione deſtituta, non facit fidem irrefragabilem. Cellotius *libr. 4. hiſtoriæ*

ſtoriæ Gotteſchalci cap. 33. præfatæ approbationi non aſſentitur. Certiſſimè autem fatendum eſt, quod ſi talis approbatio Canonibus Valentinis acceſſit, id eſt intelligendum, de illis poſtquam correcti fuerunt per Concilium Lingonenſe, & Tullenſe, & nullo modo antequam dicta correctio contigiſſet. Quod eſt dicere, Canones Valentinos approbatos fuiſſe, expuncta, & retractata confixione Capitulorum Cariſiacorum, quæ incautè irrepſerat in quartum Canonem, quod benè cohæret cum Chronologia. Etenim correctio contigit Anno 859. in quo Cōcilium Lingonenſe celebratum fuit, & Nicolaus Primus laudatiſſimus Pontifex ad Superos euolauit Anno Domini 867. Et quidem ſi Apoſtolica approbatio Canonum Valentinorum contigiſſet ante correctionem eorumdem, non auſi fuiſſent Patres Lingonenſes, & Tullenſes, nec vllum apicem ab eis detrahere, atquè adeo ſubſtitiſſet malè concepta confixio capitulorum Cariſiacorum, aut potius ipſemet Pontifex eamdem confixionem reprobaſſet.

Cum igitur expuncta præfata cōfixione Canones Valentini benè intellecti, vti debent intelligi, ne de errore notari poſſint, omninò conueniant in ſubſtantia cum capitulis Cariſiacis, vt latè ſuperiùs oſtenſum eſt, eadem Apoſtolica approbatio illis aſſiſtens, iſta munit. Indeque benè argui poteſt cum Cellotio *lib. 4. Hiſtoriæ Gotteſchalci cap. 26. in fine*, contra Mauguinum, quod ſi Canones Valentini per Lingonenſem Synodum correcti adſcribi debent inter Eccleſiaſticas definitiones; id etiam ſine hæſitatione fatendum eſt de quatuor capitulis Cariſiacis. Præſertim, quia quartum capitulum Cariſiacum exactius concordare dignoſcitur cum definitionibus Innocentij X. & Alexandri VII. contra quintam propoſitionem Ianſenij, quàm Canon quartus Valentinus, vt conſideranti, patebit.

Paragraphus Quintus.

Aliæ quædam obiectiones Aduerſariorum afferuntnr, & diluuntur,

PRæcipua obiectione Aduerſariorum fundata in oppoſitione Synodi Valentinæ cum Cariſiaca penitùs deiecta, & diſſipata in præcedenti Paragrapho, ſuperſunt modò aliæ nonnullæ obiectiones pro complemento noſtræ Diſſertationis afferendæ, & diluendæ.

Obijciunt ergò primò. Nam quid ſenſerit Gotteſchalcus non poteſt melius inueſtigari, quàm ex propria ipſius confeſſione, quæ prout affertur à Mauguino *in primo tomo pag.* 7. eſt ſequentis tenoris. *Confiteor Deum omnipotentem, & incommutabilem preſciuiſſe, et prædeſtinaſſe Angelos ſanctos, et homines electos ad vitam gratis æternam. Et ipſum Diabolum caput omnium dæmoniorum cum omnibus Angelis ſuis Apoſtaticis, & cum ipſis quoque hominibus reprobis membris videlicet ſuis propter preſcita certiſſimè propter ipſorum futura mala*

me-

merita prædeſtinaſſe pariter per iuſtiſſimum iudicium ſuum in mortem meritò ſempiternam, &c. Cui confeſſioni per omnia conformatur chartula ſuæ profeſſionis ad Rabanum Epiſcopũ miſſa, quæ ſic habet. *Ego Gotteſchalcus credo, & confiteor, profiteor, & teſtificor ex Deo Patre per Deum Filiũ in Deo Spiritu ſancto, & affirmo, atque approbo coram Deo, et Sanctis eius, quod gemina eſt prædeſtinatio, ſiuè electorum ad requiem, ſiuè reproborum ad mortem. Quia ſicut Deus incommutabilis ante Mundi Conſtitutionem omnes electos ſuos incommutabiliter per gratuitam gratiam ſuam prædeſtinauit ad vitam æternam, ſimiliter omnes omninò reprobos, qui in die Iudicij damnabuntur propter ipſorum mala merita, idem ipſe incommutabilis Deus per iuſtum iudicium ſuum incommutabiliter prædeſtinauit ad mortem meritò ſempiternam.* Quibus accedit, & alia prolixior, ſimiliſque confeſſio, quæ videri poteſt apud Mauguinum, *vbi ſuprà pag. 9.* In quibus confeſſionibus nil non Catholicè dictum deprehenditur. Immeritò igitur Gotteſchalcus de Prædeſtinatianorum errore ſugillatur.

Reſpondetur neminem ignorare Hæreticorum verſutiam, & calliditatem, qua in fidei formulis edendis, ita verba componunt, vt ſuum errorem occultent, affectando in verborum cortice conſonantiam cum Catholicis Dogmatibus, vt incautos decipiant.

Quamobrem in confeſſionibus eorum, qui ſunt de hæreſi ſuſpecti, non ſolùm attendendus eſt ſuperficialis ſenſus verborum, ſed acutiùs penetrandus eſt ſenſus, qui ſub ſpecioſis verbis latitare poteſt ad mentem proferentis. Si enim latitare poſſit ſenſus erroneus, confeſſio refutanda eſt tanquam inſufficiens ad ſinceram Fidei proteſtationem. Marcionitæ negantes carnis reſurrectionem palam cum Catholicis proferebant hæc verba: *Væ qui in hac carne non reſurrexerint*, quibus videbantur ſuum errorem damnare, & tamen illa doloſè pronunciabant ad decipiendum; Per carnis reſurrectionem intimo erroneo ſenſu intelligentes exitum animæ à corpore, quia corpus vice ſepulchri cõcluſam animam in ſæcularis vitæ morte detineat, vt ad noſtrum intentum refert Tertullianus *in libro de carnis reſurrectione cap. 19.* Similiter Vitalis Apollinariſta, qui credebat in Chriſto eſſe ſolam Diuinitatem, & carnem, non autem Animam, rationem, & mentem, & nihilominus nõ abhorrebat fateri, quòd in Chriſto ſit Anima, mens, & ratio, quæ quidem confeſſio Vitalis tanquam Catholica fuit etiam approbata à S. Gregorio Nazianzeno, & à Damaſo Papa. Quis enim ſuſpicatus fuiſſet, eam profeſſionem non eſſe orthodoxam, & planè contrariam errori Apollinaris? Et tamen poſteà Vitalis dolo comperto, quia per Animam, rationem, & mentem, nil aliud intelligebat, quàm ipſam Diuinitatem, Damaſus, & Gregorius Vitalem ab Eccleſiæ cœtu abdicauit, fideique libellum cum Anathematiſmo deleuit, vt refert idem Gregorius Nazianzenus in ſecunda Epiſtola ad Cledonium.

Eædem doloſæ artes animaduerti poſ-

poſſunt in formulis Fidei editis in Conciliabolo Antiocheno ab Arrianis Epiſcopis. Nam teſte S. Athanaſio *libr. 2. cap. 7.* in prima profeſſi ſunt vnum Filium Dei vnigenitum ante omnia ſæcula exiſtentem, & coexiſtentem cum Patre ſuo, per quem omnia facta ſunt. In ſecunda profitentur ſe credere in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum Deũ, per quem omnia; enim natum eſſe ante ſæcula ex Patre, Deum ex Deo, totum ex toto, ſolum ex ſolo, perfectum ex perfecto, ſapientiæ, & gloriæ Patris ſine omni diſſimilitudine imaginem, Primogenitum omnis creaturæ, eumdemque in principio apud Deum, Verbum eſſe. In tertia ſe credere confitentur in Filium Dei vnigenitum, Deum, Verbum, Potentiam, & Sapientiam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem omnia, eumque genitum eſſe ex Patre ante ſæcula, Deum perfectum ex Deo perfecto, & apud Patrem exiſtere in ſua perſona. Qui legit has Fidei formulas, primo obtutu credet eas eſſe ſincerè Catholicas, & ita in ſenſu omninò Catholico accepit Sanctus Hilarius præſertim ſecundam in libro de Synodis. Et nihilominus S. Athanaſius in eis Arrianum virus detexit, quia Filius Dei, ſic Deus eſſe dicitur, vt tamen ipſius conſubſtantialitas in natura cũ Patre non affirmetur, & Catholici vrgebant hæreticos, vt eo nomine vterentur, ad clarè ſignificandam Arrianiſmi deteſtationem.

Clarã denique locutionem in ſimilibus confeſſionibus, ſeu proteſtationibus poſtulabat S. Hieronymus agens de Ioanne Epiſcopo ſuſpecto de hæreſi Origenis *in Epiſtola 61. ad Pammachium*, hæc verba ſcribens: *Obſecramus, vt Ioannes, aut ſimpliciter noſtra fateatur, aut apertè defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates, nolo mihi dictum, quod, & aliter poſſit intelligi*; & ſubiungit: *Certè ſi hæreſeos nulla ſuſpicio eſt, vti cupio, & credo, cur non verbis meis ſenſum meum loquitur. Quam ille ſimplicitatem vocat, ego malitiam interpretor, perſuadere mihi vult, quod purè credat, purè ergò & loquatur.*

Hæc quidem omnia applicari poſſunt confeſſionibus Fidei à Gotteſchalco editis; Præterquamquod enim in eis nihil penitùs expreſſit ad cauẽdum hæreticalem errorem, quo detinebatur circa redemptionem Sãguinis Chriſti, quod ſcilicet non extenderetur ad omnes homines, neque ad quoſcumque baptizatos, ſed ſolummodò ad electos. Cum in puncto pertinente ad prædeſtinationem Electorum ad vitam, & reproborum ad mortem ipſi imputaretur à Rabano, & Patribus Concilij Moguntini: necnon ab Hincmaro, & Epiſcopis Synodi Cariſiacæ, quod admittendo Reprobos prædeſtinari ad interitum, ſicut Electi ad Gloriam, pariter etiam admitteret illos prædeſtinari ad culpam, ſicut iſti prædeſtinantur ad Gratiam: & ſimiliter, quod propter æternam Dei prædeſtinationem ad interitum, Reprobi non poſſent ſaluari, & propter ſimilem prædeſtinationem ad gloriam, electi non poſſent damnari; Hæc hæreticalia Dogmata debuiſſet in ſua confeſſione, vel profeſſione dilu-

dilucidè deteſtari, quod tamen non præſtitit. Nam quidquid dixit in præfatis confeſſionibus, vel profeſſionibus poteſt cohærere cum prauo ſenſu, quod nimirùm reprobus, ex quo prædeſtinatus fuit ad interitum, deſtitutus remaneat quacumque potentia ad conſequendam ſalutem, & electus, ex quo eſt prædeſtinatus ad vitam, amittat omnem potentiam incurrendi in damnationem; & pariter quod reprobus, ex quo eſt prædeſtinatus ad mortem, ſit etiam prædeſtinatus ad culpam, ſicuti electus, ex quo eſt prædeſtinatus ad Gloriam, etiam eſt prædeſtinatus ad merita, propter quæ Gloriam eſt conſecuturus. Quoniam igitur hos prauos ſenſus non expreſsè reprobauit, vt facilè poterat, & debebat, ſignum eſt, quod illi ſenſus ſuæ menti fixè adhærebant, & propterea confeſſionem, vel profeſſionem ſuæ peruerſæ fidei ita concinnare voluit, vt ſuam impietatem contegeret, & à fidei regulis non videretur declinare. Qua quidem induſtria plures decepit, qui crediderunt ipſum eſſe Catholicum, ſed decipere non potuit Rabanum, Amolonem, & Hincmarum, & cœteros Epiſcopos Moguntinæ, & Cariſiacæ Synodi, ad quorum audientiam vocatus ſuos prauos ſenſus exponere coactus fuit, & ob pertinaciam in eis promeritam damnationem ſubire.

Obijciunt ſecundò. Nam Viri grauiſſimi Gotteſchalco in hac cauſa fauerunt, exiſtimantes ipſum iniquè vexari, eo quod hæreticalia dogmata ipſi attribuerentur, à quibus tamen penitus abhorreret. Pro quo referri poteſt Eccleſia Lugdunenſis in libro de tribus Epiſtolis ſancto Remigio adſcripto. Vbi explicatis in ſenſu Catholico propoſitionibus Gotteſchalci tandem concludit *cap. 24. Sicuti ſuperiùs ex Diuina, et paterna authoritate ſatis oſtendimus videtur nobis ſine dubio, quod illa, quæ de Diuina prædeſtinatione dixit iuxtà regulam Catholicæ fidei vera ſint, et à veridicis Patribus manifeſtiſſimè confirmata, nec ab vllo penitùs noſtrum, qui Catholicus haberi vult, reſpuenda, ſiuè damnanda, et ideò in hac re dolemus non illum miſerabilem, ſed Eccleſiaſticam veritatem eſſe damnatam.* Et prætereà addit, *in omnibus Gotteſchalci ſenſibus, et veram omninò, et ſalubrem intelligentiam eſſe, eumque Beatiſſimi Auguſtini ab omni ſemper Eccleſia venerabiliter accepti, & vſque ad finem ſæculi recipiendi ſenſum fuiſſe ſecutum,* &c. Hinc (inquiunt) Rotaldus Sueſſionenſis Epiſcopus, & Gotteſchalci Ordinarius noluit accedere ad Synodum Cariſiacam, eo quod Gotteſchalcum, & in eo veritatem opprimi videret, vt teſtatur Flodoardus *lib. 3. Hiſtoriæ Remenſis*. Ac denique S. Prudentius in libro de prædeſtinatione contra Ioannem Scotum Erigenam ptopoſitiones Gotteſchalci in Catholico ſenſu exponit. Quem ſecutus fuit Ratramnus Monachus in duobus libris de Prædeſtinatione Dei, & Lupus Ferrarienſis Abbas in libro de tribus quæſtionibus ad Regem Carolum Caluum miſſo. Tot igitur Venerabilium Patrum authoritate protectus Gotteſchalcus immeritò tanquam hæreticus damnatus fuit.

Re-

Reſpondetur præfata teſtimonia nihil prodeſſe Aduerſariorum intento. Etenim ex eo, quod Gotteſchalci propoſitiones fuerint à præfatis Patribus explicatæ in ſenſu Catholico, non benè infertur, quod in illo ſenſu prolatæ fuerint à Gotteſchalco: Sunt enim propoſitiones æquiuocæ, quæ poſſunt vtcumque interpretari in bono ſenſu, licet prauus ſenſus ſit magis obuius. Quod autem in prauo ſenſu Gotteſchalcus illas protulerit, & defenſauerit conuincunt probatiſſimi Teſtes, qui ipſum diſſerentem de ſuis perniciosis ſentẽtijs proprijs auribus audierunt, ipſiuſque ſcripta ab eo oblata, vel miſſa attentè perlegerunt. Teſtes autẽ ipſi fauẽtes ſunt de auditu alieno. Quemadmodum igitur Teſtes de viſu præferuntur Teſtibus de auditu in probationibus iuridicis, ita in cauſa, de qua agitur, teſtes à nobis producti ad comprobandam hæreſim Gotteſchalci omninò præferendi ſunt Aduerſariorum Teſtibus, qui de longinquo eam ſolùm notitiam de ſenſu Gotteſchalci habere potuerunt, quam fama ſæpiſſimè fallax apud ipſos peruulgauerat. Quamuis autem in obiectione aſſeratur Diuum Remigium fuiſſe Authorem libri de tribus Epiſtolis, attamen id conſtanter negat Cellotius *lib. 3. Hiſtoriæ Gotteſchalci cap. 15. per tot.* & eſſe negandum probat varijs rationibus ibi videndis.

Et multò minus prodeſt, quod affertur ex Rotaldo Epiſcopo Sueſſionenſi, videlicet, quod noluerit Cariſiacæ Synodo intereſſe, quia putaret in ea veritatem opprimendam. Quid refert, quod vnus Epiſcopus ab aliorum Coepiſcoporum ſententia diſcordet? Non enim ex hoc definitiones emanatæ à cœteris Epiſcopis redduntur de veritate ſuſpectæ. Imò ipſe, ex quo à reliquis recedit, de ſingularitatis vitio, erroris plerumque Comite, notari poteſt. Si tamen cõiectari liceret aliam cauſam, ob quam Epiſcopus Sueſſionenſis ad Synodum Cariſiacam noluerit accedere, illa probabilis occurreret, quod Rotaldus indignatus de miſſione Gotteſchalci ad Hincmarum Remẽſem Archiepiſcopum, vt ab ipſo iudicaretur; cum prætenderet ad ſuum Tribunal Gotteſchalcum remittendum, vtpote Monachum Monaſterij Orbacenſis, Diœceſis Sueſſionenſis, ne in proprium præiudicium conſentire videretur, Synodo Cariſiacæ, cui Hincmarus præſidebat, intereſſe recuſauit, emendicato prætextu, quod in ea Synodo veritas eſſet opprimenda.

Denique in fauorem Gotteſchalci obijci poteſt, quod ipſius propoſitiones, prout referuntur in Epiſtola Hincmari ad Nicolaum I. immeritò proſcriptæ fuerint tanquam hæreticæ, cum in eis nil deprehendatur, quod ſit indicatiuum erroris, quod probatur diſcurrendo per ſingulas.

Prima enim propoſitio, qua dicebatur *Deum prædeſtinare quoſdam ad vitam æternam, et quoſdam ad æternum interitum*, habetur apud Auguſtinum *lib. . de Ciuitate Dei cap. 24.* & apud S. Fulgentium *lib. ad Monimum cap. 13.* nulla ergò cenſura notanda erat.

Secūda propoſitio, qua dicitur, *Deum*

Deum non velle omnes homines ſaluos fieri, ſed tantùm eos, qui ſaluantur, deſumitur quoque ex Auguſtino, qui ſic exponit illud Apoſtoli *primæ ad Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, vt dicat ita intelligendum eſſe. Primò, non quod Deus velit omnes ſaluari, ſed quia nullus ſaluatur, quem Deus non vult ſaluum fieri. Ita in *Enchirid. cap.* 102. *& lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap.* 8. Secundò, vt fiat diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, Ita vbi ſuprà. Et tertiò, Quod Deus vult omnes homines ſaluos fieri, id eſt facit Sanctos id velle. Sicuti cum dicitur ad Romanos 8. *Deus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt, poſtulare nos facit. Ita *libr. de correctione, & Gratia cap.* 13. eſt igitur de mente Auguſtini, quod Deus non omnium hominum ſalutem velit, ſed tantum eorum, qui de facto ſaluantur.

Tertia etiam propoſitio, qua dicitur, *Deum ſanguinem fudiſſe tantùm pro redemptione Electorum*, vera videtur; Tum quia cum humana Chriſti voluntas in omnibus eſſet conformis voluntati Diuinæ, ſicuti iuxtà Auguſtinũ Deus vult Electorũ ſalutem, non autem reproborum, ita videtur, quod Chriſtus pro Electis, & non pro reprobis ſanguinem fuderit, tum etiam, quia ipſe Chriſtus ſatis clarè innuit ſe nõ pro omnibus mortuum eſſe, cum dicat *Ioann.* 17. *Non pro Mundo rogo*. Et de ſanguine ſuo *Matth.* 16. *Qui pro multis effundetur*. Tum etiã, quia nil frequentius apud S. Auguſtinum, quàm quod nullus perit ex his, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Et quod Chriſtus non perdit, quod emit ſanguine ſuo. Tum denique. Nam Diuus Thomas 3. *par. quæſt.* 21. *art.* 4. *ad* 2. docet, quod Chriſtus non orauit pro omnibus crucifixoribus, nec etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, ſed ſolum pro his, qui erant prædeſtinati, vt per ipſum vitam conſequerentur æternam. Igitur conformiter ad hæc, verè dicere potuit Gotteſchalcus, Chriſtum pro Electis tantùm ſanguinem fudiſſe.

Reſpondetur. Propoſitiones Gotteſchalci iure, & meritò confixas fuiſſe tanquam erroneas, & hæreticas à Concilijs Moguntino, Cariſiaco II. & III. Valentino, Lingonenſi, & Tullenſi, vel quia per ipſiuſmet explicationem conſtabat, quod illas in ſenſu hæretico propugnabat, vel quia palam ex terminis, nedum indicabant, ſed & exprimebant errorem.

Primæ quidem propoſitionis damnarum ſenſum expoſuimus ſupra *Paragrapho* 3. & 4. Quamuis enim Auguſtinus nonnumquam meminerit prædeſtinationis ad interitum, attamen non ſumebat prædeſtinationem in eo ſenſu, quo ſumebatur à Gotteſchalco; Ille enim Prædeſtinationem ſumebat inadæquatè, prout ſolùm eſt inductiua finis damnationis, non autem, ita quod eſſet etiam inductiua culpæ conducentis ad interitum, cum millies dixerit Auguſtinus, Deũ non prædeſtinare, ſed præſcire peccata. Gotteſchalcus autem prædeſtinationem ſumebat adæquatè ad eum modum, quo ſumitur prædeſtinatio

ad

ad vitam, & nunquam clarè, & dilucidè faſſus eſt, quod Deus ex quo reprobos prædeſtinat ad interitum, non neceſſitat illos ad culpam, ideoque in prauo ſenſu nomen prædeſtinationis ad interitum vſurpabat. Sãctus Fulgentius Auguſtinum ſectatus eſt; Vndè loco allegato dixit. *Quos Deus prædeſtinauit ad gloriam, prædeſtinauit ad iuſtitiam, quos autem prædeſtinauit ad pœnam, non prædeſtinauit ad culpam*. Quid clarius pro diſcretione vnius prædeſtinationis ab altera? Gotteſchalcus autem è contra dixit, quod ſicut Deus prædeſtinat ad vitam, ita prædeſtinat ad interitum, & quod prædeſtinatio Dei ſicut eſt in bono, ita ſit in malo, quo modo loquendi ſuum errorem indicauit: vltra quod vtramque prædeſtinationem ſic explicabat, vt neceſſitatem inferret ad finem præſtitutum, tollendo quamcumque potentiam ad oppoſitum, quod fidei repugnat.

Secunda quoque propoſitio eſt manifeſtè aduerſatur ſanæ fidei, vtpotè contradictoriè oppoſita authoritati allegatæ in obiectione: Apoſtolus enim ait: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*; & Gotteſchalcus dicit, *Deus non vult omnes homines ſaluos fieri, ſed tantùm electos*. Expoſitiones autem traditæ à Diuo Auguſtino sũt optimæ. Quia cum à Theologis cum D. Thoma *par.* 1. *q.* 19. *art.* 6. duplex in Deo diſtinguatur voluntas, nempè antecedens, & conſequens, & hæc ſemper impleatur, ſecùs illa. Dictum Apoſtoli de vtraque voluntate poteſt intelligi. Vt autem rectè intelligátur de voluntate conſequenti, ad illius dicti verificationem opus eſt recurrere ad expoſitiones traditas ab Auguſtino, quibus ſecluſis, falſum eſſet, quod Deus voluntate conſequenti velit omnes homines ſaluos fieri. Numquam tamen S. Auguſtinus negauit verba Apoſtoli debere etiam intelligi de voluntate antecedenti, & quod iuxta hanc intelligentiam Deus velit abſolutè, & ſimpliciter omnes homines ſaluos fieri. Imò quod ita ſit, faſſus eſt Sanctus Doctor in libro Reſponſionum ad articulos ſibi falsò impoſitos per hæc verba: *Sinceriſſimè credendum, atque profitendum eſt, Deum velle, vt omnes homines ſalui fiant, ſiquidem Apoſtolus ſollicitè præcipit, vt Deo pro omnibus ſupplicetur.*

Si dicatur. Cur ſimiliter non licebit exponere propoſitionem Gotteſchalci conformiter ad expoſitionem traditam D. Auguſtino, dicendo nimirùm, quod etiam ille loquatur de voluntate Dei conſequente, non autem de voluntate antecedente?

Reſponſio habetur in promptu. Ratio enim huius eſt, tùm quia propoſitio Gotteſchalci eam interpretationem reſpuit; quia ipſe dixit, quod quicumque non ſaluantur, penitùs non eſſe voluntatis Dei, vt ſaluentur, quod eſt dicere, Deum nullo modo, ſeù nulla voluntate velle, quod reprobi ſaluentur, quibus verbis excluditur etiam voluntas antecedens de ſalutè reproborum, quo modo loquendi nunquam vſus eſt Auguſtinus. Tùm etiam, quia Gotteſchalcus nunquam faſſus eſt, Deum ſimpli-

pli-

pliciter, & abſolutè velle ſalutem omnium hominum: ſecùs autem Auguſtinus, vt patet per authoritatem inductam reſpondendo ad obiectionem.

Tertia propoſitio, cum reprehenditur in Ianſenio, non poteſt abſque crimine in Gotteſchalco canonizari. Manifeſtè namque repugnat Sacris Scripturis. Quia primæ ad Timoth. *cap.* v. poſtquam Apoſtolus dixit, *Deum velle omnes homines ſaluos fieri*, de Chriſto ſubiungit, quod *dedit ſemetipſum Redemptionem pro omnibus*, & ad Rom. 4. *Proprio filio non pepercit, ſed pro omnibus tradidit illum*, & 1. ad Corinth. 15. ait: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*; qui locus eſt luce meridiana clarior: nam ſicut certum eſt omnes mortuos eſſe in Adam, ita & Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus fatendum eſt, cum indè probet Apoſtolus omnes in Adam mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Concinunt Sancti Patres, nam Auguſtinus *lib.* 2. *de ſymbol. ad Cathecum. cap.* 8. introducit Chriſtum Crucifixoribus, & reprobis ita loquentem: *Videte vulnera, quæ inflixiſtis, Agnoſcite id latus, quod pupugiſtis, quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis*. Ambroſ. *ſerm.* 8. *in pſalm.* 118. ita fatur, *Chriſtus Redemptor myſticus Sol iuſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, omnibus reſurrexit*. Epiphanius *lib. de hæreſibus hæreſi* 55. *Pro toto Mundo* (inquit) *Chriſtus ſe obtulit, ipſe victima, ipſe ſacrificium, ipſe Sacerdos, ipſe Altare, &c.*

Nec vrgent in oppoſitum allata. Etenim, vt Chriſtus humanam voluntatem Diuinæ conformaret, pro ſalute omnium debebat ſanguinem fundere, quia Deus omnium ſalutem expetit, ex ſuprà dictis. Ad illud de Chriſti oratione, dicendum eſt, Chriſtum non oraſſe pro Reprobis voluntate conſequente, ſeù inferente efficaciter ſalutem. Oraſſe tamen voluntate antecedente, quæ poſſet, quantum eſt de ſe inferre ſalutem, niſi impediretur per peccata Reproborum; & ſic etiam intelligitur dictum Diui Thomæ vltimo loco propoſitum in obiectione. Ad illud Matthæi dicendum eſt, vel quod ly *pro multis* intelligitur pro omnibus hominibus excluſis Angelis, pro quibus Chriſti ſanguis non eſt effuſus. Vel ſi ſolùm de prædeſtinatis hominibus exponatur, intelligi debet de effuſione ſanguinis ex voluntate efficaci ſalutis eorum, quo pacto non eſt effuſus pro reprobis, ſed ex voluntate tantùm ſufficienti, quæ poſſet habere ſalutis effectum, niſi per peccata reproborum impediretur. Eademque interpretatio applicatur verbis Auguſtini. Quia nullus perit ex his, pro quibus Chriſtus mortuus eſt ex voluntate conſequenti, & efficaci. Illi verò pereunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ex voluntate ſolùm antecedenti, & ſufficienti.

Quarta denique propoſitio profert hæreſim proſcriptam in quinta propoſitione Ianſenij. Aduerſatur

enim Apoſtolo dicenti *ad Roman. 6. Quicumque Baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus*: & Beato Ioanni ſimiliter de ipſo Domino conteſtanti *Apocal. 1. Quod dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*. Cum igitur in Baptiſmate lauetur Anima à maculis peccatorum; impoſſibile eſt, quod iſta lotio aliter fiat, quàm Chriſti ſanguine redemptiuo. Et hæc de hac Diſſertatione dicta ſufficiant.

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A.

Abſolutio.

ABſolutio Sacramentalis Pœnitentibus in articulo mortis conſtitutis impendi non poteſt à Sacerdotibus hæreticis, aut Schiſmaticis notorijs, & manifeſtis, nec ab excommunicatis, & denunciatis, etiamſi nõ adſit, nec adeſſe poſſit Sacerdos Catholicus, & vnitus. Quæſtio 1. per tot. pag. 1. & ſeqq.

Abſolutio duplex antiquitùs in Eccleſia pœnitentibus impendebatur, Sacramentalis, & Eccleſiaſtica, ſeù Canonica. pag. 82.

Abſolutio Eccleſiaſtica, ſeù Canonica denegata fuit primis tribus ſæculis pœnitentibus in extremo dumtaxat vitæ veniam petentibus. ibid.

Abſolutio Sacramentalis à Sacerdote hæretico impenſa nulla eſt, etiam in caſu neceſſitatis. pag. 4.

Abſolutio Sacramentalis, neque ſub conditione impendi poteſt ab Hæretico, & excommunicato denunciato, nec in caſu neceſſitatis. pag. 50.

Abſolutio Sacramentalis fit per modum iudicij, & fit cum prælatione, & vſu iuriſdictionis in pœnitentem abſoluendum. pag. 7.

Abſolutio in articulo mortis impendi poteſt à quolibet Sacerdote Catholico, & non præciſo ab Eccleſia. pag. 7.

Abſolutio nulla eſt, quam Sacerdos in eum profert, in quem non habet ordinariam, vel delegatam poteſtatem. pag. 38.

Ad abſolutionem Sacramentalem impendendam duplex requiritur poteſtas, Ordinis ſcilicet, & iuriſdictionis. ibid.

Abſolutio ſub conditione quando impendi poſſit. pag. 59.

Abſolutio Sacramentalis nunquam denegata fuit ab Eccleſia reis criminum Idololatriæ, homicidij, & mœchiæ pœnitentia functis. Quæſt. 2. pag. 54. & ſeqq.

Peccatoribus in extremo vitæ pœnitẽtibus Eccleſia Sacramentalem abſolutionem tribus primis ſæculis non denegauit, vt perperam aliqui volunt. pag. 61. & ſeqq.

Abſolutionem Sacramentalem non peracta pœnitentia impendendam non eſſe dixit Petrus de Oſma pag. 107. Propterea damnatus à Sixto IV. pag. 110.

Abſolutio Sacramentalis confitentibus etiã grauiorum criminum reis ritè diſpoſitis ante peractam pœnitentiam, ſeù ſatisfactionem Sacramentalem impendi debet. quæſt. 3. per tot. pag. 111. & ſeqq.

Abſolutio in Sacramento Pœnitentiæ habet rationem conſtitutiui eſſentialis. pag. 111.

Per abſolutionem Sacramentalem commutatur pœna æterna peccatori debita in temporalem. pag. 114.

Falſum eſt, quod aliqui recentiores aſſerunt abſolutionem Sacramentalem in Eccleſia primis duodecim ſæculis, nonniſi poſt peractam ſatisfactionem Sacramentalem pœnitentibus impenſam fuiſſe. pag. 131. & ſeqq.

Dilatio abſolutionis Sacramentalis in pœnitentes diſpoſitos eſt eorum ſaluti ſpirituali valdè noxia, pag. 135. & ſeqq.

Abſolutio quæ grauiorum criminum reis poſt expletam pœnitentiam antiquitùs impendebatur non erat Sacramentalis, & pro foro interno, ſed tantùm Eccleſiaſtica, & pro foro externo. pag. 139. & ſeqq.

Abſolutio quæ impendebatur pœnitentibus poſt expletas pœnitentias in Canonibus pœnitentialibus iniunctas Eccleſiaſtica fuit, & pro foro externo, non Sacramentalis, & pro foro interno. pag. 166.

Peccatori in extremo dumtaxat vitæ ſuæ peccata confitenti, ſi verè ſe de illis dolere aſſerat, etiamſi ſuſpicio rationabilis, aut dubiũ eſſe poſſit in Confeſſario, quod non verè doleat, abſolutio impendenda eſt ſaltem ſub conditione, dummodò non appareat ipſum non verè dolere. pag. 84. & ſeqq.

Accuſator falſus.

Non licet interficere falſum accuſatorem,

falſos teſtes, ac etiam iudicem, à quo iniqua certo imminet ſententia, etiamſi alia via non poſſit innocens damnum euitare. pag. 261.

Actio.

Iuſto exiſtente motiuo licitum eſt actionem bonam præſtare, etiamſi agens ſciat aliquem ex ſua malitia actione illa abuſurū. pag. 210.

In quo caſu teneatur homo relinquere actionem aliàs bonam, ne indè conſequatur malum. pag. 235.

Agareni.

Agareni Baptiſmum ſuſcipiebant vti medicinam corporalem, & tanquam veneficium, & incantationem. pag. 217.

Aggreſſor.

Futurus aggreſſor, qui dicatur. pag. 257.

In nullo caſu licet futurum aggreſſorem præuenire illum occidendo. quæſt. 6. per tot. pag. 260. & ſeqq.

Aggreſſor iniuſtus.

Quinam iniuſti aggreſſoris nomine intelligendus ſit. pag. 242. & ſeq.

Aggreſſor iniuſtus materialiter quinam dicatur. pag. 243.

Ob ſuam culpam aggreſſus poteſt defendendo ſe occidere aggreſſorem. pag. 244.

S. Auguſtinus.

Quid ſentiat S. Auguſtinus de Baptiſmo ob ſalutem corporalem Baptizati ſuſcepto. pag. 221. & ſeqq.

Quænam fuerit S. Auguſtini de iniuſti aggreſſoris occiſione ſententia. pag. 245.

B.

Banniti, & Contumaces.

Banniti, & contumaces, aut diffidati non poſſunt licitè reſiſtere Miniſtris, & executoribus iuſtitiæ, nec alijs priuatis perſonis eos aggredientibus, vt pœnam contra eos ſtatutam exequantur cum eorum occiſione, aut notabili læſione. pag. 268. & ſeqq.

Baptiſmus.

Baptiſmus conferri poteſt ab Hæreticis in caſu neceſſitatis. pag. 3. & 34.

Baptiſmi Miniſter in caſu neceſſitatis eſt quilibet homo vſu rationis præditus. pag. 7.

Baptiſmus conferri non poteſt puero in vtero matris incluſo. per hoc, quod eius mater abluatur. pag. 29.

Baptiſmi Sacramentum dari poteſt validum, & informe. pag. 127.

Baptiſmus confert gratiam recedente fictione. pag. 120. & 127.

Non licet Turcarum, aliorumque Infideliū filios baptizare, Parentibus eorum Baptiſmum pro illorum ſalute corporali petentibus, ſi adſit moralis certitudo, quod illi in adulta ætate peruertendi ſint à parentibus, etiamſi renuentibus eos baptizare mors, aut aliud graue damnum ab infidelibus immineat; hæc autem moralis certitudo adeſt, ſi filij poſt Baptiſmum à parentibus infidelibus non ſeparentur. quæſt. 4. per tot. pag. 172. & ſeqq.

Nec hæreticorum filios ante vſum rationis baptizare licet, ſi apud hæreticos educandi ſint. pag. 172. & ſeqq.

Baptiſmus profanatur per profeſſionem infidelitatis, & per apoſtaſiam à fide. quæſt. 4. per tot. & pag 172 & ſeqq.

Baptiſmus profanatur etiam per profeſſionem hæreſis. pag 186.

Baptiſmi character profanatur ab eo, qui poſt ſuſceptum Baptiſmum profitetur falſam religionem. pag 200.

Baptiſmi Miniſter graue ſacrilegium committit, ſi Baptiſmum alicui conferat, cum notitia moraliter certa, quod Baptizatus apoſtatabit à fide. quæſt. 4. per tot. pag. 200. & ſeq.

Baptiſmus conferri poteſt Infidelium filio ante vſum rationis morituro, ſiuè conſentiant, ſiuè non conſentiant parentes infideles. pag. 201.

Collatio Baptiſmi facta à Baptizante cum notitia moraliter certa de futura peruerſione baptizati eſt intrinſecè mala. pag. 202. & ſeqq.

Baptizati cum ad vſum rationis peruenerint inſtruendi ſunt in fide, & cathechizandi. pag. 204.

Si nullum adſit periculum peruerſionis, & iuſtum adſit motiuum, Turcarum, aliorumque infidelium filios baptizandi, licitum eſt illos baptizare, etiamſi parentes infideles ob ſalutem dumtaxat corporalem eos baptizari petant. pag. 208. & ſeq.

Non licet Baptiſmum alicui conferre abſque intentione illum baptizandi, & ſimulando Baptiſmum. ibid.

Licet conferre Baptiſmum ad ſalutem corporalem, tanquam ad effectum non infallibiliter, & cum certitudine ex Baptiſmo præſtandum, ſed ex fiducia in benignitate Dei, qui propter excellentiam, & dignitatem Sacramenti Baptiſmi, velit etiā corporalem ſalutem conferre, ibid.

Quid

Quid cum Chriſtianis agendum ſi proprios filios ad ſalutem corporalem baptizari petant. pag. 215. & ſeqq.

Bellum.

Bellum iuſtum quam cauſam requirat. pag. 263. & 303.
Cauſæ iuſtæ ad bellandum quot, & quæ ſint. ibid.

Bona temporalia.

Licet alicui propria bona defendendo eorum raptorem occidere. quæſt. 1 1. per tot. pag. 305. & ſeqq. Non tamen ad id tenetur. pag. 312.

C.

Caiphas.

CAiphas qua ratione fuerit Propheta. pag. 7.

Canones Pœnitentiales.

Canonum pœnitentialium notitia Confeſſarijs neceſſaria eſt. pag. 169.
Canones pœnitentiales tantùm habuerunt locum in foro exteriori Eccleſiaſtico, non in interiori pœnitentiali. pag. 164.
Canones pœnitentiales, & pœnitentiæ in eis contentæ iuſtis de cauſis ab Eccleſia ſublatæ ſunt. pag. 166.
Pœnitentijs in Canonibus pœnitentialibus contentis alias pœnitentias, & alia opera pœnalia Eccleſia ſubſtituit. pag. 168.

Cardinalis Caietanus.

Cardinalis Caietani ſententia de poteſtate Sacerdotis ad abſoluendum, qualiter intelligenda ſit. pag. 39.

Character.

Character præcisè non conſtituit aliquem Eccleſiæ membrum. pag. 30.
Character Sacerdotalis, in quo conſiſtat, pag. 41.
An diſtinguatur à clauibus ibid.

Claues.

Claues non differunt à poteſtate ordinis. pag. 42.
Quid ſit clauis. ibid.
Duplex eſt clauis, ſcientiæ, & poteſtatis. ibid.
Quid ſit clauis ſcientiæ, quidue clauis poteſtatis. ibid.
An claues diſtinguantur à charactere. ibid.
Claues quomodò maneant in Hæreticis, & Schiſmaticis. pag. 43.
Clauium vſus prælationem, & iuriſdictionem requirit reſpectû eius in quem quis eis vtitur. pag. 9.

Communio.

Communio in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus primis tribus ſæculis denegabatur ab Eccleſia. pag. 80. & ſeqq.
Communionis eo tempore denegatæ nomine perperam aliqui abſolutionem Sacramentalem intelligi volunt. ibid.
Communio duplex olim in Eccleſia, Eccleſiaſtica, & laica. pag. 105. & ſeqq.
In quo hæc duplex communio diſtingueretur. ibid.

Concilium Generale.

Concilium Generale non eſt ſupra Papam, ſed ſub Papa. pag. 375.

Concilium Conſtantienſe.

Concilij Conſtantienſis conſtitutio de excommunicatis vitandis, quoad Sacramẽtorum adminiſtrationem, quo pacto intelligenda ſit. pag. 11. & ſeqq.
De eadem Conſtitutione obſeruatio Proſperi Fagnani. pag. 12.

Concilium Lateranenſe.

Concilij Lateranenſis conſtitutio ſub Leone X. quoad excommunicatos vitandos. pag. 13.

Concilium Tridentinum.

Concilium Tridentinum non conceſſit facultatem Sacerdotibus Hæreticis, aut Schiſmaticis, præſertim notorijs, & manifeſtis, nec excommunicatis, ac denunciatis abſoluendi pœnitentes in articulo mortis. pag. 14. & ſeqq.
Declaratio ſuper hoc Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum. ibid.

Concilia Prouincialia.

Concilia Prouincialia, qua ratione iudicare poſsint de rebus fidei. pag. 374. & ſeqq.
In Concilijs Prouincialibus damnatæ fuerunt hæreſes etiam grauiſſimæ. pag. 388.

Concilium Arelatenſe III.

Patres Concilij Arelatenſis III. Fauſto Reienſi demandarũt, vt per epiſtolam ſpecialem Lucidum Presbyterum ab erroribus Prædeſtinatianorum reuocet. pag. 365.

Concilium Cariſiacum, & Moguntinum.

In Concilio Cariſiaco damnati fuerunt errores Gotteſchalci. pag. 392.
Iidem damnati fuerunt in Concilio Moguntino. pag. 391.

Concilium Illiberitanum.

Concilium Illiberitanum nunquam ſtatuit ab-

abſolutionem Sacramentalem, ſeù Pœnitentiæ Sacramentum denegandum fuiſſe Peccatoribus in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus, vti recentiores aliqui comminiſcuntur. pag.99.& ſeqq.

Idem Concilium vindicatur ab hac ſiniſtra intelligentia ibid.

Communionem reis aliquorum criminum in extremo vitæ denegandam ſtatuit.ibid.

Communionis denegatæ nomine Euchariſtiam intellexit, non verò abſolutionem Sacramentalem. ibid.

Concilium Valentinum.

Concilium Valentinū non contradicit Concilio Cariſiaco quoad damnationem doctrinæ Gotteſchalci. pag.403.

Vide verbo Gotteſchalcus.

Confeſſio Confeſſor.

Facultas audiendi confeſſiones, & pœnitentes Sacramentaliter abſoluendi non confertur Sacerdoti cum approbatur ad audiendas confeſſiones, ſed ei confertur, cum ad eas audiendas iuridicè deputatur. pag.42.

Confeſſio non eſt facienda hæretico. præſertim notorio, & manifeſto, nec etiam in caſu neceſſitatis. pag.5.

Confeſſio facta Laico Catholico in caſu neceſſitatis, qua ratione Deo ſit accepta. ibid.

Confeſſio dari poteſt valida, ſed informis. pag.122.& ſeqq.

Recedente fictione ſuum habet effectum, ibid.

Confeſſio, & contritio ſecundum ſe diſpoſitiones ſunt ad gratiam, & ad remiſſionem peccatorum; vt verò ſimul cum forma conſtituunt Sacramētum Pœnitentiæ, ad prædictos effectus ſe habent effectiuè. pag.126.

In Eccleſia primis ſæculis conſuetudo fuit, quod peccatores præter ſecretam, & apud Sacerdotem de peccatis factam confeſſionem, aliam publicam de ijſdem coram alijs fidelibus facerent, hanc conſuetudinem ſuſtulit S. Leo Papa I. pag.168.

Confirmatio Sacramentum.

Sacramentum confirmationis dari poteſt validum, & informe. pag.127.

Confert ſuum effectum recedente fictione. ibid.

Contritio.

Contritio eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ. pag.129.

Contritio non habet remittere peccatum, & Deo Pœnitentem reconciliare, niſi cum voto confeſſionis. pag.63.

S. Cyprianus.

Sancti Cypriani contra Nouatianum hæreticum inclamationes. pag.60. & ſeqq. & 69.

Eædem aptātur aduerſus Authores aſſerentes tribus primis ſæculis quorumdam criminum reis, vel in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus, abſolutionem Sacramētalem ab Eccleſia in extremo vitæ denegatam fuiſſe. ibid. & ſeq.

D.

Damnatus ad mortem.

IVſtè ad mortem damnato non licet ſe contra Iudicem, aut executorem defendere. quæſt.7.per tot.pag.266.

Iuſtè ad mortem damnatus poteſt fugere de carcere, vincula & carceres rumpere, niſi damnatus ſit ad permanendum in carcere. ibid.

Iuſtè damnatus, vt fame moriatur non peccat, ſi cibum ſibi occultè miniſtratum ſumat; ſecùs verò ſi damnatus ſit, vt abſtineat à cibo ubi etiam occultè oblato. ibid.

Si verò damnatus ad mortem precibus obtineat, vt loco mortis perpetuò maneat in carcere, non poteſt licitè de carcere fugere. pag.267.

Si verò ad permanentiam perpetuam in carcere damnetur extra caſum permutationis pœnæ mortis in perpetuum carcerem adhuc poſſet fugere de carcere. ibid.

Si tamen Iudex non ſolùm damnaret quempiam ad carcerem, ſed etiam mandaret, vt in eo maneret, in eo caſu reus obligaretur ad permanendum in carcere.ibid.

Iniuſtè ad mortem damnato non licet ſe defendere cum occiſione Iudicis, qui ſententiam iniuſtam tulit, etiamſi hac via, & non alia poſſit mortem euadere. quæſt. 8. per tot.pag.276.& ſeqq.

Iniuſtè damnatus ad mortem per ſententiā ſecundum allegata, & probata iuſtam, non poteſt per vim ſe defendere, nec abſque peccato iudicem occidere, quamuis non poſſit aliter mortem euadere. quæſt.9. per tot. pag.282. & ſeqq.

Defenſio bonorum temporalium.

Licet alieni propria bona defendendo eorum raptorem occidere. quæſt.11.per tot.pag. 305.& ſeqq. Non tamen ad id tenetur. pag.312.

Index Rerum notabilium.

Defenſio honoris, & famæ.

Non licet alicui honorem, aut famam propriam defendendo actualiter illum dehonorantem, conuitiantem, iniuriantem, vel calumniantem occidere. pag. 315. & ſeqq.

Vir nobilis, qui alapam, conuitium, aut aliam iniuriam accepit non poteſt licitè incontinenti repercutere aduerſarium, vel ipſum occidere ad proprium honorem defendendum. pag. 324. & ſeqq.

Defenſio Pudicitiæ.

Licet Mulieri propriam defendere pudicitiam, etiam cum occiſione aggreſſoris, immò ad illam etiam cum occiſione aggreſſoris defendendam tenetur, ſi ſibi timear conſenſum in peccatum, & delectationem Veneream, & aliter aggreſſorem repellere nequeat, ſecùs verò ſi conſenſum in peccatum, & delectationem Veneream non timeat. pag. 326. & ſeqq.

Defenſio vitæ corporalis.

Licet alicui alium occidere ſe defendendo. quæſt. 5. per tot. pag. 224.

Qualis debeat eſſe intentio illius, qui ſe ab iniuſto inuaſore defendit. pag. 229 & ſeq.

Defenſio ſui eſt licita cum fit non ſolùm repellendo ictus aggreſſoris, ſed etiam cum ictus in aggreſſorem vibrantur. pag. 241.

Homo debet ſeipſum defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. pag. 242.

In quo conſiſtat moderamen inculpatæ tutelæ. ibid.

Licet defendendo ſe occidere iniuſtum aggreſſorem materialiter. pag. 243.

Et pariter licet defendendo ſe occidere aggreſſorem, cui aggreſſus iuſtam dedit occaſionem aggrediendi. pag. 244.

In nullo caſu licet futurum aggreſſorem præuenire illum occidendo. pag. 260. & ſeqq.

Non licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, etiamſi alia via non poſſit innocens damnum euitare. pag. 261.

Iuſtè ad mortem damnatis non licet ſe contra Iudices, aut executores defendere. quæſt. 7. per tot. pag. 266.

Defenſio ſui an ſit de iure naturæ. pag. 273.

Iniuſtè aggreſſus non ſemper tenetur ſe ab iniuſto aggreſſore defendere, ſed licitè poteſt ſe iniuſto aggreſſori aliquando perimendum permittere. quæſt. 10. per tot. pag. 295. & ſeqq.

Iniuſtè aggreſſus in aliquibus caſibus tenetur ſe defendere, etiam cum aggreſſoris occiſione. pag. 299. & ſeq.

Deſiderium mortis alterius.

Non poteſt quis abſque peccato mortali alterius mortem deſiderare, etiamſi non ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum illam deſideret. pag. 343. & ſeqq.

Non licet abſoluto deſiderio cupere mortem Patris ob pinguem hæreditatem obuenturam. pag. 349 & ſeqq.

Licitum eſt optare, quod aliquis peccator patiatur aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel vt ipſe melior efficiatur, vel vt ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet. pag. 350. & ſeq.

Deſiderium propriæ mortis.

Non licet ſibi optare mortem ad vitanda mala temporalia. pag. 355.

Deus.

Deus vult omnes homines ſaluos fieri per media ab ipſo inſtituta, debito modo, applicata, & reuerenter adhibita; non autem vult homines ſaluos fieri per Sacramenta profanata, & ſacrilegè collata, aut recepta pag. 297.

Dilectio proximi.

Cum Leuit. 19. & Matth. 22. dicitur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, particula illa *ſicut* non deſignat, quod quis debeat proximum diligere æqualiter quàm ſeipſum, ſed minus quàm ſeipſum. pag. 279.

Doctores.

Doctores antiqui præferendi ſunt modernis pag. 29.

E.

Eccleſia.

Eccleſia priuat Hæreticos, & Schiſmaticos omni iuriſdictione, & prælatione. pag. 9.

Eccleſia Romana criminum idololatriæ, homicidij, & mœchiæ reis pœnitentia functis, nunquam veniam, ſeu abſolutionem Sacramentalem denegauit. quæſt. 2. pag. 54. & ſeqq.

Eccleſia primis tribus ſæculis Peccatoribus in extremo vitæ pœnitentibus, Pœnitentiæ Sacramentum, ſeu abſolutionem Sacramentalem non denegauit. pag. 62. & ſeqq.

Falſum eſt, quod aliqui recentiores aſſerunt abſo-

abſolutionem Sacramentalem in Eccleſia primis duodecim ſæculis, nonniſi poſt peractam ſatisfactionem Sacramentalem pœnitentibus impenſam fuiſſe. pag. 131. & ſeqq.
Eccleſia plura iuſtis de cauſis ſuſtulit, vel immutauit, quæ antiquitùs inter fideles in vſu erant. pag. 168.
Eccleſia poteſtatem habet in Sacramentorũ adminiſtratione ſalua illorum ſubſtantia ſtatuendi, vel mutandi, quæ ſuſcipientiũ vtilitati, vel Sacramentorum venerationi pro rerum, ac temporum, & locorum varietate magis expedire iudicauerit. ibid.
Eccleſia iuſtè ſuſtulit conſuetudinem communicandi Laicos ſub vtraque ſpecie. ibidem.

Effectus caſualis, ſeù fortuitus.

Effectus dupliciter dicitur caſualis, ſeù fortuitus: vno modo cum effectus nedùm contingit præter intentionem agentis, ſed nec eſt ab eo præuiſus, nec præcognitus: alio modo cum effectus ille quoquo modo accidit præter intentionem agentis, quia ab agente non intẽditur, licet ſit præuiſus. pag. 236.

Epiſcopus.

Epiſcopo, qui ex auaritia ex vna Ciuitate in aliam tranſijſſet Communionem, ſeù Euchariſtiam denegandam ſtatuit Concilium Sardicenſe. pag. 105.

Error communis.

Error communis quando interueniat, & quomodò conferat iuriſdictionem. pag. 25. & ſeq.
Error communis non contingit in caſu quo Hæreticus manifeſtus, ac notorius, aut excommunicatus, & denunciatus confeſſiones Sacramentales excipiat. pag. 25.

Euchariſtia.

Euchariſtia peccatoribus in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus negata fuit ab Eccleſia tribus primis ſæculis. pag. 76. & ſeqq.
Euchariſtia deneganda eſt ægrotis vomitus periculo ſubiectis. pag. 79.
Euchariſtiæ effectus in eam ſuſcipientibus. pag. 80.
Euchariſtia concedenda eſt reis ad mortem damnatis. pag. 79. & ſeqq.
Euchariſtiam reis aliquorum criminum in extremo vitæ olim denegandam ſtatuit Concilium Illiberitanum. pag. 99. & ſeqq.
Euchariſtiam percepturis nedum impendebatur antiquitùs abſolutio Sacramentalis, & in foro interno, quod fiebat in Confeſſione Sacramentali, ſed impendebatur etiam abſolutio Eccleſiaſtica, & in foro externo, vti etiam nunc in Eccleſia Euchariſtiam percepturis impenditur abſolutio in foro externo, & quia Euchariſtiæ perceptio dicebatur etiam Communio, hinc recentiores aliqui decepti Communionis nomine abſolutionem Sacramentalem intellexerunt. pag. 85.
Euchariſtia non cauſat gratiam recedente fictione. pag. 117.

Excommunicatus. Excommunicatio.

Excommunicatus, ac denunciatus non poteſt adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, nec etiam in caſu neceſſitatis. quæſt. 1. per tot. pag. 1. & ſeqq.
Excommunicatio à qua in reconciliatione Eccleſiaſtica pœnitentes poſt expletã pœnitentiam antiquitùs abſoluebantur, non fuit excommunicatio, ſeù cenſura, qua ſcilicet pœnitẽtes priuarẽtur participatione omnium Sacramentorum, ſed prohibitio quædam, qua pœnitentes cum alijs fidelibus communicare prohibebantur, & ab ingreſſu Eccleſiæ arcebantur, & à Sacræ Euchariſtiæ perceptione. pag. 145.

F.

Fama.

Fama in quo conſiſtat. pag. 312. & 316.
Qua ratione fama præſtantius bonum ſit quam alia bona temporalia. pag. 318.
Homo eſt dominus propriæ famæ, & ad illam defendendam non tenetur, ſi eius fama non habeat relationem ad famã aliorum. pag. 332.

Fauſtus Reienſis.

Fauſtus Reienſis iubetur à Patribus Concilij Arelatenſis III. Lucidum Presbyterum per epiſtolam ab erroribus Prædeſtinatianorum reuocare. pag. 365.
De Fauſti Reienſis moribus illuſtre Cardinalis Barouij teſtimonium. pag. 372.
Defenditur à calumnijs Catholica doctrinà epiſtolæ Fauſti ad Lucidum. pag. 381. & ſeq.

Fides.

Fides ab aliquo in Baptiſmo recepta profanatur, & abijcitur per profeſſionem infidelitatis, & hæreſis. pag. 400. & ſeqq.

Filij Turcarum, aliorumque infidelium.

Filios Turcarum, aliorumque infidelium baptizare non licet, parentibus eorum Baptiſmum pro illorum ſalute corporali petẽtibus ſi adſit moralis certitudo, quod illi in adulta ætate peruertendi ſint à paren-

rentibus, etiamſi renuentibus eos baptizare mors, aut aliud graue damnum ab infidelibus immineat; quæſt.4. per tot.pag. 372.& ſeqq.

Fur.

Licet actualem furem occidere ſi ablata reſtituere nolit. quæſt.11. per tot.pag.305.
Non tamen quis ad id tenetur. pag.312.
Non licet furem occidere pro aliquo bono exiguo ablato, quod notabile damnum non inferat illius domino. pag. 307.

Futurum.

Futurum non ſolùm dicitur illud, quod aliquando erit, ſed futurum etiam dicitur illud, quod nunquam erit, ſed quod habet determinationē in ſuis cauſis ad hoc, vt ſit in aliquo determinato tempore, aut duratione ſubſequente illud inſtans pro quo dicitur eſſe futurum. pag. 257.

G.

Gaudium de alterius morte.

NOn poteſt quiſpiam abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam ineſficaci affectu petere, & deſiderare, etiamſi non ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum de vita alicuius triſtetur, & de illius morte naturali gaudeat, illamque inefficaci affectu petat, & deſideret. pag.343.& ſeqq.
Non licet filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias indè ex hæreditate conſequutas. pag.350.

Gotteſchalcus Monachus.

Gotteſchalcus Monachus hæreſim Prædeſtinatianam reſuſcitauit in nono ſæculo. pag.389.& ſeqq.
Eius errores primùm damnati fuerunt in Synodo Moguntina.pag.391.
Et in Synodo Cariſiaca. pag.392.
Dicta Gotteſchalci referuntur, & hæreticalia eſſe oſtenduntur.pag.393.
Errores Gotteſchalci damnati etiam fuerunt in Synodo Valentina, Lingonenſi. pag.403.& 415.

Græci.

Presbyteri Græci Catholici in caſu neceſſitatis abſoluere poſſunt Latinos. pag.35.

H.

Hæreſes. Hæretici.

NOn omnes hæreſes damnatæ ſunt in Concilijs generalibus, ſed hæreſes aliquæ etiam grauiſſimæ damnatæ fuerunt in Concilijs Prouincialibus. pag.388.
Hæretici, & Schiſmatici carent omni iuriſdictione, & prælatione. pag.1. & ſeqq.
Hæretici, & Schiſmatici carent omni iuriſdictione, & non poſſunt abſoluere, nec ligare. pag.2. & ſeqq.
Baptizare poſſunt in articulo neceſſitatis. pag.3.
Hæretici notorij, & manifeſti nullo modo ſunt membra Eccleſiæ. pag.4.
Hæretici præſertim notorij, & manifeſti ſunt extra Eccleſiam. pag.6.
Hæretici, & ab Eccleſia præciſi poſſunt validè ordines conferre. pag.9.
In hæreticis manet clauium poteſtas quantùm ad eſſentiam, non verò vſus.pag.9.
Cum hæreticis nullatenus eſt communicandum.pag.19.& ſeq.
Hæretici retinent characterem. pag.30. Qua ratione illum retineant. ibid.
Hæreticus quo pacto pertineat ad Eccleſiam. pag.30.
Hæretici non ritè ordinati in Sacerdotes non habent poteſtatem ordinis.pag.49.
Hæretici, vt ſuum errorem occultent verbis, vtuntur ambiguis. pag.411.

Hæreſis Prædeſtinatiana.

Hæreſis Prædeſtinatiana primùm fuit in quinto ſæculo. pag.358.& ſeqq.
Quinam fuerint hæretici Prædeſtinatiani, quinti ſæculi. pag.363.
Recenſentur illorum errores. pag. 360. & ſeqq.
A Gotteſchalco Monacho reſuſcitata fuit in nono ſæculo. pag.389. & ſeqq. Vide verbo Gotteſchalcus.

Homicidium. Vide verbo Defenſio vitæ humanæ.

Iniuſtè ad mortem damnato non licet ſe defendere cum occiſione Iudicis, qui ſententiam iniuſtam tulit, etiamſi hac via, & non alia poſſit mortem euadere. quæſt. 8. per tot.pag.276.& ſeqq.
Licet hominem occidere ſe, vel ſua defendendo. ibid. & quæſt.11. per tot.pag.303. & ſeqq.

Homo.

Homo in ſtatu naturæ corruptæ poteſt abſque gratia iuſtificante vitare ſingula peccata mortalia, & ſecundum aliquod tempus, ſed diù manere non poteſt abſque peccato mortali, & ideò indiget gratia. pag.135.

Honor.

Honor in quo conſiſtat. pag.314.& 316.
Honor, & fama qua ratione præſtantiora

bona ſint, quàm alia bona temporalia. pag. 318.

I.

Indulgentia.

POſtquam pœnitentiæ in Canonibus pœnitentialibus iniunctæ in Eccleſia deſueuerunt, Summi Pontifices frequentiùs indulgentias concedere cœperunt. pag. 164.

Quando in forma conceſſionis Indulgentiarum apponitur clauſula (*de iniunctis pœnitentijs*) conceditur remiſſio pœnitentiarum tàm de facto iniunctarum, quàm earum, quæ iniungi debuiſſent, ac potuiſſent, ſeù quod remittantur pœnæ Purgatorij reſpondentes pœnitentijs tàm iniunctis, quàm de iure iniungendis, iuxtà tamen amplitudinem, & quantitatem conceſſionis. pag. 164.

In conceſſione Indulgentiæ plenariæ non apponitur clauſula (*de iniunctis pœnitentijs*) quia intelligitur per eam indulgentiam remitti tota pœna in Purgatorio luenda. ibid.

Indulgentiæ verè ſalutares ſunt, & nullo modo noxiæ, vt blaſphemans dixit Lutherus. ibid.

Infideles.

Infideles præficiendi non ſunt Chriſtianis, & Catholicis, nec dominium ſuper eos habere debent. pag. 21.

Infidelium filij ante vſum rationis baptizādi non ſunt inuitis parentibus. pag. 173.

Iniuria.

Axioma illud, *volenti, & conſentienti non fit iniuria*, quà ratione intelligendum ſit. pag. 318.

Inquiſitio Hiſpana.

Inquiſitio Hiſpana in ſuo decreto Anno 1638. Propoſitionem hanc, *Papa in decidendis articulis, qui pertinent ad fidem non eſt infallibilis abſque conſenſu Eccleſiæ*, erroneam dixit, & hæreſi proximam. pag. 381.

Eadem Inquiſitio Hiſpana propoſitionem hanc, *Concilium eſt ſupra Papam*, dixit erroneam, & ſchiſmaticam. ibidem.

Iudex.

Non licet occidere Iudicem à quo iniqua certò imminet ſententia, etiamſi alia via non poſsit innocens damnum euitare. pag. 261.

Quid facere debeat Iudex, qui iuxtà allegata, & probata reum aliquem deprehendit, ſed iuxtà priuatam notitiam ſcit eſſe innocentem. pag. 283. & 286.

Iuriſdictio.

Iuriſdictio in nulla Republica benè ordinata conceditur membris ab ea præciſis, aut eius hoſtibus, præſertim notorijs, ac manifeſtis. pag. 25.

Iuriſdictio duplex, ordinaria, & delegata. pag. 43.

In quo differant hæ duæ Iuriſdictiones. ibid.

Iuriſdictio ad abſoluendum quot modis impediri poſſit. pag. 44.

Ius naturale.

Ius naturale poteſt per leges humanas diſtingui, & declarari. pag. 272.

Non omne, quod eſt de inclinatione naturæ eſt de iure naturæ. pag. 273.

L.

Leges.

LEges vniuerſales feruntur ex hoc, quod quaſi ſemper, & vt plurimùm ſint expedientes. pag. 36.

Lex *Barbarius*, quà ratione intelligenda ſit. pag. 25.

Lex *Barbarius*, applicari nequit in caſu, quo Sacerdos hæreticus, aut excommunicatus, & denunciatus confeſsiones excipiat. ibid.

S. Leo I. Pontifex.

S. Leo I. Pontifex conſuetudinem ſuſtulit confitendi publicè peccata. pag. 168.

Lucidus Presbyter.

Lucidus Presbyter Prædeſtinatianam hæreſim profeſſus eſt in quinto ſæculo. pag. 365.

A Fauſto Reienſi iuſſu Patrum Concilij Arelatenſis III. adigitur per epiſtolam ad errores Prædeſtinatianorum retractandos. ibid.

Lucidus errores ſuos retractat per epiſtolam ſpecialem ad Fauſtum, & ad Patres Concilij Arelatenſis tranſmiſſam. pag. 367.

Defenditur à calumnijs Catholica doctrina epiſtolæ Lucidi. pag. 381. & ſeq.

M.

Malum.

AXioma illud, *ex duobus malis minus eſt eligendum*, falſum eſt, & non admittendum in malis moralibus. pag. 329.

Malum morale propter periculum eſt intrinſecè malum, ſi moraliter certum ſit, quod ma-

malum illud, cuius cum periculo ponitur operatio ſit ſequuturum. pag.218.

Manuum impoſitio.

Manuum impoſitio fiebat antiquitùs in adminiſtratione Sacramenti Pœnitétiæ.pag. 136.

Martinus Lutherus.

Martini Lutheri inſanum dictum, quod præliari aduerſus Turcas eſt repugnare Deo, &c. pag.304.

Matrimonium.

Non eſt admittenda opinio Suarez aſſerens licitum eſſe contrahere matrimonium cum conſanguinea, nulla præhabita diſpenſatione ad euitandam mortem imminentem. pag.195.

Milites.

Milites an poſsint ſe defendere cũ occiſione aggreſſoris. pag.302.& ſeq.

Licet eis militare in bello iuſto. pag.303.

Quid agendum à militibus ſi dubitent de iuſtitia belli. ibid.

Moderamen inculpatæ tutelæ.

Moderamen inculpatæ tutelæ in quo conſiſtat. pag. 242. & ſeqq.

Mulier.

Licet mulieri propriam defendere pudicitiam, etiam cum occiſione aggreſſoris, immò ad illam etiam cum occiſione aggreſſoris defendendam tenetur, ſi ſibi timeat conſenſum in peccatum, & delectationem Veneream, & aliter aggreſſorem repellere nequeat, ſecùs verò ſi conſenſum in peccatum, & delectationem Veneream non timeat. pag.326.

Quanta,& qualis debeat eſſe reſiſtentia mulieris, ne videatur conſentire peccato cum ab aliquo aggreditur. pag. 330.

Mutuum.

Mutuum petere, & accipere abſque neceſsitate ab eo, qui nonniſi ſub vſura pecuniam eſt traditurus, illicitum eſt, & peccatum.pag.214.& ſeqq.

Quæ neceſsitas requiratur ad licitè petendum ab vſurario mutuum. pag. 215.

N.

Neceſſaria ad ſalutem.

QVæ ſunt de neceſsitate ſalutis prætermitti non poſſunt propter ſcandalum vitandum. pag. 211.

Nouatianus.

Nouatianus hæreticus poteſtatem in Eccleſia remittendi peccata per abſolutionem Sacramentalem denegabat. pag.69.& ſeq. Confutatur, & increpatur à S. Cypriano. pag.69.

O.

Occidere.

LIcet alicui alium occidere ſe defendendo. quæſt.5.per tot.pag.224.& ſeqq.

Qualis debeat eſſe intentio illius, qui ſe ab iniuſto inuaſore defendit. pag.228 & ſeq.

Homo non poteſt occidere ſeipſum. pag. 241.

Licet defendendo ſe occidere aggreſſorem iniuſtum materialiter. pag.243.

Licet pariter defendendo ſe occidere aggreſſorem, cui aggreſſus iuſtam dedit occaſionem aggrediendi. pag. 244.

Opera bona mortua, & mortificata.

Opera bona dicuntur mortua dupliciter,poſitiuè, & priuatiuè. pag.117.

Opera bona mortua, ſiuè ſint mortua poſitiuè, ſiuè priuatiuè non viuificantur adueniente gratia, & charitate. ibid.& ſeq.

Opera bona mortificata per peccatum reuiuiſcunt adueniente gratia, & charitate. pag.119.

Opinio.

Opinio aliqua non ideò eſt probabilior, quia doceatur à pluribus quam oppoſita. pag. 27.

Opinio communis quænam dicatur. ibidem, & ſeq.

Opiniones quando cenſendæ ſint exoletæ. pag.28.

Opinio pœnitentibus, & fidelibus fauorabilior, non ideò eſt probabilior. pag. 29.

Ordo Sacramentum.

Sacramentum Ordinis dari poteſt validum, & informe.pag.127.

Confert ſuum effectum recedente fictione. ibid.

P.

Papa.

IN quo ſenſu vera ſit, & admittenda hæc propoſitio: *Ad ſolum Papam, ſeu ad ſolam Sedem Apoſtolicam Diuino immutabili priuilegio ſpectat de controuerſijs Fidei iudicare*, pag.375.& ſeq.

Papa eſt ſupra Concilium. ibid.

Papa independenter à proceſſibus, informationibus, & Conſultorum Conſultationibus ex ſola ſuprema poteſtate Pontificia

quâ pollet poteſt res Fidei definire. pag. 379. & ſeq.

Papæ definitio non indiget acceptatione fidelium. pag. 380.

Hanc propoſitionem: *Papa in decidendis articulis, qui pertinent ad Fidem non eſt infallibilis abſque conſenſu Eccleſiæ*, Inquiſitio Hiſpana erroneam dixit, & hæreſi proximam in decreto edito anno 1683. pag. 381.

Eadem Inquiſitio Hiſpana propoſitionem hanc: *Concilium eſt ſupra Papam*, dixit erroneam, & Schiſmaticam. ibid. Vide Summus Pontifex.

Peccator.

Peccator in extremo dumtaxat vitæ pœnitens abſoluendus eſt. pag. 85. & ſeqq.

Peccatoribus in extremo dumtaxat vitæ ad Eccleſiam confugientibus, vel in extremo dumtaxat vitæ pœnitentibus negabatur antiquitùs Euchariſtia, & abſolutio in foro externo, quæ alijs Euchariſtiam percepturis concedebatur, & modò etiam conceditur, non tamen eis negabatur abſolutio Sacramentalis, vt perperam aliqui recentiores putarunt. pag. 85.

Peccatoribus item reis grauiorum criminū in extremo vitæ poſitis tribus primis ſæculis abſolutio Sacramentalis non denegabatur, vt etiam falsò aliqui recentiores putarunt. ibid.

Periculum peccandi.

Exponere ſe periculo peccandi moraliter certo eſt intrinſecè malum. pag. 219.

Petrus de Oſma.

Petri de Oſma errores. pag. 107.

Damnantur à Sixto IV. in Bulla ſpeciali. ibid.

Pœnitentia Sacramentalis.

Pœnitentiæ quæ in Canonibus pœnitentialibus continentur, non erant Sacramentales, nec imponebantur pro foro interno, ſed pro foro externo, & dicebantur pœnitentiæ Canonicæ, & Eccleſiaſticæ. pag. 134. & ſeqq.

Ad longum tempus protrahebantur. ibid.

Pœnitentiæ in Canonibus pœnitentialibus peccatoribus iniunctæ exoleuerunt in Eccleſia. pag. 163.

Ob quam rationem exoleuerint in Eccleſia ibid.

Pœnitentiæ publicæ vtrum peccatoribus ſint imponendæ. pag. 170.

Vide verbo Satisfactio Sacramentalis.

Pœnitentia Sacramentum.

Pœnitentiæ Sacramenti Miniſter nequit eſſe hæreticus, aut Schiſmaticus notorius, & manifeſtus, nec excommunicatus, aut denunciatus. quæſt. 1. per tot. pag. 1. & ſeqq.

Sacramentum Pœnitentiæ exigit neceſſariò Iuriſdictionem in eius Miniſtro. p. 44.

Pœnitentiæ Sacramentum dari nequit validum, & informe. pag. 124.

Nec S. Thomas oppoſitum docet, etſi dicat dari poſſe cōfeſsionem validam, & informem. ibid.

Quantùm in hoc quoad mentem S. Doctoris Authores aliqui etiam Thomiſtæ hallucinentur. ibid.

Pœnitentia eſt vnum ex ſeptem Sacramentis à Chriſto inſtitutis. pag. 61.

In quo conſiſtat. ibid.

Pollutio.

Licet ſumere medicinam immediatè ordinatam ad confortandum partes vegetatiuas, vel ad purgandum corpus, etiamſi ex medicina illa conſequeretur phyſicè effuſio feminis, dummodò effuſio feminis non ſit intenta à medicinam ſuſcipiente, etiamſi ab eo ſit præuiſa. pag. 235.

Summus Pontifex.

Summi Pontificis Confeſſarius poteſtatem iuriſdictionis ad illum abſoluendum recipit ab ipſo Summo Pontifice. pag. 48.

Summus Pontifex non poteſt vti Clauibus in ſeipſum ibid.

Non poteſt dare alicui iuriſdictionem in ſeipſum in foro externo, poteſt tamen dare alicui iuriſdictionem in ſeipſum in foro interno. pag. 49.

Vide verbo *Papa*.

Poſſibile.

Poſſibile qua ratione diſtinguatur à futuro. pag. 257.

Poteſtas Ordinis, & poteſtas Iuriſdictionis.

In quo differant poteſtas Ordinis, & poteſtas Iuriſdictionis abſoluendi à peccatis. pag. 38. & ſeqq.

In ordinatione Sacerdotes non recipiunt poteſtatem iuriſdictionis abſoluendi à peccatis, ſed ſolam poteſtatem Ordinis. ibid.

Poteſtatem iuriſdictionis, ſeù facultatem abſoluendi à peccatis non recipiunt Sacerdotes cùm approbantur in Cōfeſſarios, ſed illam recipiunt, cum illi iuridicè deputantur ad confeſſiones audiendas. pag. 42.

Poteſtas Ordinis non diſtinguitur à poteſtate Clauium pag. 41. & ſeqq.

Iuriſdictio debet eſſe quoad perſonas, & quoad peccata. ibid.

Poteſtas remittendi peccata, quæ Sacerdoti confertur in ordinatione, qua ratione diſtinguatur à poteſtate remittendi peccata, quæ Sacerdoti confertur per collationem poteſtatis Iuriſdictionis. pag. 45.

Poteſtas iuriſdictionis in Sacramento Pœnitentiæ eſt authoritas in alium tanquam in inferiorem, & ſubditum, ſaltem quoad actum iudicandi, & abſoluendi, & ligandi in occulto foro conſcientiæ. pag. 43.

Eſt duplex Ordinaria, & Delegata: Ordinaria eſt illa, quæ habetur ratione officij curam animarum annexam habentis: Delegata eſt illa, quæ alicui per commiſsionem à Superiore delegatur, & committitur. ibid.

Poteſtas remittendi peccata, quæ Sacerdoti confertur in ordinatione non eſt diſtincta à poteſtate conficiendi Euchariſtiam, ſed ſolùm eſt extenſio eiuſdem potentiæ, & addit ſupra eam potentiam modum. pag. 45. & ſeqq.

Prædeſtinatiani hæretici. Vide verbo *Hæretici Prædeſtinatiani*.

Principium petere.

Principium petere in argumentatione, eſt ſupponere id, quod eſt probandum, vel de quo eſt quæſtio. pag. 6.

Propoſitiones.

Non omnes propoſitiones, quæ permittuntur imprimi cenſendæ ſunt approbatæ. pag. 27.

Purgatorij pœna.

Purgatorij pœnæ incomparabiliter excedunt pęnas huius vitæ. pag. 118.

Cum pęnis animæ ſeparatæ comparari non poſſunt dolores Paſsionis Chriſti. ibid.

Q.

Quæſtiones dependentes ex diſpoſitione Eccleſiæ.

IN quæſtionibus dependentibus ex diſpoſitione Eccleſiæ non licet recedere à ſententia conformi antiquæ diſpoſitioni Eccleſiæ, niſi accedat noua Eccleſiæ diſpoſitio. pag. 28.

R.

Reconciliatio.

REconciliatio duplex peccatoris antiquitùs fiebat, ſcilicet cum Deo, & Eccleſia. pag. 160. & ſeq.

Reconciliatio cum Deo fiebat abſque dilatione impendendo peccatori abſolutionem Sacramentalem: Reconciliatio cum Eccleſia, non fiebat niſi poſtquam Eccleſia ſub pęna peccati peccatorem diù ligatum retinuerat. ibid.

S.

Sacerdos.

SAcerdotes Hæretici, & Schiſmatici notorij, & manifeſti, & excommunicati, ac denunciati non poſſunt Sacramentaliter abſoluere pęnitentem conſtitutum in articulo mortis, etiamſi nullus adſit, nec adeſſe poſsit Sacerdos Catholicus, & vnitus. quæſt. 1. per tot. pag. 1. & ſeqq.

Declaratio ſuper hoc Sac. Congregationis Eminentiſsimorum Dominorum Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum. pag. 15.

Sacerdotes hæretici, & Schiſmatici præſertim notorij, & manifeſti carent omni iuriſdictione. pag. 3. & ſeqq.

Sacerdos quilibet Catholicus, & ab Eccleſia non præciſus abſoluere poteſt pęnitentem in articulo mortis à quibuſuis caſibus, & cenſuris. pag. 7. & 20.

Sacerdotes mali validè Sacramenta adminiſtrant. pag. 8.

Sacerdotibus in ordinatione non confertur poteſtas iuriſdictionis, ſed confertur ſolùm poteſtas ordinis. pag. 38. & ſeqq. & 42.

Sacramenta.

Tria tantùm Sacramenta iuxtà S. Thomam informia eſſe poſſunt, & valida, quæ recedente fictione ſuum habent effectum, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. pag. 226. & ſeqq.

Hæc tria Sacramenta imprimunt characterem. ibid.

Satisfactio Sacramentalis.

Satisfactio, ſeù pęnitentia Sacramentalis, nonniſi poſt receptam Sacramentalem abſolutionem à Confitentibus eſt peragēda. pag. 111. & ſeqq.

Satisfactio in Sacramento Pęnitentiæ habet rationem partis merè integralis. pag. 112. & ſeq.

Sacerdos non poteſt obligare pęnitentem ad peragendam ſatisfactionem, ſeù pęnitentiam Sacramentalem ante abſolutionem Sacramentalem. pag. 113.

Satisfactio, ſeù pęnitentia non Sacramentalis, ſed merè medicinalis impendi poteſt Confitentibus à Confeſſario ante abſolutionem peragenda, & ad eam ante abſolu-

lu-

lutionem peragendam obligari poteſt pœnitens à Confeſſario. pag. 114.
Satisfactio, ſeu Pœnitentia ante Sacramentalem abſolutionem peracta non eſt Deo ſatisfactoria, nec per eam confertur effectus aliquis ex his, ad quos conferendos ſatisfactio Sacramentalis eſt à Chriſto Domino inſtituta. pag. 117.
Pœnitentia ante abſolutionem peracta eſt opus mortuum ſaltem priuatiuè, ideſt à non exiſtente in gratia procedens. ibid.
Ad rationem ſatisfactionis requiritur quod ſit opus procedens ab amico, & in ſtatu gratiæ conſtituto. ibid.
Satisfactionem Sacramentalem implens extrà ſtatum gratiæ ſatisfacit Eccleſiæ, & Sacerdoti, qui eam impoſuit, ſed non ſatisfacit Deo. pag. 118.
Pœnitentia ante Sacramentalem abſolutionem peracta non reuiuiſcit poſt impenſam abſolutionem. pag. 119.
Opera ſatisfactoria; quæ aliquem relinquunt effectum in operante, qua ratione ſint ſatisfactoria. pag. 120.
Satisfactio ordinatur ad remiſsionem pœnæ temporalis in Purgatorio luendæ, & nil aliud eſt quàm quædam portio, ſeu commutatio, aut compenſatio quoad aliquã partem pœnæ temporalis alterius vitæ in ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam impoſitam à Confeſſario. pag. 122. & 151.
Falſum eſt quòd aliqui recentiores aſſerunt primis duodecim ſæculis eam praxim in Eccleſia Dei ſeruatam fuiſſe, vt pœnitentibus etiam grauiorum criminum reis, nonniſi poſt peractam Sacramentalem ſatisfactionem abſolutio Sacramentalis impenſa fuerit. pag. 131. & ſeqq.
Inſignis in hac re quorumdam recentiorum hallucinatio. ibid.
Satisfactio Sacramẽtalis cum peragitur ſupponit culpam remiſſam. pag. 152.
Contritio, & Confeſsio dicuntur etiam ſatisfactio à SS. Patribus. pag. 154. & ſeq.
Sancti Patres cum ſatisfactionem præmittendam aſſerunt Sacramentali abſolutioni, id intelligunt de ſatisfactione, quæ non ſit Sacramentalis, ſed quæ ſit merè medicinalis, & doloris, ac propoſiti peccatoris pœnitentis probatiua. pag. 156.
Satisfactio pro damnis illatis non eſt à Pœnitente præmittenda antequam Sacramẽtaliter abſoluatur, ſed ſat eſt quòd promittatur. pag. 162.
Authores aliqui recentiores pœnitentias, & ſatisfactiones diſpoſitiuas, ſeu præparatorias, ſeu etiam medicinales Pœnitentis, quas Sancti Patres in pœnitentibus prærequirunt, confundunt cum pœnitentijs, & ſatisfactionibus Sacramentalibus, & in hoc eorumdem recentiorum hallucinatio conſiſtit. pag. 162.
Nullus Canon, nullumque decretum, aut Statutum Summorum Pontificum, vel Conciliorum afferri poteſt, quo ſtatuatur, aut conſulatur iniunctio pœnitentiæ Sacramentalis ante abſolutionem Sacramentalem explendæ. pag. 165. & ſeq.
Praxis Eccleſiæ, qua peccatores etiam grauiorum criminum reos ritè, ac rectè diſpoſitos à peccatis Sacramentaliter abſoluit, iniuncta eis pœnitentia poſt abſolutionem Sacramentalem peragenda, optima eſt, ac rationabilis, & ab initio Eccleſiæ ad hæc vſque tempora ſemper ſeruata fuit. pag. 132. & 163.
Oppoſita aſſertio eſt recens inuentum, & paucorum recentiorum phantaſia. ibid.

Scandalum.

Scandalum duplex: aliud procedens ex malitia; aliud ex infirmitate, vel ignorantia, & dicitur ſcandalum puſillorum. pag. 211.
Propter hoc ſcandalum ſpiritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdùm dimittenda, vbi periculũ imminet, quouſque reddita ratione huiuſmodi ſcandalum ceſſet. ibid.

Sedes Apoſtolica.

In quo ſenſu vera ſit, & admittenda hæc Propoſitio: *Ad ſolam Sedem Apoſtolicam Diuino immutabili priuilegio ſpectat de controuerſijs Fidei iudicare.* pag. 375. & ſeqq.
Vide verbo. *Papa, & Summus Pontifex.*

Particula Sicut.

Particula *ſicut* aliquando ſignificat æqualitatem, aliquando vero ſignificat ſimilitudinem. pag. 278. & 395.

Stuprum.

Stuprum rectè definitur à S. Thoma, quod ſit illicita Virginum defloratio ſub cura parentum exiſtentium. quæſt. 13. per tot pag. 334. & ſeq.
Stuprum contingit etiam in Virgine, quæ propriæ violationi conſentit. pag. 338. & ſeq.

T.

Teſtes falſi.

Non licet interficere teſtes falſos, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, etiamſi alia via non poſſit innocens damnum euitare. pag. 261.

Ti-

Titulus coloratus.

Titulus coloratus quando interueniat, & quando conferat iuriſdictionem. pag. 25.

Triſtitia de alterius vita.

Non poteſt quiſpiam abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, etiamſi non ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum de vita alicuius triſtetur, & de illius morte naturali gaudeat, illamque inefficaci affectu petat, & deſideret. pag. 343. & ſeqq.

Turca.

Turcarum filij, quos parentes ad remouendum fœtorem ab eorum corporibus baptizari petunt, baptizandi non ſunt, ſi poſt Baptiſmum receptum apud parentes educandi ſint. quæſt. 4. per tot. pag. 171.

Tyrannus.

An liceat occidere Tyrannum. pag. 280. & ſeq.

V.

Viaticum.

Viatici nomine per antonomaſiam Euchariſtia intelligitur. pag. 83.

Eodem nomine Sancti Patres aliquando vtuntur ad ſignificandum omne Sacramentum neceſſarium ad ſalutem in extremo vitæ collatum. ibid.

Vita corporalis.

Licet alicui propriam vitam defendendo aliquem occidere. quæſt. 5. per tot. pag. 224. & ſeqq. & 276. & ſeqq.

Vſura.

Licitum eſt petere mutuum ab eo, qui paratus eſt illud ſub vſura dare. pag. 210.

Vti peccato alterius.

Vti licet peccato alterius ad bonum. pag. 210.

Vti peccato alterius ad aliquod bonum non eſt alterius peccato conſentire, nec peccato alterius cooperari. ibid. & ſeq.

Vualdenſes.

Vualdenſium error dicentium, omnem omninò hominis occiſionem, & cædem illicitam eſſe. pag. 223.

Soli Deo honor, & gloria.

	ERRATA	CORRIGE.
Pag.81.col.2.lin.33.	Proijcitur	proijciatur.
Pag.104.col.1.lin.2.	Meloza	Mendoza.
Ibid. col.2. lin.35.	pœna grauiſſima	pœnam grauiſſimam.
Pag.135.col.2.lin.22.	Pœnitent i.	Pœnitentiæ.
Pag.239.col.2.lin.23.	Propoſitio	Præpoſitio.
Pag.240.col.1.lin.20.	Defenſione vitæ.	pro defenſione vitæ.
Ibid.lin.27.	eadem	eamdem
Pag.236.col.2.lin.39.	niſi occidendo occiſorem	niſi occidendo inuaſorem.
In titulo pag.84.	Communioni lapſis.	Communionis lapſis.
Pag.273 col.2.lin.34.	erecta autem ratio	recta autem ratio.
Pag.389 col.1.lin.4.	error	erro.
Pag.416.col.1.lin.26.	eſt manifeſtè	manifeſtè.

Cœtera Sapienti Lectori corrigenda relinquuntur.